X1.C.14

BOSTON MEDICAL
LIBRARY



COLLECTION OF
EDWIN NEWTON OHL, Ph.D.

D. IOHANNIS
TACKII
TRIPLEX
PHASIS SOPHICVS.

D. JOHANNIS
TACKII
ARCHIATRI HASSO-
Darmſtadini & Profeſſoris Medici Primarij in Academia Giſſena

TRIPLEX
PHASIS SOPHICUS
Solis Orbe expeditus
Humanæque fragilitati &
Spei Reſurrectionis rerum conſecratus.



FRANCOFURTI,
Sumptibus JOHANNIS PETRI ZUBRODT
& Hæred. JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI
M. DC. LXXIII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. LUDOVICO VI.

HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI HERSFELDIÆ, COMITI IN CATTIMELIBOCO, DECIA ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAVENBURGO, ISENBURGO ET BUDINGA,

PRINCIPI OPTIMO MAXIMO: DOMINO MEO CLEMENTISSIMO: EVERGETÆ MUNIFICENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS: DOMINE CLEMENTISSIME!

QVæ ſit Argonautica in *Colchorum* agros expeditio? quis *Phaſis* fluvius? quod vellus aureum? qui Dracones, illud cuſtodientes? quæ *Æetæ, Iaſonis* & *Medeæ* curæ & ſolicitudines? quæ denique iſtius Victoria? id, *Sereniſſime Princeps ac Domine*, &, poſt *Deum*, temporalis hactenus felicitatis meæ *Auguſte* clementisſime! Te latere non poteſt, dum incomparabili mentis ſagacitate in *Colchos* nuper non ſolùm viam direxiſti tuam; Sed &, admirandâ ingenij celeritate, opus auditu & viſu, imò & poſteritate dignum non ſolùm auſpicaciſſimè exorſus es? Sed & feliciſſimè perfeciſti, tum in lucem proditurum, cùm peractâ navigatione à Polo Arctico ad Antarcticum Meridies ſive Auſter in Aquilonis hærebit amplexibus & DIGNITAS MONTIUM VALLEM HEBRON coronabit; id quod, ut proximè divino adimpleatur numine dirigente, ex animo humilimè precor.

Alius intereà mihi natus eſt PHASIS, Serenisſime Princeps! & SOPHICUS quidem TRIPLEX: MEDICUS alter, de auro cum Saccharo & Vini Q. E. in tincturam redigendo: alter Chemico-Phyſicus, CHRYSOGONIA ANIMALIS & MINERALIS dictus, magnum Philoſophorum opus, pro conficiendo Elixire, ad metalla & corpora humana adumbrans comparatione

tione generationis ſanguinis in corpore humano ? Et tertius denique, de RESURRECTIONE RERUM myſterium complectens, ſpei mortalium ad immortalitatem & incorruptibilitatem conſecratus : PHASIS, inquam, non qui, uti Colchicus, rapidus, aſper, limoſus horriduſque ſit ; Sed, qui in æquor latiſſimum ingeniorum hujus mundi levi ſuſurro labens, rura humanæ infirmitatis & ſterilitatis ditiſſima & fœcundisſima reddat, & dubiæ mortalium ſpei in reſurgentis Veris delicias ſuccurrat: neque à *Grajis* ſolùm *Viris*; ſed ab omnibus bonis expetatur.

Hunc ergò triplicem PHASIDEM, Serenitati tuæ, SERENISSIME PRINCEPS! nec non incomparabilibus & propemodum divinis dotibus tuis inſcribere & debui & volui: tum, quòd pauci ſint in orbe, qui rectè de hoc ſcribendi genere cenſeant, & quibus Sophica *Phaſidis* navigatio cognita ſit, quæque ſub eâ lateant arcana, TE excepto, mentis acie rimari queant, utpote, qui, præter innumera alia Corporis & Animi dona, etiam hoc à *Deo* conſecutus es, ut non ſolùm Mathematicas diſciplinas felicius, quàm vel decantatisſimi artifices, emenſus ſis, ingenioque tuo ſuperâris; Sed & in profundioris Naturæ abyſſum deſcendere haud fueris veritus, ut, quæ in ea tecta eſt & umbris involuta VERITAS, tandem abs TE deprehenſa erueretur & protraheretur in lucem: atque etiam hoc pacto, ad exemplum ſummorum Imperatorum & Regum, aliquando non ignorareris Mundo: Tum, ut contra eos, qui, ſive ex ſimplicitate & ignorantiâ, ſive ex invidiâ & obtrectandi animo, Phaſidem hunc triplicem, ut canes lunam allatrant, ſuâque profeſſione non contenti, ultra crepidam ſapere volunt & ad rationis & ſcientiæ propriæ decempedam omnia metiuntur, æneum habeam murum, æratasque portas, nullis unquam machinis ſive concutiendas, ſive diruendas.

Accipe ergò, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME! triplicem hunc PHASIDIS Orbem, animo, oculiſque ſerenisſimis, &, dum, quid loco ſubjectiſſimæ gratitudinis

titudinis ob innumera, quæ in me meoſque derivaſti, per tot annos, beneficia, rependam, jam non invenio munus aliud, vel hoc ſolo ſcripto levidenſi metire animi mei, gratitudinem aliquam meditantis receſſus, donec ad grandiora viam monſtret ſedulitas & Veritas.

Intereà vive felix, Princeps Optime, Maxime! ſub umbrâ alarum Altisſimi & Omnipotentis, cum Serenisſimâ pientisſimâque Conjuge, omnique Principe familiâ & prole pulcherrimâ, optatisſimâque, PHASIDE hoc contentus. Venient ſecula, cùm ſuperato hujus mundi PHASIDE, ejuſque navigatione feliciter abſolutâ, de flumine vitæ & æternæ PHASIDIS aquis nobis bibere licebit.

Dab. Darmſtadij M. DC. LXXIII
Nonis Martij.

Abs Tuæ Serenitatis

Humillimo & devotiſſimo
Servo

Johanne Tackio, D.

DE AURO.

ETſi ex auro vulgi, quatenus tali, non conficitur lapis ille, toto orbe decantatiſſimus, neque niſi ſolis doctrinæ hermeticæ filiis cognitus, Philoſophorum appellatus, & quàm diu mortuum eſt, niſi priùs reſuſcitatum per vitam metallorum de ſe ſemen edat, aut tandem loco fermenti inſerviat, (de quo ſic *Augurellus:*

——— *In auro*
Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant
Longiùs, & longo nobis quærenda labore;

& *Hugynus à Barma*: etſi aurum vulgi, utpote mortuum vitâque carens, ab opere excludunt Philoſophi, quod quidem verum: attamen ex ille frigido ſilice flammam & ignem eliciamus.) omneſque oleum perdunt atque operam, qui exiſtimant, eſſe illud abſtruſam Philoſophorum Hermeticorum materiam, & ſubjectum omnis mirabilitatis, prout ex *Sendivogio*, *Rogerio Bacone*, *in Speculo Alchemiæ*, *Via veritatis*, *& libello illo, qui inſcribitur*, der alte Ritterkrieg/ inprimis *Petro Iohanne Fabro*, totoque Muſæo Hermetico Francofurtenſi, aliisque quàm plurimis, qui ſinceriori præ aliis calamo ſecretum illud naturæ maximum, licet ænigmatibus involutum, ſingularique ſcriptionis genere tectum literis evulgârunt, ſatis manifeſtum evadit. Aliud enim aurum adhuc habent, quo utuntur, Philoſophi. Creditum tamen ſemper eſt, neque id ſufficientibus deſtituitur probationibus: auro, utpote metallo puriſſimo & perfectiſſimo, maximam ineſſe vim & efficaciam, ad propulſanda non ſolùm varia morborum genera; ſed & ad roborandum conſervandumque humanam naturam. Unde & Solis terreni nactum eſt nomen, procul dubio, ex ſimilitudine, quam habet cum Sole cœleſti. Quemadmodum enim Sol cœleſtis, ſecundùm modernos Aſtrologos, in cœlo immobilis eſſe creditur, circa quem tamen omnis cœli exercitus cum ipſâ terrâ move-

movetur, atque ſic omninò univerſi centrum ſtatuitur: ita quoque aurum eſt in medio poſitum mortalibus, circa quod omnes laborant homines, Reges, Principes, Nobiles, Ignobiles, cives, ruſtici, literati, ſenes pariter ac juvenes, viri ac fœminæ, & denique quotquot in mundo degunt. Hinc quæritur in Oceano, inveſtigatur in remotiſſimis Indiis, eruitur ex terræ cavernis, quæritur in terræ pulvere & lapidibus, in arenis & aquis, paratur arte, nullisque parcitur laboribus & ſumptibus, pro auro acquirendo, ut proinde *Augurellus lib.* 1. *Chryſopœiæ* rectè cecinerit:

Imprimis igitur cupidis mortalibus aurum
Quæritur; ingentes inter variosque labores;
Perque laborantis manifeſta pericula vitæ. &c.

Licet auro pretioſior ſit ſapientia, meliusque agerent mortales, ſi relictâ auri fame hanc quærerent. Et quemadmodum à Sole cœleſti omnia habent calorem, vigorem, motum & incrementum, niſi enim ille, velut imperator in cœlo conſtitutus, in omnia ſuum ſpargeret lumen & radios vitales, protinùs omnia in antiquum reverterentur chaos, ſine lege volitatura, prout idipſum *Robertus de Fluctibus*, tractatu primo, libro primo, *de macrocoſmi principiis c.* 6. pulchrè demonſtravit: Ita & Sol terrenus, aurum, animos addit mortalibus, ut neque timeant profunditates abyſſi, neque Oceani vaſtitatem, neque ferri aciem, imò, neque ipſam mortem. Quantus, Deum immortalem! ergò ex auro, in hominum animis, calor! quantus exinde motus! Si curas humanas paululùm accuratiùs excutias, omnes illæ auri gratiâ ſuſcipiuntur. Tot illius causâ in mundo contentiones, tot bella, tot navigationes, tot egregia facinora, ut quicquid natura non potuit perſuadere, perſuadeat aurum:

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa potentium.

Imò, ob aurum quælibet res habet valorem: ob aurum honorantur vel inſipientes, peſſimo licet exemplo, quòd ſolis divitibus licet eſſe magnis & in hominum opinione prudentibus;

Cùm tamen ille dives verè propriéque vocetur,
Qui valet eloquio, ingenio, prudentiâ & arte,

donis

donis ejusmodi, quæ nec latronum avara manus rapere, nec fallax devorare pontus poteſt. Neque enim vel color, vel compages, vel pretium auri tantum eſt, ut non alia inveniri poſſint colore ipſum excedentia, compage & pondere æquantia, pretio ſuperantia. Siquidem, non ſemper in uſu mortalibus aurum fuit, ad rerum permutationes. Antiquiſſimi Reges, quod egregiè monſtrat *Ioan Franciſcus Mirandulanus*, non aurum ſignârunt, neque argentum; ſed æs. Imò & ipſum æs Corinthiacum auro longè pretioſius fuit habitum. Unde ex Sacris diſcimus: *Eſdram*, rerum potito *Xerxe*, theſaurariis ex genere Sacerdotum reſtituiſſe vaſa ærea, quæ penderent undecim talenta & æſtimarentur auro pretioſiora. Dum tamen ſingulari Solis Lunæque conjugio in terræ viſceribus aurum productum eſt, ſuique ſplendoris & eminentiæ genealogiam non ex liventis faciléque liquabilis plumbi leproſo deducit ſulphure aut mercurio; ſed puriſſimam elementorum materiam, puriſſimasque ſpiritus mundani partes agnoſcit progenitores, atque in eo diſtat à Saturno, quòd hic ſit corpus immundum & imperfectum, ex argento vivo impuro, non fixo, terreo, fæculento, aliquantulum albo in manifeſto, & rubeo in occulto, & ex tali ſulphure aduſtibili ex aliquâ parte procreatum, deficiatque eidem puritas & fixatio cum colore & ignitione. A Jove v. quòd hic ſit corpus magis mundum quidem; ſed imperfectum, conſtetque ex argento vivo partim fixo, partim non fixo, cum ſimilis naturæ ſulphure, albo in manifeſto, & rubeo in occulto, aſt ſine perfectâ digeſtione & concoctione. Porròque à cæteris metallis, quòd illa ſint fæculenta, impura, non ſatis compacta, ponderoſa, fixa, licet in ferro nimis fixus ſit Mercurius, atque eodem modo ſulphur, ſed coinquinata: Aurum verò corpus ſit perfectum ex argento vivo, puro, fixo, claro, rubeo & ex ſulphure mundo, fixo, rubeo, non adurente generatum. De quibus videatur *Rogerius Baco in Speculo Alchymiæ*. Hinc meritò illud inter metalla primum obtinet locum, Rexque eorum appellatur, dum cæteri ſervitium præſtant planetæ, atque ad eandem perfectionis metam collimant, ſed non niſi per Regis mortem, quo ipſo tamen neminem velim intelligere Aurum vulgare, niſi, uti initio dictum

eſt, quis ſciat illud prius reddere auro Philoſophorum ſimile, & ex illo ſeminalem prolicere naturam ; ſed Philoſophorum ; quod noſtrum vocant, auro vulgi tantò pretioſius, quantò pater præſtat filio.

Cæterùm, non hîc inſtituti mei ratio eſt, manuductionem ſcribere, ad magnum Philoſophorum opus, de quo præter innumeros, ſatis pulchrè & clarè egit *Sendivogius*, item *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ, & Phila'eta*, imprimis *Dornæus*, præſtantiſſimus ille occultæ veritatis interpres. Qui enim de ejusmodi ſecreto multas implent paginas, illi nihil efficiunt, niſi ut invidiam & odium aliorum in ſe ſuſcitent, inhoneſtisque ſe onerent titulis, non quidem ex merito, licet omninò illi excuſandi non ſint, qui adulterina pro veris obtrudunt, & legentes non ſolùm iniquè tacendo, ſed & falſa loquendo labyrintho inexplicabili involvunt; ſed perversâ iſtorum hominum malitiâ. Secretum itaque illud ſecretum maneat, dum non omnibus licet adire Corinthum, niſi quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad ætherâ virtus. Sufficiat, ſi demonſtrem, quo pacto ex auro, pretioſo illo metallo, medicina fieri facilè poſſit, Solis prorſus æmula, auroramque ipſam planè referens, ipſumque imitans fulgorem pyropi, unde humana infirmitas maximum habeat ſolatium, in longis deſperatisque morbis, vitaque ſine meleſtiâ conſervari poſſit. Regium enim planè medicamentum eſt, quod colore, odore & ſapore gratiſſimum facilè omnibus cæteris palmam præripit, unde & magis æſtimandum, atque inſtar pretioſiſſimi theſauri cuſtodiendum.

Exiſtimatum eſt à multis, aurum aliquod potabile per artem fieri non poſſe, naturæ humanæ amicum & congruum, propterea, quòd vel hydrargyrum, vel aquæ, quæ fortes & regiæ appellantur, ad recludenda ejus penetralia adhibeantur, quæ verò ſanitati noſtræ planè adverſentur. Plauſibiliter hi argumentantur, ut proinde hodienum, apud pleroſque Medicos, ejusmodi ſolutiones auri rideantur, & floccifiant, omninòque pauci ſint, qui ſic ſolutum, vel aliquo corroſivo ſale recluſum auſint adhibere. Quamvis mihi noti ſint nonnulli, qui maximo cum ſucceſſu

ceſſu tale ægris epilepticis adhibuerint. Eſt propè *Arnsburgum* Cœnobium in W*etteravia*, propè *Licham*, locus, ubi foditur limus, qui in ſuperficie, tempore æſtatis, & cùm Sol abundantiſſimè ſuos emittit in terram radios, ſale ſingulari prægnans eſt, ex cujus ſalis concentrati ſpiritu egregium præparabatur medicamen, cum additione auri, *à D. Schrödero, Medico Francofurtenſi celeberrimo p. m.* quo ſanè ex auro colorẽ proliciebat, & multis medebatur morbis. Dein, ſcitum eſt, quid ſentiant alii, de tinctura Solis, cum ſpiritu ſalis communis parato, ut ſic verificentur Philoſophorum dicta: In Sole & ſale ſunt omnia. Et quod *Coſmopolita* ſcribit, *in Epilogo duodecim* tractatuum: Sicut Sol centralis habet ſuum mare & aquam crudam perceptibilem; ſic Sol cæleſtis habet etiam ſuum mare & aquam ſubtilem & imperceptibilem. In ſuperficie terræ radii radiis junguntur & producunt flores & omnia. Propterea, quando pluvia fit, accipit ex aëre illam vim vitę, & conjungit illam cum ſale nitri terræ (quia ſal nitri terræ eſt inſtar calcinati tartari, ſua ſiccitate aërem ad ſe trahens; qui aër in eo reſolvitur in aquam. Talem vim attrahendi habet ille ſal nitri terræ, qui etiam aër fuit, & eſt conjunctus pinguedini terræ) & quò NB. radii ſolares copioſiùs tunc feriunt, eò major ſalis nitri quantitas fit, & per conſequens major frumenti copia creſcit. Hactenus *Coſmopolita*. Sic ex reſiduo, quod in ahenis manet, poſt coctionem nitri, ſale, ſpiritus fit, non minùs pro extractione coloris aurei utilis. Ubi tamen monendos volo artifices, ut diſcant ſalium putrefactionem. Sed abundet quiſque ſuo ſenſu. Neque enim jam cum illis ſciolis altercabor, qui naturæ ſinum non ſunt ingreſſi, deſtiuti face & Sole. Ex vitriolo ſanè fiunt optimæ medicinæ, & ex nitro ipſo haud ſequioris conditionis, ut omnes omninò poteſtates Naturæ in vitriolo reconditas eſſe ſcribere haut fuerit veritus, *Petr. Iohan. Faber Caſtrinovidarenſis*, qui & de Nitro, *in ſuo panchymico c.* 40. *lib.* 4. vix dicenda aut revelanda ſcripſit, nempe: in intimis nitri viſceribus ignem vitæ clauſum contineri, quem ſi quis coagulare & fixum facere poſſit, eique tincturam dare auream vel argenteam, eum poſſidere arcanum. Ut neque prætaream ſalem,

ſive

ſive communem, ſive armoniacum, ex quibus cum ſpiritu aut plegmate vitrioli temperatis auri tincturæ fieri poſſunt, & vel alterutrius ſaltem admiſtione; aqua fortis in aquam regis, ſoli auro convenientem abit, uſibus tamen in vitâ communi & medicinâ accom̃odatiſſimam & maximè neceſſariam. Et, annon experientiâ com̃onſtrari poteſt, aquam regis, in quâ Sol ſolutus, longâ digeſtione dulceſcere planè, atque abire in pretioſiſſimum Chirurgiæ medicamẽ? Certè, pulvis ille Holſatic⁹, hodie adeò com̃endatus, atque in potiſſimorum Principum aulis jam cognitus, quid aliud eſt, quàm caput mortuum aquæ fortis & Sal inde extractus? Nihilominùs tamen tutò intra corpus aſſumitur. Et dum hydrargyro utuntur aurifices, ad deaurandum; non tamen illud impedit, quò minùs in regiis adhibeantur inauratę pateræ menſis. Parùm ergò proficient, qui contra aurum potabile cum aqua regis factum argumentantur, aut cum hydrargyro; cùm in hoc, per ignem vel Spiritum vini: in illo verò, per affuſiones aquarum ſimplicium, imò pluvię deſtillatæ, omnis inde corroſiva qualitas auferatur. Et, quid obſecro fieret cum liquore veri Alcaheſt, de quo *Paracelſus* pauca, *Helmontius* plura reliquit? ſi damnandum eſſet hydrargyrum, quod coagulandum, fixandum & reſolvendum, & denuò coagulandum in tranſmutatam formam, prout id proceſſus ejus innuit de coagulando & reſolvendo. *tom. 3. c. 6. de viribus membrorum.* Quod opus quidem, etſi operoſum eſt factu, & vel plus temporis & laboris requirit, quàm ipſius lapidis Sophici perfectio; non tamen impoſſibile eſt, ipſo *Paracelſo* id docente, qui alio in loco id appellat myſterium Mercurii, *tomo nimirum* 7. *lib.* 4. *de gradibus & compoſitionibus.* & jam modum operandi facilè proponere poſſem, niſi eum apertè docuiſſet Paracelſus, ad quem *Curioſos*, & ut eum ſedulò evolvant, remitto. Hoc enim loco aliud mihi eſt propoſitum. Dabitur nihilominùs occaſio, ejus operationem alibi inſinuandi. Imò, annon hydrargyrum fixatum cum convenientibus metallis magna medicina fieri poteſt in deſperatis morbis?

Ratum ergò eſto: neque corroſiva, neque hydrargyrum, etiam cum ipſis corroſivis præparatum, obſtare compoſitioni auri potabilis, quòminus adhiberi intra corpus poſſit, cùm corroſiva

iterum

iterum auferantur. Unde maximi nominis Philoſophus Chymicus, *Cornelius Drebbelius*, qui, ob inventionem perpetui mobilis, de quo ad Jacobum Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ & Franciæ Regem extat Epiſtola, adhuc in famâ eſt, & cui ratio conficiendi arcanum Philoſophorum non incognita fuit, prout ex incomparabili illius *de Elementis tractatu*, notum evadit, *capite*. 5. *de quintâ eſſentiâ*, planè illum modum non deteſtatur, quin potiùs approbat, additque: medicamentum illud, ſive auri quintam eſſentiam, ita præparatam, ad miraculum omnes morbos ſanare, præditamque eſſe quibuſcunque facultatibus, quintæ eſſentiæ univerſali virtute correſpondentibus. Et, quid non præſtitit *Franciſci Antonii Philoſophi & Medici Angli* aurum potabile? licet illud longè adhuc abfuerit à Secreto Philoſophorum? Legi certè poteſt de eo ipſius Aſſertio & Apologia. Cuilibet ſanè in ſuâ arte credendum, inprimis, ubi non refragatur experientia. Neque ſtatim illa contemnenda, quæ non protinùs ſumma ſunt. Namque non ignotum mihi, ejus aurum potabile non ſine mercurio, ſulphure & ſale communibus & nonnullis aliis paratum fuiſſe. Qui tamen inter *Curioſos* eſt, legat *Marci Friderici Roſen-Creutzeri* Aſtronomiam inferiorem, & inveniet nonnulla, ejus præparationi accommoda. Etiam in parvis ſæpe Deus magnus eſt, neque adhuc totius naturæ ambitus recluſus. Dies diem docet, & nox nocti indicat ſcientiam. Unde & *Johannes Franciſcus Mirandulanus*, etſi, in libro primo de auro, cauſam agit, contra illos, qui aurum præferunt, ſeu ratione pretii antiqui, ſeu ratione utilitatis in vitâ communi, ſeu ratione medicinæ, ſeu ratione potabilitatis, ſeu ratione diuturnitatis & conſtantiæ, ſeu ratione pulchritudinis & ſplendoris, ſeu ratione teſtimoniorum deſumptorum ex ſacris literis, ſeu denique ob gratiam, quam geſtantibus conciliat; tamen fateri cogitur, *Antonium, Chirurgum* ſuum, matronam, ex foro Cornelii phthiſi morientem, paucis diebus, ab ipſa tabe liberam feciſſe & ſanitati priſtinæ reſtituiſſe, ſolo potabili auro, quod ex ipſius patrui Nicolai confecerat diſciplinâ, additque: ex librâ unâ ejus metalli ſolutâ in humorem, vel uni, non Regi modò, ſed regioni medelam adferri poſſe, licet

inter mille mortalium myriadas vix inveniantur quindecim viri, qui aurum potabile quærant, & inter illos vix duo ſint, qui potionis aureæ conficiendæ ſcii gnarique ſint.

Hæc talia verò non adduxi, tanquam mihi animus ſit, perſuadere viris in chymiâ eruditis: verum & ſolum menſtrum aperiens receſſus auri eſſe aquas regias. Eſt enim peculiare adhuc corroſivum, de quo *Paracelſus capite tertio de Vitâ longâ, tomo 6. lib.* 3. *ait.* Reſolve aurum, unâ cum omni ſubſtantia auri, corroſivo, & id ipſum tantiſper, donec idem fiat cum corroſivo. &c. Sufficiat illos, qui ſic ſentiunt, non planè errare, atque ex his demonſtratum eſſe, maximam auro ineſſe vim & efficaciam, quocunque tandem modo recludatur, ad ſanitatem corporis humani conſervandam.

Eſt nempe, præter dicta, aliud adhuc in Natura menſtruum, ſal aliud, & ſulphur aliud, quo amicè liqueſcit Sol ille terrenus & in liquorem blandum, fermè nullo abhibito igne, ſolâ philoſophicâ ſublimatione faceſſit, de quo jam agam, modò hoc ſimul addiderim, neque antiquos Medicos ab auri uſu in Medicina abſtinuiſſe. *Plinius* enim & *Dioſcorides* teſtantur: Auri crudi, ſed obrizi limatam ſcobem, id eſt, ramentum quàm tenuiſſimum epotum maximo & mirabili auxilio eſſe homini. Unde & ab *Avicennâ* præſcribitur in doloribus & tremoribus cordis, in triſtitia animi, in melancholia, in paralyſi, qui & idem miſcet limatum utiliter medicamentis contra lepram, profluviumque capillorum: teſtaturque quotidiana experientia, plurimos convaleſcere ex potu, in quo aurum candens extinctum eſt. Neq; immeritò. Jam enim, per experimenta plurima facta, compertum eſt, fruſtra impugnari ejus extinctionem in aquis. Qui volet, legat hac de re, *in Meteoro microcoſmi noſtri cruento* p. 53. 54. & 55. vel ipſum *Burrum, in Epiſtolâ ſuâ quartâ de oculis, ad Thomam Bartholinum*, clariſſimum Anatomicum ſeculi noſtri. Et, quid, obſecro, ſibi volunt tot medicamina, quorum claſſes in Pharmacopœa Auguſtana aliisque eruditiſſimorum virorum libris explicatæ ſunt, in quibus aurum reperitur? quid aurea Alexandrina? quid tot pulveres cordiales? quid

aquæ

aquæ apoplecticæ, quid pulveres Marchionis & epileptici tam ſplendidè oſtendunt aurum, ſi hoc pretii potiùs, quod abominandum eſſet, & non uſus gratiâ eſſet illis intermixtum? Dicant vero alii, quicquid velint, una experientia melior, quàm mille rationes, cùm ratio in facilimis decipiatur, & quotidie ſui ruinam expectet ab experientiâ. Quod ſi ergò Sol terrenus tantæ eſt virtutis & efficaciæ, dum adhuc compactus eſt: quantæ erit utilitatis & potentiæ, dum à compedibus, quibus conſtrictus eſt, liber in undam vel ipſo Tago feliciorem faceſſit.

Omnis enim, qui corporeo ſtat carcere clauſus,
Spiritus, & membris terrenis conſociatur,
Eſt miſer haud dubiè, donec ſolvatur ab illâ
Compede & æthereas redeat jam liber ad auras.

Unde *Archelaus Philoſophus* ait: Aurum, in liquorem redactum & aſſumptum, eſſe vitæ humanæ theſaurum, ſanantem infirmitates & morbos hominum, ſi de ſuo liquore aliquid ſumatur. Imò addit: Si vires ejus cognoſcerentur, fore, ut non amplius adhibeatur fides Medicis, qui illud negant, tum, quòd vereantur, ne ipſis lucrum pereat, tum, quòd ignorent modum præparandi. Et *Raymundus Lullius* circa finem *praxecos* ſui teſtamenti fatetur: aquam auri in potu exhibitam debito modo, ſanare corpus humanum ab omni infirmitate, quantumvis veteri; quin & Medicum non opus habere, ut urinam inſpiciat, vel alia excrementa, aut exploret pulſum; ſed, ut ſuo ſaltem utatur medicamento, levi adhibitâ diæta ſeu victûs regimine. Uti enim Sol cœleſtis univerſum & magnum mundum calore & lumine ſuo vivificat; ſic Solem terreſtrem, quem dicimus eſſe aurum, habere vim vivificandi microcoſmum, qui eſt homo.

Sed quærat fortè aliquis, an radicaliter ſolvatur, ut ſit medicina ſalubris?

Reſpondeo, qui hoc inquirunt, illi produnt ſuam in rebus metallicis inſcitiam, ignorantque duplex ſulphur, & duplicem Mercurium in quâcunque re metallicâ. Namque primò in metallis reperitur Sulphur quoddam externum, quod per certa menſtrua, certosque labores evocari & ſeparari poteſt, uti vel ap-

paret, quando certâ methodo cum butyro Antimonii extrahitur calx Solis, relicto corpore albo, de quo conſulatur *Baſilius*: Vel quando extrahitur anima ex Sole, & in aliud corpus translocatur, quod multis notum, licet difficulter in Mercurio Vulgi, propterea, quòd originalem, metalli labem contineat, uti de eo ſulphure in Mercurio accuratè philoſophatur *Adeptorum particeps, incomparabilis Helmontius in progymnas Meteori*: deinde Sulphur quoque internum, hoc ipſi Mercurio metallico adeò eſt unitum, ut ab omni corroſivo intactum maneat, non minùs quàm à deſtructionibus ignis & aëris, unde vel cum Mercurio manet vel prorſus avolat cum eo. Illud ergò per artem eſt ſeparabile, prout præfatus *Helmontius* docet in *lithiaſi capite* 8. de externo Sulphure Veneris, & in *tractatu Butler circa finem*: & *in progymnaſmate Meteori* §. 14. & *ſequentibus*. Unde & externum hoc, ſed à labe originali in aliis metallis purgatum (nam in auro per antimonium purgato externum illud purum eſt, & ſine noxa (in Medicinam à Deo datum eſt: internum ſeparari nequit; ideóque facilius eſt aurum conſtruere; quàm deſtruere. Imò totalis mundi ruina ſequeretur, ſi omne diſſolvens in intimam diſſolvendi radicem penetraret. Ergò nemo inquirat totalem metalli recluſionem, & ſeparationem ſulphuris interni, fixi, à Mercurio interno, cùm hæc fieri nequeat ſive in Mercurio ſive in auro: neque illa, niſi per unicum liquorem conſtructivum, & veram clavem philoſophicam, quæ eſt Mercurius Philoſophorum, cui igneus eſt vigor, & cœleſtis origo. Nobis autem, hoc loco, non eſt ſermo de arcano Adeptorum; ſed de medicamento nobili, ſulphuris externi, jam tum puri, & non inquinati participe. Et, quem in finem, obſecro Te, qui hoc inquiris, exiſtimas, radicaliter aurum ſolvi debere? an, ut à noſtro ſtomacho digeratur & velut alimentum ab eo ſubigatur? Demens es, qui hoc tibi futurum fingis! Mineralia enim nulla ſui commiſtione; ſed ſolo velut aſpectu, peragunt munia ſua, & ſcopos dotium ſuarum aſſequuntur, quod de argento vivo, Vitriolo, aliisque manifeſtum eſt, & *in lapide Butler Helmontius* conſpexit, quæ nimirum, & alia infinita ſine virium ſuarum diminutione, roborisq; aut ponderis

deceſſi-

deceſſu, ſuas dotes in infinitum explicant. Liberè enim agunt, citra ſui diſſolutionem aut interitum, citra ſui penetrationem, introadmiſſionem, commiſturam & commutationem: liberè etiam agunt eminùs, in ſuccenſum vel ſopitum Archæum, ſolo quaſi aſpectu, irradiatione vel ejaculatione ſuarum virium in medio productarum, retentis adhuc priſtinis & non mutatis pondere & proprietatibus. Unde non opus eſt, arcana illa unquam abire in alimentum, quia deſtinata ſunt ad pharmaca, id eſt, ad illuminationem & reparationem, non commixtionem, ad modum lucis, quæ per univerſum orbem ſuos ſpargit radios, luminéque vitali omnia implet, ſine ſui diminutione; & ad modum donorum intellectualium, de quibus videatur *Phyſica reſtituta*. Incipiunt namque in ſtomacho radium directum ſuarum virium ac virtutem dotalem exponere & quorſum à Deo ſunt ditata, ex quo demum in totum corpus ſpargitur hauſta in Archeo vis radialis irrorata & ſanitas inde ſuccedens avidè ſuſcipitur. Apparet ergò jam ſcopus & finis, quo pacto ſæpè aurum, argentum & cruda alia metalla ab antiquis fuerint immixta compoſitis medicamentis, etſi fortè accuratam rationem ignorârint. Quod ſi vero metalla reſerantur & mineralia, jam evadunt ſpecula quædam lucentia, liberanturque eorum virtutes & agunt lumine dotali & contactu vitali, unde penetrant illuminantque Archeum à ſuis erroribus, furoribus atque defectibus longè feliciùs, quàm cùm eſſent ſpecula auri, argenti, Martis, Veneris &c. clauſa; licet nunquam concedant in ſubſtantiam alendis atque augendis partibus idoneam. De quo præter ipſam veritatem, quæ in propatulo eſt, legatur ulteriùs Philoſophus per ignem *Helmontius*, *in tractatu de Verbis, herbis, & lapidibus*. Sed ad Saccharum propero. De auro enim jam ſatis, ſi modo obſervetur quod *Augurellus canit l. 2. Chryſ.*

Ut purum atque omni purgatum ſorde metallum
Accipias, cujus ſecreta in parte receſſit
Spiritus, & craſsâ preſſus ſub mole latenter
Victitat; ac ſolvi vinclis ac carcere cæco
Emitti expectat, tenues effuſus in auras.

Cùmque Auri philoſophici mentionem aliquoties injecerim, notandum judico: Aurum Philoſophorum eſſe triplex. *Primò* enim datur aurum univerſaliſſimũ, quod eſt vis aſtralis, ſive ignis Mercurii univerſalis, cujus pater eſt Sol mater Luna, quodq; ventus portat in utero ſuo, ſecundùm Tabulam Hermetis. *Deinde* eſt aurum particulare: eſtque vis illa intrinſeca, omnibus rebus tanquam forma particularis indita, utpote quæ ſeparata aurum quoque appellatur. Unde, quia in omnibus animalibus & vegetabilibus id quoque reperitur, in uno tamen copioſius, quàm in alio, triplex illud eſt: animale, vegetabile, & minerale, de quo ſic *Dornæus lib.* 1. *Artis Chymiſticæ.* Eſt itaque Philoſophorum aurum, quædam marte compilata medicina temperata, quæ tanquam forma ſeparata à ſuo corpore tantam ad ſubtilitatem redacta eſt, ut in quodvis ſibi objectum, inſtar formæ cœleſtis in ſibi præparatam materiam operetur. *Tertiò* eſt aurum Philoſophorum quoque id, quod ex auro Vulgi in primam ſeminalem naturam redactum eſt. Diſcat itaque quivis probè aurum unum ab altero diſcernere: mente apprehendere cœleſte: cognoſcere elementare, & palpare minerale, ſi ad opus Sophiæ anhelat, ne in groſſi auri & compacti iſtius nobiliſſimi reſolutione deficiat; ſed Gabritium Bejæ connubio jungat ſtabili, de quibus tamen in ſequentibus plura dicentur.

DE SACCHARO.

BEneficio Sulphuris communis & in officinis proſtantis omnis argentea moneta probari poteſt, adeò quidem, ut quantum boni, quantum ſequioris in eâ ſit metalli, probetur per illud, invento centum boum mactatione digno. Et Saturni Antimoniique beneficio, imo etiam Mercurii, pulvis Solis facilè producitur. Ut jam ſileam alios pulveres Solis, tum ad deaurandum, tum ad Medicinam utiles. At neſcio, an Sulphur ſit in naturâ, poſt illud univerſale, quod in carceribus ſuis Saturnus ſive terra concluſit frigore ſuo, melius & felicius ipſo Saccharo? Non

jam

jam recenſebo, quæ ſolertiſſimus Chymicus *Angelus Sala, in tractatu peculiari de Saccharo*, poſteritati reliquit: non, quàm illud ſit omnium ciborum condimentum, & cuilibet ætati & ſexui conveniens, imò & amicum. Operæ ſaltem pretium me facturum confido, ſi ejus potentiam in reſolvendo auro monſtrem, & quod ipſo non aliter ac maritus marita aurum delectetur, ſitque ſaccharum ſingulare & admirandum ſulphur, intra ſua recipiens viſcera aurum, naturæ humanæ planè amicum & proficuum. Dicit *Helmontius*, ſe ſulphurei alicujus liquoris propinatione deprehendiſſe, in ſulphure eſſe remedium ad vitam longam, prout ex incomparabilis illius Philoſophi per ignem ſcripto, *de arbore Vitæ* liquet; diſertiſque verbis pronunciat *Autor novi Luminis Chymici*, qui *Sendivogius*, nobilis ille Heliocantharus Borealis Polonus, à plerisque cenſetur, an rectè? videatur *Bibliotheca Chymica p.* 140. inventâ aliquâ aquâ, in quâ aurum non aliter liqueſcat, ac cera ad Solem, vel butyrum ad ignem, adfuturam rem omni mundo pretioſiorem. Si ergò ſulphur commune tantâ ſuperbit majeſtate, totque gaudet honorum titulis; quid dicetur, obſecro, de puriſſimo aliquo naturæ ſulphure, & aquâ velut congelatâ & ſiccâ, Saccharo nimirum, quod in quibuſdam longè tranſcendit ſulphur illud commune, modò ſit ab omni impuritate liberum, fæcumque expers.

Cæterùm, ne quis exiſtimet, me hîc aſſerere velle: aquam illam Sendivogianam ſiccam, non madefacientem manus, eſſe ſaccharum. Longè illa ſubſtantia altioris eſt indaginis, ſoloque magnete aut chalybe philoſophico, qui reperitur in *Ventre bicornis Arietis*, in quâ utpote cito ſolvitur aurum, parabilis. Sequioris eſt conditionis Saccharum, & determinatione ſuâ longè illâ eſt inferius. Aqua tamen eſt, inſtar vitrioli, coagulata & ſicca, ſolubilis tamen facilimè in aquam, totúmque φλόγιστον & volatile, inſtar alicujus Mercurii aut ſulphuris communis; unde totum inflammatur ardetq; inſtar ſulphuris, cujus jacturam ſanè toties Pharmacopœi experiuntur, quotiescunque potentiore igne, quàm par eſt, illud coquunt, unde cum ipſo ſulphure ſimul abit Mercurius, & cum Mercurio ſulphur, ſive pinguedo, utpote arctè combinata, neque

adeò facilè ſeparabilia, imò & velut ad chalybem lapis alliſus ſcintillas evomit. Si mellis titulo comprehendit Carmine *feliciſſimus Maro*, aëria & cœleſtia dona, ſive etiam ſubſtantiam, Mannæ aut rori ſimilem, in quibus profundiſſima reſident arcana; haud minori titulo gaudebit ſaccharum, utpote quod ex rore cœleſti inter cannas ſuas concipitur, atque deinceps Solis beneficio excoquitur in tam dulcem, noſtræque naturæ amicabilem ſubſtantiam.

Quærunt Chymici, dulcorare omnia medicamenta, per digeſtionem longam, quæ alias prima ſui ſeparatione à corporibus acria & corroſiva ſunt. Non hîc opus digeſtione, non dulcore. Natura hîc dulcedinem monſtrat ſummam, materiam aptam, modò depuratam; ubi neque longâ digeſtione opus eſt, ut aurum ſolvatur ab ipſo, neque longâ coctione, cùm tam amicum conjugium utriuſque ſola abſolvat ſublimatio quædam philoſophica, ſcientibus ſolis nota & cognita. Hoc nempe eſt cœleſte illud & nectareum donum Deorum, quod omne id, quod ingratum eſt, reddit palato gratum, ut proinde non deſideretur in Regum menſis, neque Principum eduliis & potulentis, non, ut ſaltem ſuavitate ſua condiat cibos; ſed & ut omnem arceat corruptionem. Unde *Johann-Baptiſta Porta lib.* 5. *Phÿthognomiæ* non ſine ratione ſcribit: Ex harundinibus ſaccharum extrahimus, non ſolùm id incorruptibile; ſed aliis præſtat, ne corrumpantur: vulneribus injectum à putrefactione liberat· ex eo ſolo ingentia vulnera ſanari vidimus. Sit igitur familiare ſaccharum, vitam prolongare cupientibus, quia nec cibum nec humores in ventre putrefieri permittit. Hæc ille.

At inquiat aliquis: Cur ergò Philoſophus ille ingenioſiſſimus *Helmontius* adeò invehitur in pharmaca ſaccharo cōdita & obducta? cur ipſum in pleriſq; morbis ſtomachi & uteri hoſtile pronunciat: in aliis verò adjunctæ medelæ opē non raro facere ridiculam? Imò, cur ille Saccharum fermento acido ſtomachi adverſari è diametro, ideoque digeſtiones facere difficiliores conſtanter affirmat, utpote lixivio calcis vivæ & argillâ figulina clarificatum, putidasque in eodem feculentias accuſat?

Nimi-

Nimirum, quales in melle differentiæ, tales etiam in ſaccharo inveniuntur. Eſt aliud alio clarius & purius, accuſanturque meritò illi ſyruporum confectores & in aromatum & radicum conditura negligentes artifices, qui impurum puro commixtum retinent, pharmacisque jungunt, unde non leve damnum ægris accerſiri poteſt. At quis hoc de puriſſimo atque ab omni fæculentia purificato dicet ſaccharo? quis non ſummis attollat laudibus ſaccharum, in cryſtallos nitidiſſimas puriſſimasque concretum? Neque tamen officit ſacchari illius, quod refinatum appellant ſive finiſſimum, clarificatio cum calcis vivæ lixivio. *Primò*, quòd aqua calci vivæ ſuperfuſa, tamdiu immota ſtet, uſque omnis calx fundum petierit, & aqua iterum reddatur limpidiſſima & clariſſima. *Deinde*, quòd illa aqua nihil igneæ in ſe habeat acrimoniæ, qualem calx viva aliàs oſtendere ſolet in cauteriis aliisque uſibus; ſed blandam ſaltem aciditatem deguſtantibus exhibeat, vimque abſterſivam ſolùm oſtendat. *Tertiò*, quòd nihil de ſale aliquo calcis vivæ inveniatur in ſaccharo, poſt ejuſdem combuſtionem, uti aliis in rebus deprehendi conſuevit, quæ uſtione examinantur. *Quartò*, quòd ipſius calcis vivæ uſus non adeò ſit exoticus & peregrinus, ut non debito modo & chymicè quidem tractata cedat in uſum & ſanitatem mortalium, de quo, qui volet legere poterit *Fratrem Baſilium Valentinum*, *in ſuo tractatu*, Vom Alten Stein der Weiſen: podagricis enim & calculoſis magnum & certum quidem exinde reſultat ſolamen. Imò memini, me legere, quoſdam leproſos ex uſu fontis, cui natura calcis ſpiritus miſcuerat, haud ita pridem exorti, ſanitati reſtitutos fuiſſe. Nullum ergò ex calcis adhibitione in ſacchari mundatione periculum: nulla infelicitas in ſanationibus pertimeſcenda. Et, cur, obſecro, *Helmontius* ſaccharum acido ventriculi adverſari dicit, cùm ipſemet fateatur, *tractatu de ſpiritu vitæ*, etiam ipſum ſaccharum aceſcere ex fermento ſtomachi? neceſſe enim eſt omnia obedire fermentis, quibus verò ſegnibus & corruptis, quid mirum, interdum optimam medicinam corrumpi? Sed uti dixi, hæc de ipſius ſac-

chari

chari corpore crudo intelligantur. Interiora ipſius nobis arrident, quæ auro, qua efficaciam, nihil cedunt. *Agricola, de Saccharo*, pauca commentatur; extollit tamen ipſius quintam eſſentiam & cryſtallos rubicundas, ex aliis fortè autoribus ita edoctus, quamvis ipſam quoque alleget experientiam. Sed omnium loco ſit *Iſaacus Hollandus, Medicus Chymicus & Artiſta celeberrimus*, qui peculiari de Saccharo edito tractatu, ſed brevi admodùm, monſtrat, quo pacto ex Saccharo ex Inſula Madera adducto, quinta eſſentia parari debeat, qua omnes ſpiritus volatiles retineantur & ipſe quoque Mercurius coaguletur; additque: Und wann man hiervon in den Mund nimmet / ſo hat es einen Himmliſchen Geſchmack / der ſchier keinem andern Geſchmack zuvergleichen iſt. Und ob ſchon ein Menſch alſo kalt wåre / daß er von Kålte beynahe erfroren wår / oder daß er von Natur ſo kalt wåre. So er von dieſer quinta eſſentia einnehme / ſo wůrde er von ſtund an eine natůrliche Wårme kriegen / als er alle ſein Leben lang nicht gefunden hat / ja ihn ſolte důncken als ob er fliehen kӧnte / alſo leicht und luſtig und wol wird alles ſeyn getemperirt mit allen Gliedern. Und ob es Sach wåre / daß jemand ſo untemperirte Hitze håtte / daß er ſterben můſte / und ſo darvon einnehme / er wůrde von ſtund an wieder getemperirt ſeyn und wol zu paß. *Id eſt*: acceptum & deguſtatum medicamen ore, incredibili & planè cœleſti jucunditate afficit linguam, & quantumvis homo ſeu natura ſeu gelu externo extremè frigeat, aſſumptâ tamen ſacchari quintâ eſſentiâ, ad naturalem redire protinùs poterit caliditatem, qualem nunquam per omnem vitam ſenſit: imo tanta animi erit alacritate & levitate corporis, acſi alipedum induiſſet naturam. Quin & ſi intemperie calida adeò quiſquam corriperetur, qua ipſi moriendum eſſet; acceptâ tamen hâc medicinâ, ad temperiem rediturus eſt & ſanitatem. Plura qui deſiderat, adeat *Conradum Khunrath in medullâ deſtillatoriâ, tractatu* 13. *partis primæ*, & inveniet, nullum in corpore humano affectum eſſe, cui non ſuccurrat ſacchari quinta eſſentia; quæ vero hîc recenſere nimis longum eſſet. O ergo planè cœleſtem Sacchari naturam! ô ſulphur inæſtimabile! admiror fæcundam ditemque Naturam, quæ Te in lucem edidit! adoro

Creato-

Creatorem ſummum, qui non infimum Tibi inter tot creaturas aſſignavit locum! Si ſcirent mortales Sacchari Vires, & quanta præſtare poſſent in emendatione plurium rerum, quæ ad œconomiam & ſpirituum vitæ roborationem adhibentur; addo & Bacchi & Cereris. Sed hîc tacere præſtat, ne inſidiis pateant eorum, qui furtivo greſſu omnia expiſcantur; neque enim tincturæ Antimonii, aut, Corallorum, aut aliarum rerum cum ſacchari ſpiritu paratæ, adeò contemnendæ ſunt, ut non intra corpus tutò aſſumi, & multis morbis mederi queant. Felix verò quàm exiſtimatis ſacchari & auri conjugium! Certè tantò illud eſt & erit felicius, quantò incomparabile par, ſummum metallicum nempe & poſt vinum ſummum vegetabile, concretum tamen, licet facilè liquabile, exoptatiori junguntur toro, & in uſum humanum tam uberes ſanitatis fructus, quos exquiſitiſſimis deſcribere verbis etiam facundiſſimo impoſſibile eſt, producere utrumque natum eſt.

Cæterùm, non deerunt jam oggannientes: colorem illum auri noſtri potabilis non eſſe ab auro, ſed à Saccharo, propterea, quòd vel ipſum ſolum Saccharum ſufficiens ſit, ad proferendum ex utero ſuo tincturam rubicundam.

Non equidem hoc nego, ſi enim Saccharo liquato leniter affundatur vel aqua, vel vinum, vel acetum, vel ſpiritus aliquis vini, tincturam ſuſcipit rubicundiſſimam, quam ſanè multis uſibus accommodam novimus.

At tu quiſquis es, qui de veritate noſtri ſermonis dubitas, neque vereris laboribus noſtris & ſcriptis nævum inurere, aut malè de bonis ſuſpicari, redi quæſo ad vera principia; neque dubita de virorum veritatem profitentium ſinceritate ampliùs, vel ad formicam abi, quæ melle & ſaccharo delectatur, ut ſic majorem acquiras ſapientiam & ſedulitatem, in abdita naturæ penetrandi, vix enim ſine his ſapies in chymiâ. Si enim quis videret labores noſtros, & quo pacto ante ullius menſtrui aut liquoris affuſionem, jam tum ſulphur auri extravertatur; illum protinùs de ſuâ opinione facilimè libenterque deceſſurum crederem,

rem, inprimis eo tempore, quo neque ſaccharum liquatum eſt, neque ignem vidit, neque calcinatum eſt, neque vel oleum aut ſpiritum de ſe emittere potuit, tincturæ participem: repagula enim auri jam tum recluſa ſunt, ſulphurque illud externum, quod per corpus auri igneo colore lucet, jam tum in ſuâ purpurà nitet & exiit. Ut neque taceam, non difficile eſſe, ut Saccharum ab eo integrum & non liquatum ſeparetur, tincturâ nihilominùs ſe prodente. Et, ut vera fatear, non illi, quibus ſemper ob veritatem bellum movere placet, mihi litem movent; ſed ipſi Paracelſo, cujus operum ſedula evolutio & lectio me certiorem fecerunt: & credant, neque mihi difficile eſſe, aurum ipſum ſine igne & aquâ ſolvere; in liquidam ſubſtantiam, ut alia taceam, quibus inexperti fidem derogant. At conſultiùs fieri cenſeo, ſi ternarius ille abſolvat encyclopædiam medicamenti nobilis, uti ex brevi hoc tractatu patebit. Non ergò à Saccharo illa tinctura; licet dulcedinem aliquam Saccharum ſuppeditet, atq; medicamen gratum omninò reddat, ſiliquis tamen à corpore Sacchari planè ſequeſtratis, & ne tantillo quidem, quod nocere ſtomacho aut ulli membro poſſit remanente: imò potiùs Sal ſaccharinum ſubtiliſſimum vires medicaminis tantò ocyus membris dividit, atque energiam ejus accelerat, more aliorum ſalium, quorum ope corpora non recluduntur ſaltem, ſed & pervia fiunt. Veruntamen, uti dixi, idem mihi eſt, ſive ſaccharo utar, ſive id omittam, cùm ſcienti clavem Sophicam omnia ſint facilia. Denique notandum ex *Paracelſo*, differentiam eſſe inter quintam eſſentiam auri, aurum potabile & oleum ejusdem. Eſt enim quinta eſſentia auri tinctura, per vini Spiritum extracta, cujus illè modum quoque tradidit, non uno modo: Aurum verò potabile eſt, cùm id, unà cum aliis Spiritibus & liquoribus, in potionem reſolvitur: At oleum auri eſt, cùm ex auri ſolâ ſubſtantiâ, per ſe, fit oleum purum, id quod & incomparabilis Gerardus Dornæus in ſuis tincturis philoſophicis, ubi & nonnullas auri potabilis deſcriptiones poſuit, inculcavit. *Et tantùm de Saccharo.*


DE

D. JOHANNIS TACKII

DE AURO, SACCHARO, ET QUINTA ESSENTIA VINI,

PHASIS I. MEDICUS,

AUREUM FLUMEN REPRÆSENTANS, ET INFIRMITATI HUMANÆ apprimè conveniens.



FRANCOFURTI,
Sumptibus JOHANNIS PETRI ZUBRODT,
& Hæred. JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.
M. DC. LXXIII.

Cœnæ planè excluſerunt, *Manichæos* puto, aliosque iſtorum æmulos.

Verùm enim verò, ne latius progrediar, in vini commendatione, quod, utpote moderatè adhibitum, in quibuſcunque caſibus humanis nunquam ſine laude exiſtit, ad ipſum vini me accingam ſpiritum. Eſt enim vinum liquor ex diverſis conſtans partibus, iisque heterogeneis, ſpiritu nimirùm, qui appellatur Quinta eſſentia, deinde ſpiritu cum ſtriis aſcendente, porrò aquâ, quæ appellatur vulgò phlegma, imò & ſale & oleo, qualia utpote in deſtillationibus & ſeparationibus Chymicis perfectè & phyſicè inſtitutis, nec non & alia inveniri ſolent, de quibus conſulantur illi, qui ex profeſſo de vini naturâ ſcripſerunt. Mihi hoc loco in conſiderationem veniat Spiritus & quinta vini eſſentia, de quibus *Arnoldus de Villâ novâ*, *Lullius*, *Paracelſus*, aliique quàm plurimi ſingularia prodidére: Eſſe nimirum nihil in rerum ordine, quod magis ſit amicabile & proficuum hominis conſervationi, quàm quintam eſſentiam vini. Eſt enim hæc ſpiritui noſtro planè amica, avidéque ab eo rapitur in arterias, & Spiritus vini rectificatiſſimus facilè in ſalem commutatur volatilem, ideóque balſamicam habet naturam, & conſervat ab omni corruptione, habetque ſtellarum indolem, protinusque in cor ſine ulteriori digeſtione per arterias rapitur. Imò ipſe eſt oleum, aqua, ſpiritus & ſal. Spiritus ob tenuem naturam, & quia, niſi organis vitreis accuratè cuſtodiatur, evaneſcit, planè enim volatilis eſt, & in deſtillatione per ſtrias ſpiritualem & aëriam ſatis oſtendit naturam. Oleum eſt, quia totus inflammatur, atque ſic ignis quoque repræſentat elementum. Sal eſt, quia mordicat, imò & in ore detentus, comburit ac veſicat gingivarum epidermida. Aqua eſt, quia libra una aquæ vitæ combita in ſale tartari ſiccato, vix fit ſemuncia ſalis, cæterum totum corpus fit aqua elementalis inſipida, uti prius erat, teſte Philoſopho illo peritiſſimo & nunquam ſatis laudato, *Joh. Baptiſta* van *Helmont*, *tractatu de Aurâ vital.* Sal iterum eſt, quia contactu alterius fermenti, nempe ſpiritus ſalis urinæ totus in offam ſubtilem & ſalinam

linam coagulatur, indolemque ſic inflammabilem ſtatim amittit. Oleum eſt, ſubtile tamen, imò ſubtiliſſimum, quod ipſius pinguedo ſatis demonſtrat. Aër eſt, imò vita rerum, cùm fere æmuletur Spiritum univerſi, ſine quo ne mundus quidem ſubſiſtere poſſit, qui utpote ejuſmodi eſſentiâ univerſali planè conſervatur, & ſui conſervationem habet per unicum hunc ſpiritum ſive Quintam eſſentiam, de quâ relegantur ſuprà citati autores.

Magna itaque in hoc ſpiritu metamorphoſis, magna vis & efficacia. Quid enim mirabilius, quàm ſpiritum ad ſummam homogeneitatem reductum, jamque ab oleo, aquâ & ſale ſeparatum, nihilominùs ſimul eſſe ſal, oleum, aquam & ſpiritum! quid ipſo efficacius, dum cum iſtis vim habet penetrandi & potenter recludendi etiam compactiſſima & ſolidiſſima corpora? Sed, ne quis hoc intelligat de aquâ vitæ communi, ex fæcibus vini deſtillatâ, velim; ingenio & labore opus eſt, neque cuivis ſtatim clavis ad arcana datur. Ex vino ipſo, & generoſiſſimo quidem talis Quinta eſſentia elicienda eſt, ut arcem recludat regiam & exinde producat, quod non ſine tædio ſumptibusq; innumeri quærunt mortales. Et etſi determinationem quandam habeat ex vite, atque ſic appelletur rectius aqua vitis, reverà tamen aqua vitæ eſt, modò ſecreto artificio ad ſummam deducatur puritatem. In centro enim conveniunt omnia, adeò, ut ſecundùm *Artephium* ſubtile mineralium concedat in plantarum nutrimentum, & ſubtile plantarum ſit animalium nutrimentum; unicusq; ſit omnium rerum ſpiritus, ſed alius alio ſubtilior, faciliusq; in quibuſdam è carceribus, in quibus rebus concluſus eſt, cedat, ſi tamen debito magnete ſive cœlo aut compari ſuo trahatur.

Uti enim triplex datur in naturâ regnum: Animale nempe, vegetabile & minerale; ita quoque triplex magnes datur, animalis, vegetabilis & mineralis. Animalis per pulmones, tanquam inſtrumenta, virtutem ſcintillæ alicujus vitalis in corde, in iis, quæ pulmonibus à Creatore donata ſunt, trahit avidè ſpiritum vitæ, qui in aëre inviſibiliter circumvolvitur & deportatur: in cæteris per analogum quoddam inſtrumentum. Eſt

enim, ſecundùm nobilem Heliocantherum Polonum, occultus in aëre cibus vitæ, quem nos de nocte rorem, de die aquam rarefactam appellamus, panis ἐπιούσιος, ſubſtantiæ noſtræ conformis, non, tanquam aer illud ipſum ſit, quo vivimus; ſed ſpiritus aeris, qui à nonnullis naturæ ignis vivifici, vel lucis aut ſtellarum aſſimilatur. Ille, inquam, pabulum verum eſt vitæ noſtræ, quia congelatus melior eſt, quàm univerſa terra. Non aliter in vegetabilibus latet ſcintilla quædam vitæ, utpote, quæ ſecundùm eundem nobilem Polonum, octies milleſima & ducenteſima pars in grano tritici eſſe judicatur, atque ſimiliter magneticâ virtute prædita eſt, dum avidè vitalem haurit ſpiritum, qui ſic hauſtus incorporatur in illâ ſcintillâ, ut novus reſurgat culmus, quod ſanè hoc modo fit: Nam, ſi granum tritici projiciatur in terram, tanquam matricem debitam, tum ſpiritus incluſus in illo grano tritici, imò tanquam compede ligatus in terrâ reſolvitur, ab humiditate pluviæ & aeris, qui verò ſic reſolutus, dum exire ſtudet, atque evolare ex carcere in apricum aërem, relicto corpore craſſo, ſeque conjungere univerſali contendit naturæ, virtute magneticâ trahit & conſtringit ſpiritum aquæ, imò aërem, & ſpiritum in eo, unde momento temporis & ipſe aëris ſpiritus conſtrictus in viridi, eâque nova veſte, corpore priori relicto, ſuperbit, ſicque ex inviſibili naturâ in viſibilem abiit, retinens tamen characterem prioris, cui jungebatur, cùm hodienum ex inviſibilibus viſibilia fiant per applicationem, quod de creatione Apoſtolus, ſed ſublimiori ſenſu aſſeruit. Ab illa enim re unica, cujus Pater eſt Sol, mater Luna, quamque ventus portavit in utero ſuo, fiunt applicationes mirabiles, ſecundùm Hermetis Tabulam. Vapor enim ille elementorum lucem & ignem in ſe continens, in quo rerum latet & propagatur vita, ſemper variatur pro diverſitate fermentorum, adeò, ut ſi ceraſo arbori inſeratur prunus, deveniens illa virtus ad prunum per ceraſum, jam in ceraſum non mutetur, ſed prunum. Ex quorum conſideratione ampliſſimus mihi de pluribus myſteriis jam pateret diſſerendi campus, niſi brevitati ſtuderem.

Aliqui

Aliqui ita de hac re diſſerunt: Si granum tritici proſeminetur in terram, tum ſpiritus ſalis vegetabilis in corpore tritici tanquam compede ligatus, à ſpiritu libero ſalis terræ ambitur & excitatur. Pluviæ ſiquidem ineſt ſal volatile, ex reſolutione in terra facta. Verùm, cùm ſal illud propter ſiccitatem nimiam ſolutioni fœcundiori non ſufficiat, agricolæ agros impraegnant fimo, in quo eſt ſal ejusdem naturæ cum tritico (fimus enim eſt ex ſtramine, quod cognationem habet cum tritico) atque tum pluvia deſcendens, & humor, terræ ſe immiſcens ex terra & fimo ſal exſugit nitroſulphureum, ſibique conjungit, quo confortatur & ſubtilius frumentum gignit. Neque malè: Nemo enim credit in pluvia eſſe omnia, ſalem, lapides, mineralia, quod verò creditu mihi difficile non eſt, qui oculis idipſum non ſemel, ſed multoties vidi, atque rem felici cum ſucceſſu tentavi, vera enim ſunt hactenus, quæ Divi Leſchi generis amator fideliſſimè conſignavit.

Aliqui tamen ſulphuri vim conſtringendi attribuunt, inprimis illi, qui omiſſo ſale ſaltem de duobus agunt rerum principiis, Sulphure nempe & Mercurio. Nam uti ex quatuor elementis tria fiunt, nimirum actione ignis in aerem, ſulphur: actione aeris in aquam, Mercurius: actione aquæ in terram ſal: ita quoque neceſſe eſt, ut per diminutionem ex tribus duo fiant: nimirum ſulphur & Mercurius, maſculus & fœmina, agens & patiens, dominus & ſervus, Gabricius & Beja, & ex his unum incorruptibile & indiviſibile, per potentiam naturæ, adjumento artificis. Unde *Robertus de Fluctibus*, conſiderans, in vegetabili regno quatuor elementa, ingenioſè ſic diſſeruit de tritici multiplicatione: Putrefactione finitâ (ſine qua, teſtibus ſcripturis ſacris, nihil mortuum reſurgere aut exaltari queat) illa ſempiterna & nunquam moriens quintæ eſſentiæ ſcintilla, immediatè à cœleſti ſacerrimi Apollinis progenie (qui ſtatuit tabernaculum ſuum in Sole) derivata, ſeipſam jam nunc per putrefactionem à quatuor elementorum vinculis, quibus in carcere ſuo opaco concluſa eſt, liberatam inveniens, fugam, patriam ſuam ætheriam

verſus

verſus, à qua primitùs deſcendebat, ſuſcipere tentat, atque ita gradatim criſtam vel caput ſuum ſupra terram tenebroſam vel ponderoſam primùm exaltat: Deinde elementum ignis, quod admirabili inclinatione & inviolabili nexu ſpiritui quintæ eſſentiæ connectitur, ſubtilibus fumis & exhalationibus ſurſum è terra, poſt eam quintam eſſentiam exſurgit, non aliter, quàm in Arithmetica numerum 4. videmus conſequenter 5. ſequi, & ſic naturali quodam glutine adhæret elementum ignis illi ætheris, aut, quia impatiens eſſet ſocium ſuum dulcem & formalem relinquere ac perdere, cujus præſentia elementum hoc cum tribus ſuis ſociis inferioribus tantâ pulchritudine ornaretur: aut in eo reſpectu, quòd res quælibet naturali inſtinctu ad libertatem ſuam nativam aſpirat, & in propriam manſionem ſeu patriam reverti avet. Pari ſcilicet ratione, aër ſub inviſibilis ſeu ſubtilis vaporis forma ſeu effigie conſequitur, & immediatè poſt ignem è terra aſcendit, utpote qui ſimili planè naturæ ligamento elemento ignis unitur, quo ignis quintæ eſſentiæ. Tandem, elementum aquæ ſua ſerie & ordine aëri ſuccedit, unde illud immediatè, poſt aërem, ex terræ matrice ſurſum exilire animadvertitur, nam idem ſibi vendicat combinationis privilegium cum aëre, quod aër habuit cum igne. Et quamvis in ultimo loco terra eadem ratione volatile & fugitivum aquæ elementum amplectatur; tamen ratione ponderoſitatis, atque etiam propter ejus in ſphæra ei à creatione aſſignata quieſcendi deſiderium, ſiſtit aquam in ſuo motu, eamque impedit, ne magis ſurſum vehatur; atque iterum aqua impedit aërem, cui naturali amicitia conjungitur; & iterum impeditus aër adeſt igni, tanquam frænum, illumque coercet in ſuo motu, atque hic denique mirabiliter retinet radium ſolis incluſum, illumque prohibet, motuique ſuo, ne magis ſurſum tendat, omninò obſtare videtur; unde provenit, quòd iſte radius cœleſtis in plantæ ſummitate ſeu cacumine, fixè præter appetitum ſuum permanere cogatur, quæ planta per radices ſuas terræ tenebroſæ alligatur, ita, ut ſcintilla hæc ſolaris, iterum partim ab aëre undique obſidente, eamque gradibus inſpiſſationis inſtar retis

undi-

undique involvente, partimque ab elementis cæteris, & præcipuè à terrâ incarceretur, & non aliter captivetur, quàm fuit anteà. Et tamen nihilominùs peculiaris hæc ignis vitalis ſcintilla incluſa non ceſſat, omni momento, magneticâ quadam facultate attrahere, atque ab alto, quaſi in ſuum auxilium atque aſſiſtentiam vocare ſcintillas formales, ignemque ſolarem ſibi ſimilem, ad diſſipanda & violanda vincula illa noviter nodata atque ligata. Nam aër ſemper radiis naturæ multiplicantibus impletur, qui inviſibiliter in fluctibus aëris huc atque illuc vagantur; atque hi parati ſunt ad ſubſidium ſociis ſuis captivis adferendum. &c. Sed hiſce lucis ſcintillis libertatem poſſidentibus, & in aëreo Oceano undique vagantibus, hoc idem accidit, quod famelicis atque audacibus muſcis, quæ temeritatem periculo præferentes, tam profundè inde in limum illum mellis limoſi, ſeu Syrupi ſaccharati ſe immergere atque præcipitare animadvertuntur, ut tandem viſco illi lethali atque exitiali tam firmiter adhæreant, atque ad manſiones ſuas redire nequeant: Hoc idem, inquam, lucidis hiſce Phœbi infantibus ſeu libertinis cœleſtibus accidit, qui inviſibiliter in aëre vagantes fratres ſuos incarceratos liberare aggrediuntur, & dolos ſeu proditiones materiales ignorantes ſubitò captivantur &c. Hactenus *Robertus de Fluctibus*: cujus verba ideò, licet prolixiora, adducere volui, ut habeat benevolus Lector concordantiam eorum, quæ de quatuor elementis, tribus principiis, ſale, ſulphure & mercurio, itemque duobus illis, ſulphure & mercurio, adferri ſolent. Simile enim ſimile ſemper attrahit, neque ſcienti difficile eſt, illa duo, ignem nempe & aquam in omni re conjuncta, atque de virtute & velocitate inter ſe invicem certantia excitare, ut creſcant, & facere, ut ſulphur triplicetur & duplicetur mercurius. Quod quid ſit, mox explicabimus, & de quo, qui volet, legat *Nobilem Polonum*, *tractatu de Sulphure*. In regno tandem minerali inviſibile quoque reperitur ſemen, in ſpermate viſibili, tanquam vitellus in ovi teſtâ, concluſum, quod, deſtructo corpore priori, punctum vix eſt perceptibile; licet *Helmontius* ſatis philoſophicè de eo ſic diſſerat: Etſi hæc familia

mineralium & metallorum non propaget vi ſeminis, nec extra ſe edat poſteros, non proinde deficit ens in eâ, quod illam ad deſtinatos maturitatis fines perducat. Enimverò, cùm nihil uſpiam ſemetipſum diſponat, aut moveat, niſi ſemen ſit: neceſſe eſt, quicquid generatur, id habere intùs diſpoſitorem, qui in aura molli, aquosâ, ſalsâ, lutoſa &c. ſedeat. Non quidem, quòd hîc fluat aut oberret per iſtam maſſam, perinde atque in brutis; aut quòd proinde in perpetuo ſucco habitet: ſed aura eſt per totum incorporata, nec varians ab indole fructus producti. *vid. prædictus Philoſophus lib. de ortu formarum* §. 20.

Quibus innuere quidem videtur, totum corpus eſſe ſemen incorporatum, fortè propterea, quòd illa maſſa tandem excoquatur tota in metallum: At de ſpermate ſive ſeminis capſulâ, & dum natura in primo eſt motu, illum potiùs loqui cenſendum, propterea, quòd & in hoc regno emendando & multiplicando ſequeſtratio fiat & fieri debeat, ſecundùm *Hermetem*, ignis à terrâ, ſubtilis à ſpiſſo, ut magnes ille liberatus ſimilem ſibi attrahat ſpiritum, acceptoque vaſe Saturnus hauriat, quantum poteſt.

Ergò, uti magnes mineralis attrahit ſibi nutrimentum poſt putrefactionem, nec non vegetabilis; ita & animalis hoc ipſum præſtat. Et uti nutrimentum illud inviſibile, ſpiritus aquæ & aëris, in vegetabilibus & mineralibus attractum, coagulatur in naturam attrahentis, virtute ſulphuris coagulantis: ita quoq; in animalibus idem ſpiritus in ſanguinē beneficio coagulantis ſulphuris in ſanguine, coagulatur; aër enim aëri & ſal ſali facilè junguntur, ideoq; etiam magnes noſter animalis, qui aër eſt, avidè ſpiritum vini, qui & ipſe aër eſt, trahit, ſuoque ſimili valdè delectatur. Hic verò trahitur avidè, utpote vegetabilis à magnete animali; imò & hunc ad ſe trahit, ut ſic ſimul trahat & trahatur, mirabili ſanè conformitate. Unde ſolo illo ſpiritu nutritur homo, licet utatur mille variatis cibis & potulentis, quia Natura ſeparat centrum & hoc in ſuam convertit naturam, ut magneti aſſimiletur, aliâs orirentur morbi. Natura enim pura eâdem naturâ gaudet. Et egregio hoc vegetabili magnete reſolvitur aurum. Natura enim naturam ſuperat.

Et

Et hocipſo pulchrum & optatum inter metalla & vegetabilia fit ad medicinam conjugium. Natura enim naturam retinet. Imò, alterum alterius beneficio corroboratur. Natura enim naturam emendat. Ut neque omittam penetrandi vim, quam à ſale habet, ſine quo nulla tinctura vera fieri poteſt. Ipſa ergò Quinta vini eſſentia eſt Sal, Sulphur & Mercurius, quæ tamen alio & duplici quidem ſale & ſulphure vires auctiores nacta citiſſimè abſolvit vim ſuam, imò ferè in momento; licet neque minùs ipſa Quinta eſſentia per ſe proprioque ſale & ſulphure idem, ſed tardiùs, præſtare nata ſit.

Si quæris, quænam ſint illa duo ſulphura, quæ illa ſint ſalia? ingenuè tibi reſpondeo: De altero ſulphure & ſale jam actum eſſe in præcedenti capite, de reliquo verò ut agam, non opus eſſe, cùm perperàm ſit, peregrinum quidpiam ingredi ſpiritum vini. Addam tamen ſublimiori ſermone hoc: Duplicatur Mercurius, cùm in mercurium Philoſophorum exuberatur: Triplicatur Sulphur, quia primò jam tum in Mercurio eſt Sulphur: ſecundò, additione Spiritus duplicatur & ſulphure auri triplicatur, quod eſt anima, teſte *Coſmopolita*, tractatu de Sulphure. Quod tamen non facilè quilibet intelligit, licet fortè ſint, qui principatum in Chemiâ affectent. Legat curioſus veritatis inquiſitor caput ejus *de tribus principiis*. Viderunt feſtiviſſimo ſpectaculo, in Holſatiâ, quibus *Magni illius Herois ac Domini, Domini Friderici, Holſatiæ & Sleſvici Ducis ſplendidiſſimi* curas in ſcrutandis Naturæ arcanis intueri antehâc dabatur, tartarum reſolvi in uvas, variæque magnitudinis botros, non peregrino aliquo addito fermento, ſed illo ipſo, quod erat ex tartaro, id quod deinceps multoties cum jucundiſſimo ſucceſſu alibi tentatum, quo ipſo ſanè labore tartarus non ſolùm facilè ſolvitur; ſed & in penetrantiſſimum faceſſit ſpiritum. Confortari itaque vini Quinta eſſentia proprio ſuo ſale poteſt, qui Tartari appellari conſuevit, quamvis non exiſtimem, Sal tartari vulgare multùm proficui adferre poſſe, cùm eidem directò reclamet *Baſilius* in der Wiederholung des Steins der Weiſen: De alio enim ſale Tartari

loquitur, *in der übernatürlichen Wunder-Artzney* / quod illo longè præſtantius judicat. Licet neque mihi ignotum ſit, ſal Tartari vulgare, & quod in vini doliis, poſt annorum aliquot moram reperitur, non adeò contemnendum eſſe. Unde & in proceſſibus nonnullis Paracelſi Spiritus Vini Tartariſatus multùm commendatur. Addidiſſem genuinos quoſdam modos parandi alcohol vini, ſpiritumque Vini Tartariſatum, aut etiam ipſam quintam eſſentiam vini. Sed, cùm omnium Chymicorum libri proceſſibus ejuſmodi abundent, nolo hîc crambem ab aliis coctam, apponere, actumque agere. Jam enim de eo ſatis egerunt *Arnoldus Villanovanus, Lullius, Paracelſus, Ulſtadius, Phædro* & alij. Imò omnes tyrociniorum ſcriptores non incongrua de illo commentati ſunt. Et non opus eſt ingenioſiſſimis ingeniis præſcribere talia. Sufficiat quædam ſubindicâſſe, quorum nihil non veritati conſonat. Qui verò plura deſiderat de ſpiritu vini, legat *In Alchymiâ verâ, tract.* 9. *von der Creutzherrn in Preuſſen. Practicâ auf das Univerſal.*

Dicis: at impoſſibile eſt, quintam habere eſſentiam, cùm nihil poſſit eſſe ſine elementis? Reſpondet hîc *Artificium ſupernaturale*: cœlum eſſe quintum elementum, non, quòd ſint elementa quinque; ſed quatuor tantùm, quorum purior ſubſtantia diviſa eſt à Deo ſupernaturaliter, in cœlumque ad unionem redacta; & impurior manſit inferius in quatuor partes poſita. Quin &, *Drebbelio* teſte, impoſſibile eſt elementum ſeparare à quinta eſſentia: ſolùm neceſſe eſt, ut quinta eſſentia, quæ eſt elementorum vita, triumphet de cæteris elementis, & prævaleat ignis, qui eſt elementorum vitæ domicilium. Lux enim habitat in igne, ignis in aëre, aër in aqua, aqua in terra, nec unquàm hæc omninò ſeparantur; quin potiùs purificata cum luce triumphant. Et hæc eſsentia lucida & quinta, *ſecundùm tractatum de Sulphure*, eſt omni artifici multùm neceſſaria, à multis contrariis ſeparata, ut habeas corpus ſpiritum & animam occultam, quæ tria, ſi ſeparata & bene purgata, uti diximus, conjunxeris, ſine dubio, imitando naturam, puriſſimum fructum dabunt. Quoniam, etiamſi anima ex nobiliſſi-

biliſſi-

biliſſimo loco aſſumpta eſt, illuc tamen, quo tendit, pervenire non poteſt, niſi per Spiritum, qui eſt locus & domicilium animæ; quàm, ſi vis reducere in locum debitum, opus eſt, ut ſit lavata ab omni peccato, locus quoque ſit purificatus, ut in illo anima poſſit glorificari & non amplius ſeparari. Tu itaque mediam obſerva naturam, ſiquidem anima ſola non erit tibi acquiſitu poſſibilis. Secundùm illud *Augurell. lib.* 1.

Eſt animæ quoniam nil non eſt corporis expers,
Mundus at & mundi partes quoq; corpore conſtant,
Spiritus hæc inter medius ſit, quem neq; corpus
Aut animam dicas, ſed eum, qui ſolus utrôq;
Participans in idem ſimul hæc extrema reducat.
Hic igitur maria ac terras, atq; aëra & ignem
Vivereq; augeriq;, atq; in ſe cuncta referre
Semper avet &c.

Hinc & optimè *Fernelius lib.* 2. *de abditis rerum cauſis cap.* 18. recordatus, purioris Philoſophiæ memoriam propè intermortuam & vulgaris illius ſophiſticæ cavillis obrutam, inquit: Etenim fuſilis & metallicæ illius philoſophiæ τῆς χημείας (ut certè multorum) quùm longâ peregrinatione cumprimis ſtudioſus exiſterem, exercitatiſſimo admodùm præceptore uſus, ex unoquoque tum ſtirpium tum viventium genere ſubſtantias elicui planè varias, primùm quidem aquam, deinde oleum duplex &c. Cæterùm, neutiquam præſtare licuit, ut ex iis quicquam ſimplex purumque ſecerneretur, quòd, ut inquit *Augurellus,*

Quæ miſcet natura potens confundit eodem,
Haud ars ulla poteſt prorſus disjungere.

Quanquam autem ſecreta hæc ſimplicia non ſunt, puriora tamen, quàm in miſtione elucent, iisque ignis beneficio non parùm ſordidæ materiæ ab elementis contractæ deceſſit. &c. At verò qui neglecto quatuor ſubſtantiarum diremptu quippiam ſecernere ſtudent, in quo maxima ſit proprietatis efficacitas, & illa quæ multis dici ſolet quinta eſſentia, primùm è re ſubjecta aquam lento vaporario prolectant, hâc deinde feces reſpergunt, ut ſecundò

cundò humorem eliciant; ſicque ſeptena reſperſione & exſpiratione feces torreri non ſinunt, & ex his vim facultatemque omnem exhauriunt, aquæ maximèque aſsidenti oleo innixam, quæ ad multa utilis accommodataque ſit. Quin & exceptas aquas vaſe pelicani effigie multa agitatione anfractuque longo circulantur, quò hæ vires ſortitæ efficaciſſimas, in Quintæ illius eſſentiæ naturam, vix ulli corruptelæ obnoxiam faceſcant. Hactenus *Fernel.*

At, audio jam regerentes: Spiritum Vini ad res metallicas nihil facere, cùm metalla per ſpiritus minerales potiùs recludi debeant, ut ſulphur medicinale depromant? Nempe, *verbis utar Gerardi Dornei*: Mirum eſt & incredibile vulgo, quod Vini ſpiritus à ſuo corpore tractus & ſeparatus omninò, per continuum circulationis motum, poteſtatem habeat extrahendi quosvis alios ſpiritus à ſuis corporibus, tam vegetabilibus, quàm mineralibus ac animalibus, per ſolam infuſionem. Verùm Philoſophi chymiſtæ nihil verius & experimento magis comprobatum habent, quàm quod activa, ſeparata à ſuis paſsivis, agunt in quodvis compoſitum, & illud per Spiritus agentis acuitatem ſolvunt, ab eoq; ſpiritum ſegregant per ſymboliſationem: quoniam ſimilia ſimilibus attrahuntur, non impeditis, & ſpiritus appetit naturâ propriâ liberari à vinculis corporeis, ac ad ſuam originem redire vel ſibi ſimili copulari. Quapropter mirandum non eſt, ſi Quinta vini virtus & eſſentia prima, rerum omnium infuſarum in eâ vires attrahat, & ab elementis disgreget, ſolutione vinculi naturalis, ſpiritibus per appetitum & actionem paſsiva ſuperantibus. Deinceps reſpondebo ex *Paracelſi* praxi. Nonné hic aurum & argentum fecit potabile cum circulato ſuo, multis non ignoto? Certè, ſtolidi ſunt, qui dum nihil in experto habent, aliis contradicere geſtiunt. Imó, pigri ſunt & indocti, neſcientes ſphæram activitatis & paſsivitatis, rerumque inter ſe correſpondentiam.

Diſce ergo primùm, ô quiſquis es! circulatum *Paracelſi*, & videbis, me vera dixiſſe: imo approbabis hæc omnia. Non verò opus eſt, ut illud revelem, cùm jam tum quàmplurimi plus

æquo

æquo ſibi ſapere videantur, nihilque magis hodie in uſu ſit, quàm movere litem viris, qui apertam profitentur veritatem.

Porrò, audi, quid de Spiritu vini habeatur, in *libro de principiis Naturæ & artis Chymiæ: pag. mihi 36. & 37.* Ex vino extrahitur oleitas urens, ergò participat cum ſulphure; & huic ineſt verè maxima virtus naturæ metallicæ, quam ex terra traxit & concepit. Et ſi illa oleitas vel iſti ſpiritus agiliores ſunt multùm, quàm cæterarum rerum, ideò virtutes eorum ſunt multùm agiliores quàm cæterorum. Sed tamen ſciendum, quòd iſti ſpiritus, ſicut textus Alchymiæ dicit, & eſt veritas, qui veniunt ex vegetabilibus & animalibus rebus, non conducant ad Alchymiam, exiſtentes in natura vegetabili; ſed requiritur, ut per multiplicem deputationem & deſtillationem perveniant in naturam metallicam, & tandem deſerviunt ei. Et paulò poſt. Sunt aliqui in vino & auro & argento, (laborantes) ſic, ut ex vino habeant ſpiritum ejus agilimum, confortantes cum eo virtutem auri, ita ut ſpiritus cum illo figantur, per quos conſequenter dilatatur & multiplicatur tinctura auri. Et pro certo inter ſpiritus vini & ſpiritus auri eſt maxima convenientia ſeu participatio, cùm utrobique ſint naturæ calidæ; igitur ſpiritus vini inſeparabiliter figuntur cum auro. *&c.* Tu verò, ſi cautus eſſe cupis, diſce prius vinum philoſophorum agnoſcere, neque enim metallorum deſtructio fieri poteſt ſpiritu vini vulgari, quia inflammabile vix deſtruere poteſt id, quod eſt non inflammabile, niſi alteretur in naturam ſublimiorem.

At inquiat aliquis: Ergóne Quinta hæc Vini eſſentia totaliter recludit aurum, & ſic quidem, ut in aurum reduci nequeat? ℞. imò, inquam: quin & aurum multiplicare poteſt & gemmas & plura alia. Quærat ſaltem cordatus philoſophus univerſalem poteſtatem & formam, & poteſtates ſive formas particulares facilè multiplicabit. Et hic eſt canon generalis, quem Ulſtadius coelo philoſophorum præmittit: Stellarum vim, quæ coelo philoſophico applicantur, cujuscunque ſint complexionis, naturæ ſeu proprietatis, ipſum coelum perfectiſſimè ad ſe trahit.

Et

Et quid? annon illi, qui ad artem Chymicam accedere vult, conſulit Coſmopolita, qui Sidonius à nonnullis creditur, aliis Sendivogius dicitur, ut, antequam ad artem hanc accedat, inprimis diſcat compeſcere linguam, & naturam minerarum & metallorum inquirere, tùm & vegetabilium, propterea, quòd in omni ſubjecto reperire poſsit Mercurium Philoſophorum, & ab omnibus rebus eundem extrahere, licet in uno ſubjecto propinquius ſit, quàm in alio? Et cur, cùm Medea tribus ante plenilunium noctibus ſua colligere cæpit medicamina, pennisque Draconum luſtravit agros, non collegit ſolùm mineralia & metalla; ſed & animalia; & vegetabilia potiſsimum? Sic enim ait *Naſo Metamorphoſ. l. 7.*

Intereà calido poſitum medicamen aheno
Fervet & exultat, ſpumisq; tumentibus albet.
Illic Æmoniâ radices valle reſectas
Seminaq; & flores & ſuccos incoquit atros.
Adjicit extremo lapides oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare lavit arenas.
Addidit exceptas Lunæ de nocte pruinas,
Et Strygis infames, ipſis cum carnibus, alas.
——— ——— ———nec defuit illi.
Squameæ Cinyphei tenuis membrana chelydri,
Vivacisq; jecur cervi: Quibus inſuper addit
Ora caputq; novem cornicis ſecula paſſæ &c.

annon? quia & in his natura mineralis inveniebatur ad rejuveneſcentiam Æſonis promovendam? Certè, non carent myſterio, quæ hinc inde leguntur penes doctam antiquitatem: Homo, Vinum, Aurum maximè conſpirant, de quibus videantur Teutonicus Philoſophus, Cabala, Iſaacus, Hollandus, aliique quàm plurimi. Sciendum proinde, quòd, uti nullum datur elementum ſolitarium impermixtum, in quo non ſint reliqua tria, ad exemplum animalium, apud *Ezechielem*, *c.* 1. ita quoque Spiritum nullum dari vegetabilem, cui mineralis aliquis non ſint junctus, vel etiam animalis. Hinc enim dantur herbæ Saturninæ, Solares,

res, Joviales, Martiales, Venereæ, Mercuriales, Lunares, in quibus ſæpiùs metallicæ naturæ deprehenſæ ſunt. Toccavienſium uvæ auri colore veſtiuntur; ſuntque, qui dicunt, ex abſynthio ſe habuiſſe plumbum: ex ſanguine humano mercurium, ſi modò per inunctiones non introductus fuit, quod ideóque illorum fidei linquo, & ex certâ quâdam herbâ argentum, teſte *Fioravanti*. Et quis neſcit, in urinâ hominis eſſe virtutem mineralem? Siquidem arenulæ cum eâ ſecretæ, & aurea ſupernatans urinæ pinguedo, qualis etiam aquis innatare ſolet ſtantibus ſive quieſcentibus, menſe Junio & Julio, teſtimonium ſatis perhibent vitriolicæ in homine naturæ. Et quid de plantis cenſendum, quæ ſe ad contactum hominis contrahunt? De quibus conſulatur *Borellus* in obſervationibus ſuis, niſi quòd Spiritui vegetabili ſubtilior adhuc ſit mixtus, animalis nempe: vel quia vegetabilis in illis Spiritus ad animalis quodammodo ſubtilitatem aſcendit. Nemo itaque dubitet, naturas minerales vegetabilibus & animalibus mixtas eſſe. Quò pertinet illud *Alphonſi Regis in Clave Sapientiæ*: Corpus minerale eſt ſubtile terræ terreum: Et plantæ eſt ſubtile mineræ; Et corpus animale ſubtile ipſius plantæ. Ex elementis enim generantur corpora mineralia: ex mineralibus generantur plantæ, & ex plantis animalia. Et quia unumquodque reſolvitur in ea, ex quibus componitur; ideò animalia, quando corrumpuntur aut reſolvuntur, generantur ex iis plantæ, viâ reſolutionis: eodem modo ex plantis mineræ: mineras autem in elementa: elementa in naturas reſolvi neceſſum eſt. Notabiliaque ſunt *Cabalæ Chymicæ* verba: Ein Prob haſtu geſehen/daß der Wein/der ein vegetabiliſch Gewächß iſt/hat ein Sal gegeben/da wird es unter die mineralia gerechnet. Unde fortè multi in vini anatome deſudârunt. Sed, ut ſæpè dixi, magnete opus eſt, igne aquâ, fonte Salmacis, chalybe, qui reperitur in Ventre Arietis, hinc eum probè obſerva juvenem, menſe Martio, ne adultior Tibi non ſit ignotus.

De cætero, ſi patienter audierit talia propoſiturus, expediam me certis brevibusq; verbis: Nempe uti impoſſibile eſt, ſine cœlo, & forma univerſali recludi terram quæ virum ſuum expectat, ſub

initia Veris; ſic & difficile eſſe, recludere aurum ita, ut internus Mercurius à Sulphure interno ſeparetur, uti dictum eſt, titulo de Auro, circa finem. Si enim hoc fieret, quomodo coagulatio nova fieri poſſet, in opere Sophorum, Mercurii? quomodo Mercurius fieri poſſet Sulphur & Sulphur Mercurius? Et per corroſiva impoſſibilem eſſe ſolutionem auri talem, quæ proficua ſit & reduci non poſſit in priſtinam auri ſpeciem, uti ingenioſè docuit *Helmontius*, ſecretorum Naturæ arbiter magnus, in diſpenſatorio moderno: dum ait: Condolendus eſt error eorum, qui aurum, argentum, coralla, perlas atque ſimilia per liquores acidos corrodunt, atque diſſolvere videntur, putantque, hoc pacto intra venas admiſſum iri, verè ſuas proprietates nobiſcum communicatura. Neſciunt enim, ah neſciunt, acidum venis hoſtile; ideóque peregrinâ diſſolventium ſuperatâ & tranſmutatâ aciditate, ejuſmodi metalla & lapides, pulverem eſſe, ut ante. Qui utcunque in tenuiſſimum pollinem ſit redactus, nihil tamen à ſtomacho conficitur, aut nobis ſuas vires partitur. Quod ut coram videas. Affunde enim ſalem tartari rebus disſolutis, in liquore aliquo pontico corroſivo, ac ſtatim disſolutum cadet in fundum in formâ pulveris. Si enim aquæ fortes metalla non mutent in ſubſtantia, licet facta ſint tranſparentia, quæ ante erant opaca, quin argentum inde ſoſpes recuperetur; quâ cœcitate ergò propinant lapides & perlas, quaſi per corroſiva relinquerent priſtinam lapidum aut metalli eſſentiam? Subtilis enim fuit deceptoris inventum ut ſua magno apud ægros æſtimaret. Quia ignari deceptores putant, ſi disſolvens à disſoluto per viſum non diſtinguatur, etiam disſolutum ipſum verè ſubſtantialiter eſse tranſmutatum Unde & allegat propriam experientiam, in Progymnaſmate meteori, dum ait §. 6. & 17. Contunde aurum in laminas, deinde in tenuiſſimas bracteas, inde verò in aurum pictorum, mox item in marmore leviga Deinde cum cinnabari & ſale in alcohol impalpabile figas, ſepara cinnabarim per ignem, & aquâ ſalem ablue, idque pro lubitu ſæpius repete. Tandem cum ſale armoniaco, ſtibio, & mercurio ſublimato, & per retortam pelle, idque

idque ſepties repete, ut totum aurum in formam olei punicei volatilis redigatur. Eſt enim ſummè levigatum, imò & durum, ſolidum, malleabile, ac fixiſſimum corpus, quod jam olei in naturam verſum videtur. At ſanè, mentitus ille liquor in priſtinum auri pondus & corpus facilè redigitur, prout ſal in aquâ ſolutum ſal eſt & manet, & inde repetitur ſine ſalis mutatione, quod ſanè ſic non fieret, ſi diſſolvens jungeretur diſſolvendo per minima, & non ſiſteretur à Mercurio illius concreti. Nam impoſſibile eſt, per ejusmodi corroſiva metallum in interiora conſtitutiva reſolvi, ideoque jubet, ut diſcant prius tyrones (addo ego, & periti aliâs) metallorum putrefactionem. Nam niſi intercurrat fermentalis impreſſio per putrefactionem, quæ præcedit quamlibet radicalem ſolutionem, fruſtraneus omnis eſt labor, operaque & oleum perditur; de quâ verò putrefactione artis clave, cùm omnium Philoſophorum libri pleni ſint, ego hîc agere nolo, cùm, quod à condito mundo ſilentii ſacro involverunt Philoſophi, tenues evolare in auras nefas ſit. Nemo enim, meo judicio, omnium vulgarium Chymicorum, niſi verus Philoſophus, invenitur, cui ſive materia ſive ejusdem cognita ſit putrefactio. Sufficiat itaque, aurum totaliter recludi poſſe: Mercurium verò internum à Sulphure interno non ſeparari, ſed hæc fortificata ad incredibilia progredi. Etſi enim inceſſanter pugnant inter ſe, poſtquam natura ea conjunxit in proportione, per excitationem caloris extrinſeci; tamen tandem amici fiunt in terrâ, quæ cum illis aſcenderat, neque unquam localiter ſeparantur, ſed ſimul continuè aſcendunt & deſcendunt, donec quieſcant. vid. *Coſmopol. in tract. de Sulphure. cap. de tribus principiis.* Cæteroquin verum eſt illud Augurelli;

Alter inauratam noto de vertice pellem
Principium velut oſtendit, quod ſumere poſſis,
Alter opus quantum ſubeas.
Latet enim arbore opacâ, ſecundùm Maronem,
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus ſacer.

qui labore ingenti & magno judicio tractandus eſt, ut, quemadmodum

Pingue ſolum primis ex templo à menſibus anni,
Fortes invertant tauri, glebasq́; jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas,

Quo illa demum ſeges avari agricolæ reſpondeat votis, etiam hic vitæ ſuæ principium, quod in ſe recondit, ignem videlicet inſitum, cœlitus infuſum, & qui ſub duro metalli cortice hebes factus, motus expers, & velut theſaurus incantatus latet, libertatem conſequatur, ſpiritumque ſubtilem & cœleſtem animam, per vegetationis motum, & ſpiritum quintæ eſſentiæ, qui totus ignis eſt, potenter explicet, tandemque in ſummam artis & naturæ perfectionem exaltetur, teſte *Encheirid. phyſ. reſtitutæ* §. 166. quamvis

Ille volens faciliſq́; ſequatur, & primo avulſo non deficiat alter illi, qui

Maternas agnoſcit aves
& geminæ cui fortè columbæ
Ipſa ſub ora viri cœlo venére volantes.

Sed quò proripior? Nulla in noſtrâ ſolutione corroſiva: nulla acida: naturæ amica ſunt omnia: aurum, vinum, homo, saccharum multùm ſe amant, delectantur ad invicem & conſpirant amicè, unde fermentis in corpore noſtro ex his nulla peregrinitas aut infectio pertimeſcenda. Sit verò, reducatur per ignem iterum in metallum? an verò tum non eſt medicamentoſum? an impar reſtaurandis viribus, an auri potabilis nomine indignum? Nempe ad Alchymiam inutile eſt, non ad medicinam, ob putrefactionis defectum, ſine quâ nova generatio fieri nunquam poteſt. Quemadmodum enim Mercurius, corallatus dictus, ritè præparatus & per aquam ovorum in mercurium fixum factus, (licet & de aliâ ovorum aquâ adepti loquantur Philoſophi, quod deprehendi poteſt in Dee Londinenſis tractatu,) egregium fit medicamentum, adeò quidem, ut purget corporis humani ſordes, ulceraque veſicæ, laryngis & œſophagi, dulcis enim eſt, neque corroſivus; deperdit tamen omnem virtutem medicam, ubi in album metallum reducitur, *teſte Helmont. cap.* 14. *de febribus*, quia

nimi-

nimirum per debitos labores Mercurii ſulphur extraverſum, ubi in metallicam abit pulvis ille duritiem, iterum introvertitur: Sic in extraverſo ſulphure auri in noſtro medicamine ſtat virtus medica, irreducibilis, ſi clavem nactus fueris, aliâs non. Tu ne erres, lege continuò Cabalam Chymicam, & diſce diſcernere Spiritus non inflammabiles ab inflammabilibus, horumque permutationem, & quòd Philoſophis aliud vinum ſit cognitum: Nam Vinum Philoſophorum utique ſpiritum in ſe continet mineralem, de quo aliqua initiò conſtitueram dicere. Sed ut aliquid *Curioſis* relinquatur, opus eſſe judico, ut hîc ſubſiſtam. Sufficiat me nihil intactum ſiviſſe, imò plura fortè, quàm par eſt, his prodidiſſe diſcurſibus. Adepti me intelligent.

Hoc ergò certum eſt, multùm differre aurum hoc potabile ab illo, quod per corroſiva fit: Solventia hîc alterius ſunt monarchiæ, cum in illis præcipitatio per tartari oleum ſit prompta: hîc v. nulla præcipitatio fiat aut fieri poſſit: quin potiùs ipſum tartari oleum ſe facilè miſcet, atque ipſum quoque tingitur, facto experimento, ſi ejus aliquot guttæ auro potabili affundantur, quamvis planè ejus compoſitionem non intret. Metire ergò jam, ô homo, quisquis es, auri noſtri potabilis veritatem & efficaciam! Panaceam audiſti deprehendi in ſolo Sole, in ſolo Saccharo, in ſolo Spiritu Vini. Quid tibi polliceris ergò ex tribus his ſuavi conjugio, ſine violentiâ ſolutis, conjunctis & in flumen Tago longè felicius liquatis. Profectò, ſi Solis cœleſtis quoddam ſimulacrum eſt, Sol terrenus, aurum; jam omnes illius vires in hoc medicamen aureum concentratas eſſe, meritò dicere poſſum, adeò cœleſti lumine ſplendet, adeò rubini tincturâ conſpicuum eſt, adeò pyropum imitatur, adeò excitat laſſata corpora, adeò reſtituit naturam labentem, ut, quicquid de eo dixero, minùs mihi videatur ejus viribus. Meminit *Paracelſus* (cujus & hoc inventum eſt, de quo libellum hunc ſcripſi, quemque ut Præceptorem hujus arcani meritò veneror) *in ſuo manuali lib.2.pag. mihi* 405. factum fuiſſe ſuis temporibus, in Alemanniâ, (verba ipſius ſunt) quòd quidam Alchymiſta fecerit Spiritum vini, & cùm hoc aurum

potabile; & cum illâ Medicinâ Alchymiſtam 50. annorum ſe feciſſe in formâ 20. annotum, tam in fortitudine, quàm in pulchritudine, capillos cecidiſſe, dentesque eum perdidiſſe, ſed omnia rurſus creviſſe. Qui dubitat de hoc noſtro, an idem ſit cum illo, experimentum faciat, & rem veram ſucceſſu temporis, uſuque continuo percipiet ſine moleſtiâ, cùm juxta Paracelſi mentem omninò paretur. De *Elixire* aliâs *vitæ Florentino* in publico proſtat teſtimonium, quòd valeat ad præſervationem hominis, ne ſenii incommoda ſentiat, quòd reſiſtat putredini, quòd vires confortet naturales, vitales, & animales, quòd ſyncopen tollat omnemque lipothymiam, quòd epilepſiæ & apoplexiæ medeatur, quòd lethargicis utile ſit, quòd flatus omnes diſſipet, quòd calculoſis & urinæ difficultate preſſis, imò & colicis, & palpitatione cordis laborantibus ſubveniat, & quòd multis aliis incommodis eliminandis è corpore & animo noſtro idoneum ſit, quod quidem teſtimonium Italicâ linguâ editum huc referrem, niſi exiſtimarem, lectorem ejus lectione remoratum iri, cùm jam tum ex præcedentibus ejus efficacia notabiliter colligi poſſit. At in eodem Rubini, Smeraldi, jacinti, perle orientali, & altre gemme, oro puro, Ambra, muſco, è molti ſemplici & aromati di diverſe qualità ſono deſtillati, ut verba habent Italica. In noſtro verò medicamine omnia Naturæ convenienter eunt, neque tanta eſt congeries. Per analogiam quandam, ad opus magnum Philoſophorum, mas adeſt & fæmina, ſuperius & inferius, corpus & ſpiritus, agens & patiens, ſolvens & ſolutum, rex & regina: Aurum, quod in amplexu Sacchari fermè evaneſcit & ab eo devoratur: Saccharum, quod amoris impatiens aurum planè intra ſua viſcera condit: Spiritus, quo aurora reducitur, ut Sol tantò ſplendidior oriatur, radiosque ſuos vitales corporis noſtri infirmitatibus impertiatur. Adeſt porrò Sulphur peculiare, Sal ſingulare & Mercurius omniò homogeneus, quorum nullum tamen eſt ſine alio, quin potiùs Mercurius ſuo gaudet ſulphure & ſale: Sal ſuo Mercurio & ſulphure, & ſulphur ſuo Mercurio & ſale. Quo ipſo tamen monendos velim omnes hujus ſcripti lectores, ne adeò faſtidiant ge-

nui-

nuinam Tartarī philoſophici Anatomiam, diſcantque conjungere ſpiritum vini cum ſale proprio, ut fixum fiat volatile & volatile fixum, quibus habitis, neque opus erit igne illo Gehennæ, qui Alcaheſt vocatur, neque aliis operoſis menſtruis aut aquis fortibus; cùm vel ex hoc parvo libello liquorem genuinum Alcaheſt haurire poſſis, imò totum Sophorum opus. Tantùm enim abeſt, ut Tartarus etiam vulgaris ſit merum excrementum vini, ut potiùs ſit anima ejusdem & vis conſervativa, imò ſal ſpecificum, quo non datur aliud in rerum naturâ ſimile aut majus, ſi id ſcias philoſophicè præparare, præterquàm illud, quod ſuam è cœlo deducit proſapiam, omnibus obvium, nemini notum, aquila nimirum expanſa, aut ignis elementaris, cum ſuo liquore elementari, quæ ſingulari coctione opus habent, ut ad invicem uniantur, neque in æternitatem diſſolvi queant, quorum pater eſt Sol, mater Luna, aqua nimirum non madefaciens manus, Sal alcali, Sal armoniacum Philoſophorum, cœlum noſtrum, aqua in mari mundi verſans, in qua circumrotatur gloriæ Divinæ majeſtas, de quâ *Ezechielis c.* 1. In quâ mundi totius conſervatio & perpetuatio: unde vivimus, ſumus & movemur, Deo ita dirigente & cooperante, res ſic dicta vilis & ubivis obvia, externam ſpeciem intuentibus; Philoſophis v. veris pretioſiſſima, ſigilloque taciturnitatis obſignata. Breviter, ſecundùm Phædronem unum eſt in mundo objectum omnium, quod propriè dicitur Philoſophorum. In teſtitudine manet album & rubrum in ſe continet. Unum maſculus, aliud fæmina nuncupatur, animale, vegetabile, æs minerale: nullum reperitur tale: activam vim habet & paſſivam, ſubſtantiam mortuam ac vivam, ſpiritum & animam, quam vocant ignari rem viliſſimam: quatuor continet elementa in ſuo gremio contenta: ubi eſt, reperitur, ab omnibus communiter habetur: parvo redimitur pretio: libra una habetur pro uno ſolido. Aſcendit per ſe, nigreſcit, deſcendit & albeſcit, creſcit & decreſcit. Res eſt, quam terra producit, & de cœlo deſcendit, palleſcit & rubeſcit, naſcitur, moritur, reſurgit, poſteà iterum vivit, per plures vias tendit ad finem, ſed propria decoctio ejus ſupra ignem, eſt

len-

lenta, fortis, modeſta, augmentatur, quouſque ſecurius quieſcendo rubificetur. Sed

Ardua prima via eſt, & quâ vix manè recentes
Enituntur equi: media eſt altiſſima cælo,
Unde mare & terras ipſi mihi ſæpe videre
Fit timor, & pavidâ trepidat formidine pectus.
Ultima prona via eſt, & eget moderamine certo.
Ire per inſidias opus eſt formáſque ferarum.
Utque viam teneas, nullóque errore traharis,
Per tamen adverſi gradieris cornua Tauri,
Æmoniósque arcus, violentique ora Leonis,
Sæváque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia cancrum.
Nec tibi quadrupedes animoſos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore & naribus afflant,
In promptu regere eſt — — —

Dum ergò tantæ molis eſt, Lunam cœlo deducere, eclipſin procurare, lucem creare, mundum reparare, mortem cum vitâ commutare, hoc intereà Philoſophiæ Cultores ſibi commendatum habeant ſecretum, pro ſanitatis noſtræ conſervatione ingenuis & perſpicuis revelatum verbis, uſque dum meliori munere Divûm frui uti liceat. Videant modò, qui huic manus admovent aut admovere volunt, ne auri ipſos nimia ſolicitet cupido, aut retrahat avaritia. In tenebris enim ambulabit, qui Solem interdiu & Lunam de nocte non habebit. Operentur ſublimando non ſophiſticè, verùm philoſophicè, & dum calcinant, videant, ne igne oleum & operam perdant. Laborandum eſt, juſto pondere, menſurâ debitâ:

Nil etenim immundum patitur puriſſimus æther,
Nec pravi aut ſtulti cæleſtia limina tangunt,
Hora brevis bona cuncta rapit, tunc fabula reſtat.

FINIS.

D. JOHANNIS
TACKII
CHRYSOGONIA
ANIMALIS ET MINERALIS,
Sive
PHASIS II. CHEMICO-PHYSICUS,
Magnum Philoſophorum opus pro conficiendo elixire ad metalla & corpora humana cum generatione ſanguinis humani in corpore humano comparans.



FRANCOFURTI,
Sumptibus JOHANNIS PETRI ZUBRODT,
& Hæred. JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.
M. DC. LXXIII.

Hippocrates lib. 1. de Diæta cap. 8.

AUrum operantes tundunt, lavant, molli igne liquant: forti autem non conflatur. Ubi autem elaborarunt, ad omnia utuntur. Homo frumentum tundit, lavat, molit, & ubi igne coxit, utitur: Et forti quidem igne in corpore non conflatur, ſed leni tantum.

MAgnus es *Orator*, TACKI, Tibi copia rerum
Suppetit, ut *Sermo* ſpontè venuſtus eat,
Viſus es in *Noſtra* (memini) florere Cathedra,
Quicquid dicebas fulminis inſtar erat:
Et certe ſenſit, TE diſcedente, Lycæum
Noſtrum Splendoris maxima damna ſui:
Egregius Medicus Tu noſter TACKIUS audis,
Solerti morbos, *arte* fugare potens,
Curandis hominum morbis Tua *D*extera felix
Semper adeſt, Medica clarus in arte clues.
Præ reliquis commiſſa *Tuæ* eſt hæc Principis Aula
Curæ, rem curas, ſorte favente probe.
Quid memoro? *Hermetis* quæ ſunt inſculpta *Smaragdo*,
Et parvi mundi myſtica ſacra refers.
Inſuper *argutum* meritò TE appello *Poëtam*,
Excellis, Phœbo judice, in arte tua;
Hoc ex aſſe probant Monumenta erecta GEORGO,
Haſſorum Divo Principi, itemque Patri:
Credo equidem, cunctas Vires ſi magnus Homerus
Conferret, vix hoc conſtrueretur opus:
Judicio, Ingenio viciſti, & neſcio certè,
Verba cui Venâ divitiore fluant?
Maximus Haſſorum Princeps LUDOVICUS id ipſum
Vidit: *mirandum, TE duce,* fecit *opus*.
Extollant alii ſua Mauſolæa, quod ecce!
Princeps exſtruxit, vincere quæque poteſt.
Perge tot egregiis factis extendere famam,
Haſſia TE (TACKI) ſuſpicit atque fovet.

Hiſce
Viro Nobiliſſ. & Experientiſſ. DN. IOHANNI TACKIO, Philoſophiæ & Medic. Doctori, Profeſſori & Archiatro Haſſiaco feliciſſimo, Oratori diſertiſſimo, Philoſopho acuto, ſuoque Fautori & Compatri honorando ex Animo gratulatur

Gieſſæ è Muſæo, feſtinantiſſ. calamo 25. Martii, Anno 1664.

EBERHARDUS FABRICIUS,
J. U. Licent. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, & Conſiſtorii Giſſeni Aſſeſſor.

INDEX

Rerum, Phaſide primo ſive de conſanguinitate Sacchari, Auri & Spiritus Vini contentarum.

A.

ÆS Corinthiacum auro pretioſius. 3.
Auro non fit lapis Sophorum, niſi ſemen edat. 1.
Auri analogia cum ſole cœleſti. ibid.
Auri differentia à reliquis metallis. 3.
Aurum unde generetur. ibid.
Aurum ad rerum permutationes non ſemper fuit in uſu. ibid.
Aurum potabile per aquas regias factum, rejicientibus reſpondetur. à 4. ad 7.
Aurum in uſu Medico Veteribus fuit. 8.
Aurum in ſubſtantia ſumptum laudatur. 8. & 9.
Auri liquidi præſtantia. 9.
Aurum an radicaliter ſolvatur, ſi ſit ſalubre. 9. 10.
Aurum Philoſophorum triplex. 12.
Aurum Saccharo jungi gaudet. 13. 14.
Auri potabilis color unde ſit. 17.
Auri tinctura, oleum & quinta eſſentia ejusdem inter ſe differunt. 18.
Aurum à corroſivis non deſtrui, probatur. 34.
Aurum in quantum in opere Sophorum recludatur, ibid. & 35.
Aurum noſtrum potabile an præcipitari poſſit. 37. in eo ſtat ſulphur Auri extraverſum. 36 virtus ejus Medica. à 36. ad 38. confirmatur exemplo Mercurii corallati. 36. & 37.

C.

Circulatum Paracelſi aurum & argentum potabilia reddit. 30.

E.

Elixiris vitæ Florentini virtus. 38.

H.

ex Hydrargyro fit liquor Alcaheſt. 6. &c.
Herbæ quædam ſaturninæ, Joviales. 32. & 33.

I.

Jupiter ſeu ſtannum, unde generetur. 3.

L.

Leproſus uſu fontis Spiritu calcis imprægnati curatus. 15.

M.

Magnes trium regnorum. 22.
Mercurius duplex in metallis. 9.
Mercurii labes originalis. 10.
Mercurius Philoſophorum etiam in regno habitat vegetabili. 32.
Mercurium duplicare, & triplicare ſulphur quid ſit. 27.

Metalli

Metalli totalis recluſio non requiritur in auro potabili, eorumque qui id volunt, dementia. 10.
Metalla & mineralia quomodo in nos agant. 11.
Metallici ſeminis inviſibile punctum. 25. & 26.
Mineralia non cedunt in ſubſtantiam alendis partibus idoneam. 11.

N.

Nutrimenti trium regnorum identitas. 26.

P.

Philoſophorum ſubjectum ex Phædrone deſcribitur. 39.
Philoſophici operis immanis labor. 40.
Podagricis Saccharum proficuum eſt. 15.

Q.

Quinta eſſentia Sacchari Mercurium coagulat. 16.
Quintam eſſentiam haberi poſſe, impoſſibile eſſe, objicientibus ex Drebbelio reſpondetur. 28.
Quintæ eſſentiæ è rebus educendæ obſervandum medium. 25.
Quintam eſſentiam parandi methodus. 29. & 30.
Quinta vini eſſentia aurum non ſolùm recludere, ſed & multiplicare poteſt. 31.

R.

Regnorum in natura trium conſanguinitas, & à reſolutione mutua metamorphoſis. 33
Rejuveneſcentis Alchimiſtæ hiſtoria. 38.

S.

Saccharum totum inflammatur & volatile eſt. 13.
Saccharum quomodo gignatur. 14.
Saccharum corruptionem arcet. ibid.
Sacchàro condita & obducta pharmaca cur ab Helmontio culpentur. ibid.
Saccharum facit ad vitam prolongandam. 14. 16.
Saccharum an fermento ſtomachi adverſetur. 15.
Sacchari clarificatio cum lixivio calcis vivæ, an approbanda ſit. ibid.
Sacchari quinta eſſentia laudatur. 16.
Saccharum ab auro ad potabilitatem deducendo, antequam liquatum ſit, integrum ſeparari poteſt, tincturâ nihilominus ſe prodente. 18.
Sal nitri quomodo generetur. 5.
Sal, ſulphur & Mercurius quomodo fiant. 23.
Saturnus ſeu plumbum unde generetur. 3.
Spiritus vegetabilis abſque minerali, vel etiam animali, non datur. 32.
Spiritus ſive quinta eſſentia vini commendatur. 20.
Spiritus vini magnam habet vim & efficaciam. 21.
Spiritus vini an recludat res metallicas. 30.
Spiritus vini an recludat totaliter aurum, ita ut in aurum reduci nequeat. 31. & 34.
Sulphur duplex datur in metallis. 9.
Sulphure communi monetæ probantur. 12.

Sulphur

Sulphur univerſale Saccharum proximè accedit. 13.
Sulphur auri potabilis quando extravertatur. 18.

T.

Tartari reſolutio in variæ magnitudinis botros & uvas, ejusdemque Spiritus uſus & præſtantia. 27.
ad Tartari anatomiam moventur Philo-Chymici. 39.
Tartari ſal, 27. & 28.
Tartari ſal cum ſpiritu proprio volatiliſandum eſt. 39.
Tinctura auri noſtri potabilis an à Saccharo dependeat, 17.
Tincturæ Spiritu Sacchari extractæ laudantur. 17.
Tritici vegetatio trifariam deſcribitur. à pag. 22. ad 25.

V.

Vini & vitis deſcriptio. 19.
Vini analyſis, & quintæ ejus eſſentiæ deſcriptio. 20. & 21.
Vini Spiritus ſitne utilis ad res metallicas. 30.
Vini Spiritus, quatenus de ſulphure urente participat, naturæ metallicæ confinis eſt. 31.

FINIS.

CHRYSOGONIA ANIMALIS ET MINERALIS.

CHryſogoni feria in faſtis memorabilis eſt, *Martyris* inquam, qui juſſu *Diocletiani* Imperatoris, acerrimi & abjuratiſſimi Chriſtianorum hoſtis, poſt longa carceris tædia & vincula, in quibus conſtantiſſimo animo, *auri* inſtar, quod vel inter æthnæas fornaces intemeratum manet, nihilque de ſuo ſplendore & valore amittit, *Chriſtum* Servatorem noſtrum profeſſus erat, *Aquilejam* perductus, capiteque plexus & in mare denique projectus martyrium complevit. Dignum tanto *Martyre* nomen! qui, ſive *auronatus* ob hanc appellationem videri poſſit, ſive genuiſſe *aurum*, nihil commiſit, quod non exæquet, imò ſuperet auri majeſtatem. *Chriſtus*, Juſtitiæ & veritatis Sol genuerat eum verbo ſuo, quod deſiderabilius *Davidi* fuit, præ auro; imò, quod ſolum in ſe virtutem habet divitias conferendi, ſecundùm illud Apocalyptici, ad Angelum Eccleſiæ Laodicenſium: *Dicis, dives ſum & ditatus & nullius rei vivo indigus, cùm neſcias, quòd miſer ſis & miſerabilis & pauper ac cæcus & nudus. Suadeo tibi, ut à me emas aurum ignitum ex igni, ut locuples fias.* Neque minùs & ipſe *Chryſogónus aurum* genuiſſe credi poteſt, ad eum morem, quem *Hermetici Philoſophi* obſervare ſolent. Prout enim hi inprimis ad *auri generationem*, quam hujus putrefactio meritò præcedit, requirunt *aquilam expanſam*, ſpiritumque fortitudinis, penetralia auri reſerantem; ita & hic *Aquilejam* primò duci cæpit, initurus cum ferocitate Aquilæ Romanæ acre duellum, imò, cum ipſo mortifero *Satanæ*

Mercurio luctaturus. Et, quemadmodum deinceps ille capite plexus, inque mare projectus martyrium complevit; ſic & prædicti *Sophiæ Cultores* mare ſuum habent & carceres, in quibus moritur *aurum ipſorum*, poſt exſiccationem tamen maris, & aridæ conſpectum, demum è vinculis emerſurum & infinitam generationem poſt ſe relicturum. Quod & de Martyribus verum eſt, juxta illud:

Sanguine fundata eſt Eccleſia, ſanguine crevit;
Sanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

Qui tamen honoratum à Sole juſtitiæ in reſurrectione mortuorum caput è cineribus exſerent, coronatum diademate juſtitiæ, Solisque & ſtellarum fulgores exæquabunt. Quod idem de Sophiæ labore, ſed myſticis verbis cecinit Palingenius, dum de *Chryſogonia* ita intonuit:

Hunc juvenem Arcadium, inſidum nimiumq; fugacem,
Prendite & immerſum ſtygiis occidite lymphis.
Poſt Hyales gremio impoſitum Deus excipiat, quem
Lemnia terra colit, ſublatumque in cruce figat.
Tunc ſepelite utero in calido & diſſolvite putrem,
Cujus ſtillantes artus de corpore noſtro
Spiritus egrediens penetrabit, & ordine miro
Paulatim extinctum nigris revocabit ab umbris,
Auratâ indutum chlamyde, argentôque nitentem.
Projicite hunc demum in prunas, renovabitur alter
Ut Phœnix, & quæ tanget perfecta relinquet
Corpora, naturæ leges & fœdera vincens:
Mutabit ſpecies paupertatemq; fugabit.

Si DEUS aviditati quàm plurium mortalium hujus *Chryſogoniæ* ſcientiam parem eſſe voluiſſet, quam tamen multi, tanquam impoſſibilem, indignè & præter meritum, calumniantur, contra virorum in Naturæ myſterijs enutritorum αυτοψίαν & manualem operationem, absque omni fraude & impoſturâ, ſolâ applicatione cauſarum naturalium, nullâ ſecretiori arte aliâ, quàm etiam ſutor ex corio conficit calceum, aut faber ferrarius gladium, aut qui ſemi-

ſeminat in terrâ triticum, beneficio roris, pluviæ aut nebulæ recepturus ſuo tempore centuplum. Namque divina metamorphoſis, *Divo Imper. Ferdinando Tertio*, *Pragæ*, 15. Januarii 1649. exhibita, hodieq; Eminentiſſimi *Electoris Moguntini* αὐτοψία omnium fictas contra veritatem rationes planè convincunt & deſtruunt; ut neque prætercam: *Raimundum Lullium*, qui alioqui omnium, quæ in arte fiunt, exquiſitiſſimè rationem reddidit, vanum & ſuperfluum judicâſſe, illius veritatem verbis aut argumentis demonſtrare, cùm quod experimento & ad oculum demonſtratur, probatione ulteriori non indigeat. Et refert *Robertus Conſtantinus*, in Nomenclatore inſignium Virorum, de præfato *Lullio*, quòd juſſu Regis *Eduardi* aurum *Londini* fecerit, in omni probâ juſtiſſimum, unde moneta ſit cuſa, *Raymundi Nobel* inſcripta: ſcribitque *Guilhelmus Gratarolus*, ſe monetam hanc vidiſſe. Addere huic poſſem teſtimonium Dinhemii Juriſconſulti & Medici Profeſſoris Friburgenſis, in Tractatu de Medicinâ univerſali, de Alexandro *Suchtenio*, ſive *Setonio*, aut ut alii illum appellant, *Sidonio*, & quo pacto viderit cum *D. Jacobo Zvvingero* plumbum in aurum converſum 1603. *Baſileæ*: Item quod *Fridericus Mollerus Phil. & Med. D. Medicus Brandenburgenſis* de Scoto quodam *Hamiltonio* prodidit, & quo pacto ille in Arce Electorali Croſſæ idem præſtiterit, in præſentiâ Electoris & plurium aliorum præſtantiſſimorum virorum, & quod præter exempla plura alia *Michaël Neander* in libro Hiſtoriarum orbis terræ refert: Baſileæ *Paracelſum* convertiſſe argentum vivum in aurum puriſſimum & probatiſſimum, quam Hiſtoriam, qui volet, Germano conſignatam idiomate legere poterit, apud *Johannem VVolfium Jure Conſultum*, *lectionum memorabilium & reconditarum centenario* 16. *p. m.* 502. Sufficiat memori illa recolere mente, quæ nuper in Vitulo ſuo aureo publicavit *Johannes Fridericus Helvetius*, & quòd Sereniſſimus Princeps ac Dominus meus ex liberali donatione Eminentiſſimi Electoris & Archiepiſcopi Moguntini adhuc in delitiis habeat auri fruſtum, coram oculis Domini Electoris factum. Qui enim tantorum virorum, & tot diverſarum gentium, conſen-

ſui non credit, ille neque rationibus credet, neque vel ipsâ experientiâ ſe victum fatebitur, dum ille ſibi ſoli complacens nil, niſi quod ipſe ſcit & fecit, rectum juſtumque & veritati conſonum profitebitur. Sed ad rem. Si inquam ars illa ad artium aliarum morem doceretur, quæ tamen occulta ſemper à Sapientibus habita fuit, equidem fateor, artem hanc Sectatores plures habituros, quàm divina nunc alit *Chryſogonia*, & quæ circa virtutum ſtudium occupata eſt.

Aurum omnes utcunque volunt, ſpes omnis in auro eſt,
Hinc currit furioſa audax in prælia miles:
Hinc natis, uxore, domo, patriâque relictis,
Mercator maris undiſoni per cærula vectus
Velivolâ pinu extremas procedit ad oras.
Quisque dolis ſtudet ac furtis, ut congerat aurum.
Aurum omnes cupiunt & amant, placet omnibus aurum.

Procul dubio, ob potentiam, quâ valet. Quid enim arces expugnat & urbes? aurum. Quid carceres & poſtes perfringit ferreos? aurum? Quid ſceleratos homicidas & perditos implacabilesque congreſſores in duellis abſolvit? aurum. Quid judicia pervertit? aurum. Quid tribunalia velut terræ motu commovet & concutit? aurum. Quid perjuria conflat? aurum. Quid pudicitiæ vim infert? aurum. Urbes venales ſunt emptoribus, teſte apud Salluſtium Jugurthâ. Secretiſſima Principum conſilia auro venalia ſunt. Proceres & Magnates Regum in cæteris conſtantiſſimi & vel ex *Juſtiniani Codice* nati, viſis equitibus cataphractis aureis, cum *Haſtingio* apud *Cominæum* tandem exclamant: Quis tot armatis reſiſtere poterit? Et quis neſcit, aureis ſclopis, quos Piſtolen vocamus, plures olim cecidiſſe & hodienum vinci, quàm ferreis? Audito nummo, ſacra & profana officia præſtò ſunt: audito nummo, oculi rident, facies blanditur, audiuntur invitationes:

Audito nummo, quaſi viſo Principe ſummo,
Diſſiliunt valvæ, nihil auditur niſi ſalve.

Curia pauperibus clauſa,

Divi.

Divitias & opes HON Lingua Hebræa vocavit,
Gallica gens aurum OR, indeque venit HONOR.

Quin &

Cuncta trahunt ad ſe Magnates aurea, ſicut
Ad ſe magnetes ferrea cuncta trahunt.

Et dum nullius Facultatis ſive Profeſſionis homo eſt, cui non aliquo modo in pretio ſit pretium, nam & de *Medicis*, non aliter ac de *Juriſperitis*, Procuratoribus & *Judicibus* nonnullis, qui linguam auro venalem habent, circumferri ſolet dicterium:

Ordonner Medicos, ægros Or donner oportet;

Hinc operæ pretium fortè facturus eſſem, ſi de modis conficiendi aurum, aut illud transmutandi, aut ſi, ut multis pro certo habetur, ſpecie non differunt, maturandi metalla inſtituerem ſermonem meum, rationesvé diteſcendi proferrem, quas hodie dedidiciſſe videntur artium Profeſſores, dum merces ipſorum viles haberi cæperunt, licet auro argentoque pretioſiores ſint, prout aliquando in Promotione Philoſophicâ, antequàm ex Academiâ Giſſenâ ad Aulam Haſſo-Darmſtadinam diſcederem, ſolidiſſimis demonſtravi fundamentis. Sed cùm ad artem hanc pervenire nemo queat, niſi qui rejectis notionibus ſecundis, ſoli nudæ veritati ſit intentus, ut prius diſcat balſamum naturale, incoruptamque naturam, quibusvis corporibus naturaliter inſitam, per quam rejectis paleis & corpore impuro manifeſtatur occulta in rebus deliteſcens veritas, & in quâ, tanquam puriſſimâ & ab omni terreſtri & accidentali ſuperfluitate in extremam ſuam perſpicuitatem transmutatâ ſubſtantiâ Naturæ totius virtus & efficacia à Creatore ter glorioſo indita quieſcit, donec moveatur: Ingenium deinde meum eò usque adhuc non aſcenderit, ut hieroglyphicos Philoſophorum Hermeticorum ſermones omnes intelligere, aut ſcopulos, in quibus plurimi defecerunt, ſuperare potuerim; dubius diu hæſi, an quicquam de hoc arcano commentari debeam? Cui accedit, quòd in hujus Philoſophiæ ſtudio, non cuivis obvii ſint aut cogniti termini, quibus utuntur Philoſophi, multaque inibi occurrant plurimis abſurda & peregrina, hyeroglyphicisque

ſermonibus tecta: aliis intellectu difficilia & fere ſomnia: cæteris inviſa, impoſſibilia & ſuſpecta:

Nam ſuſpecta probis ars ipſa inviſaq; multis,
Inviſos etiam cultores efficit artis.

Quin &, quòd auri magnos haud poſſideam acervos, illis, qui me noverunt & aurum ſolùm ſitiunt, omiſsâ verâ philoſophandi ratione, incredibilia. Namque cum Principe Apoſtolorum & ego ſincerè profiteor: *Aurum & argentum non habeo. Quod verò habeo, id liberrima manu in vos diſtribuam.* Imò & cum Hiobo: *In auro non poſui ſpem meam, neque pretioſo auro dixi: Tu fiducia mea es.* Cùm verò non paucas divino huic ſtudio impenderim, per multos annos, horas, neque mihi defuerint occaſiones, cum Viris in eodem exercitatiſſimis ſæpius vel conferendi, vel ſcripta eorum legendi; ut neq; ſileam operationes plures manuales & veritatis inquiſitiones, quas non rarò ſuſcepi, non tàm Chryſopœiæ, quàm medicamentorum gratiâ, ut ad ſummam ea puritatem deducerem, ex metallis & mineralibus deſumptorum, quorum in laborum curſu mihi occurrêre profectò non pauca, viſu jucunda & animadverſione digna, per menſtrua varia hiſce tentaminibus accommoda, quæ rectiùs appello claves, ad fores Naturæ, ejusque reconditum palatium reſerandum: Medicum dein me eſſe voluerit Deus, cujus eſt, ſanitatis & morborum fundamenta enucleare, ut illa conſervetur, hi propellantur, & tandem de terrâ, in quâ abſcondita & arcana profectò vitæ conſervantis & ſanantis ſcintilla latet DEUS Medicinam creaverit, Medicum verò tanquam medium conſtituerit, *Helmontii* verbis loquor, inter vitæ Principem & mortem, ſicque ſibi in delitiis poſuerit, ille, qui Medicum creavit, à Medico vinci velle, ut ſe omnipotentem, etiam meritas immittendo pœnas, vincat propriis clementiæ ſuæ donis. Proinde, omninò neceſſarium eſſe duxi, motus amore veritatis, & proximi neceſſitate, concurrente Chryſogoni feriæ mentione, in quâ anno 1663. Giſſæ, in promotione quatuor Medicinæ Doctorum, etiam de hoc argumento publicè peroravi, ſi, quæ tum dixi, poſt plurima alia hactenus comperta veritatis

docu-

documenta, denuò publici juris facerem; & non ſolùm ſanitatis & morborum hîc proponerem fundamenta; ſed & quæ in microcoſmo fiunt, cum operis philoſophici laboribus & ſecretis operationibus conferrem, cùm nihil æquè poſſit commodare ſanitati, quàm ſanitatis fons, & cœleſtis vigoris cognitio, unde & illa promanat, & operis philoſophici arduitas dependet. Quo ipſo ſanè quoque fiet, ut Virorum clarisſimorum ad me per literas factæ petitiones, quibus hactenus Chryſogonia hæc in pretio fuit, eorumque deſideria, propter aliqua dubia, adimpleantur, nihilque reſtet, niſi ἀφιλοσόφῳ planè & inſcio, quod ſuper hoc commate in controverſiam amplius venire poſſit. Mihi interim nihil negotii faceſſent præſtigiæ ignorantiæ & livoris aliorum, qui inſtar beluarum latrant, alienis bonis tabeſcunt, cæcitate ſuâ inſaniunt, & vineam domini devaſtant. Deſpecti mihi ſunt illorum conatus. In caſſum eunt illorum terriculamenta. Pro lege mihi eſt diu quæſita & inventa veritas, cui nihil adeſſe, & à quâ nihil abeſſe poteſt. Jam enim ſcio, verum eſſe illud Dornæi decretum: Artes aliquas in Univerſitatibus vel legiſſe vel audiviſſe, nihil magis prodeſſe, niſi deducantur de potentiâ in actum, quàm Pſittaco ſuum χαῖρε; quia omnis ſcientia, quæ non probatur experientiâ, non eſt ars, ſed hærens ignorantia.

Dum itaque de Sanitatis & morborum cauſis diſſerere incipio, & præprimis remota vellem, quæ conceſſam à Deo ſanitatem turbare nata ſunt, quo Spiritus tantò liberius rectiusque in nobis officium ſuum facere, mensque ad ſublimiora elevari poſſet, opto, ut de mortalibus omnibus hodie mihi liceat cum veritate dicere, quod olim de *Fabritio*, Viro muneribus incorrupto *Pyrrhus* dixit: *Ille eſt Fabritius, qui difficilius ab honeſtate, quàm Sol à rectitudine curſus ſui, averti poteſt*, immutatis paulùm verbis! Hi ſunt mortales! Hi ſunt Viri & Fœminæ, Senes & Juvenes, docti pariter atque indocti, qui amore veritatis ducti, quærunt Dei & ſui cognitionem, & cognitis his virtuti ſic ſtudent, ut difficilius à temperantiâ & inordinatis affectibus animi, quàm Sol à curſu ſuo, averti posſint! tutò crederem, neq; Medicis in Re-

publicâ

Republicâ adeò opus fore, neque ſanitatem in periculo futuram, quemadmodum, ſi fures & adulteri & homicidæ, & id genus homines alii non eſſent, neque Judicibus aut legibus opus foret, cùm Juſto lex non ſit poſita. Quemadmodum verò omnia metalla ſcorias ſibi habent admixtas, ſine quarum ablatione impoſſibile eſt illorum explorare eſſentias: nec ſtella videri poteſt ex Antimonio, niſi eodem aliquoties à ſuperfluitatibus per nitrum perpurgato, & ſic ſua cuique rei impuritas admixta eſt, quæ prohibet, quominùs inſita virtus & poteſtas de corpore triumphare poſſit; quod & de vegetabilibus verum eſt, quæ multùm in ſe continent ſtercoris, quod obumbrat & obnubilat, imò opprimit veram eorum eſſentiam, niſi arte ſeparetur, aut fortisſimo ſtomacho illa vegetabilia aſſumpta ſic digerantur, ut ſeparatione factâ eorum feces per alvum exturbentur: Sic corruptio quoque per morſum vetiti pomi in hominem eſt introducta, qui dum è terræ fructibus alimentum ſuum depromit ipſe è terrâ factus, quæ maledictionis fulmine à Deo ob hominem percuſſa eſt, quotidie corruptioni ſuæ addit pabulum, inprimis, ſi intemperantiâ vires ſuas oppugnet, & hoſtilibus armis & agminibus in ſeipſum ſæviat, corpori ut ſerviat, & appetitui: non animæ. Quò tamẽ mortalium ingenia ut plurimùm feruntur, non aliter, ac cœleſti pane ſive Manna ſpreto, Israëlitæ carnes appetebant Ægyptiacas, unde poſtmodùm, datis illis ad nauſeam coturnicibus, in Kibrothis thaavæ ob concupiſcentiam & intemperantiam gregatim mortui ſunt. Sed necesſitas, uti pro metallorum purgatione ignem adhibet, præcipiente etiam id Jehovâ, *Num.* 31. *v.* 21. & pro iis, quæ ignem non patiuntur, aquam, imò omnium artium & Facultatũ Profeſſores excitavit: ita & Medicos, eosq; honorandos præcepit, tum, quia DEUS creavit Medicum: tum, ob ſanitatis errores, cujus ſi fundamentum cognoſcerent & nobilitatem, non adeò præcipites ruerent in morbos ipſamque mortem, homines ſui negligentes. Cùm verò duræ ſint cervicis mortales, neque ſui depurationes admittant facilè, ſi vel maximè Deus per verbum ſuum & Sanitatis tam animæ quàm corporis Antiſtites, convenienti adhibitâ

hibitâ probâ & ſeparatione groſſi à ſubtili, illis ſubvenire ſtudeat; verum eſt & manet hodienum, quod de populo ſuo prædixit *Helciadi* Jehova, *Ier. c. 6. circa finem. Probatorem Te dedi in populo meo robuſtum, (in munitione) ut cognoſcas & explores vias eorum. Omnes ſunt contumacium contumaciſſimi, ambulantes cum detractione, ſive fraudulenter, chalybei & ferrei. Universi corrupti ſive corruptores facti ſunt. Exareſcit follis: Igne conſumitur plumbum: in vanum pergit conflare conflator, nam mala avelli non poſſunt. Argentum reprobum vocantur illi, quia reprobat Iehova illos.* Quod *Lutherus* explicatius ita vertit: Jch habe dich zum Schmeltzer geſetzt/ unter mein Volck/ das ſo hart iſt/ daß du ihr Weſen erfahren und prüfen ſolt. Sie ſind alle Abtrünnige/ und wandeln verrätheriſch. Sie ſind eytel verdorben Ertz und Eyſen. Der Blaſebalck iſt verbrandt/ das Bley verſchwindet/ das Schmeltzen iſt umbſonſt/ denn das Böſe iſt nicht darvon geſchieden/ drumb heiſſen ſie auch ein verworffen Silber/ denn der HErr hat ſie verworffen.

Conſiſtit ſanitas humana in integritate vitæ & puritate ſpiritus noſtri, qui, uti in utero materno omnium partium architectus & conformator fuit; ita quoque partium conformatarum nutritio augmentatioque, imò & temperamenta, actionesque omnes ab ipſius conditione, ſive nocuæ, ſive innocuæ, dependent; ſic tamen, ut quotidie cibis & potulentis, ipſoque ex aëris ſpiritu, ſine quo nemo mortalium vivere poteſt, reſtauretur. Dum enim laboribus, vigiliis, irâ, mœrore, intemperantiâ, tranſpiratione, innumerisque aliis ſpiritus noſter ſive ignis & Archæus ſeparator vel obruitur & gravatur, vel exhauritur & attenuatur, ut Scripturæ verbis loquar, omninò neceſſe eſt, ut diſpendium ejus acceſſu novorum ſpirituum prohibeatur;

Agricola ut quondam telluri, ſemine jacto,
Spargit rore levi tantùm ſitientia culta.

atq; ſic roboretur,

Ut verò, quo pacto hoc fiat, in corpore humano, tot gyris & mæandris aptè diſtincto, tot ex partibus affabrè facto, tot culinis debitè inſtructo, tot focis pulcherrimè exornato, & velut univerſale aliquod Laboratorium in ſe continente, pateſcat, operæ fortè

 pretium

dietium foret, ſi omnia, quæ ad corporis conſtitutionem pertinent, præmitterem, continentia utpote & contenta, ut Laboratorii hujus partes tanto rectius oculis ſubjicerentur, velut in officinâ Chymicâ, mortaria, piſtilli, tigilla, forcipes, furni, retortæ, receptacula, vaſa circulatoria, ſpirituum deſtillationes & rectificationes, & ſexcenta id genus alia. Sed cùm hæc aliaque jam tum Anatomia ſatis expeditum dederit, ad actionem ipſam, quam natura in corpore humano exercet me accingam, breviterque inquiſitis & præmiſſis, quo pacto ſingula in eodem ſuam exerceant provinciam, cùm veteres vel non omnia ſciverint, vel non omnia propalârint, oſtendam, *quomodo hæc duo, Intemperantia & animi affectus, ira inprimis, totam vitæ humanæ Oeconomiam turbent*, ſicque Spiritus vitæ noſtræ conſumatur & extinguatur.

A*Ureus* itaquæ vitæ Spiritus, qui in *aureo* ſanguinis latice latitat, conſervandus & generandus eſt, proximum animæ noſtræ inſtrumentum, & quidem ex cibis & potulentis, quæ quotidie aſſumimus, qui in roſeo colore triumphans, non aliter ac *ſanguinea intrinſecus & è centro purpuraſcens aqua Philoſophica* omnium ſolutionum ſequeſtrationumque & gradationum poſteà autor ſit.

Ideoque, uti *in Chryſopæja* Artifices, ſecundùm *Augurellum*,

Inprimis laminas auri ramentaque puri
Accipiunt, crebris & tundunt ictibus, atque
Pulveris in morem triti, aut fluvialis arenæ,
Diminuunt, longumq; terunt, quò denique putri
Humore ex ſeſe interius reſoluta liqueſcant.

Vel, quemadmodum ad auri deſtructionem, primò vel limationibus in ramenta, atque dein continuatis contuſionibus & contritionibus, vel laminatione opus eſt, ut aliquo modo initiò per ſe, & ſic rore proprio, quo & ipſum in interioribus gaudet, poſt verò alieno etiam madidum effectum humido, quod tamen aqua ſicca appellatur, reſolutioni aptum reddatur, antequam regali thoro includatur, digeſtioni ad multiplicationem ſui ulterius committendum; Siquidem groſſum ut prius deponat

ponat pallium opus habet, antequam ingrediatur fontinam, ut ſic occultâ quâdam methodo & arte in illum refluat ſtatum, in quo fuerat à Naturâ conſtitutum; Ita quoque neceſſe eſt, ut aſſumpta dentibus, tanquam Naturæ piſtillis, primùm maſticemus, ſalivaque, perenni affluxu è glandulis ſalivalibus os cibosque irrigante, eadem imbuamus, ut facilius propellantur, fermententur, dividantur & liqueſcant. Dein, ut menſtruo ſuo, quod ſeminis proprii rorem meritò *Hermetici* appellant, compactam materiam jam aliquo modo diſſolutam & humectatam,

——*anguſti vaſis in alto*, id eſt, ſtomachi fundo componamus, *atque hoc non ordine nullo.*

Nam, ubi aſſumpta ſalivali menſtruo humectavimus, & per fauces, tanquam retortæ roſtrum, aut phialæ anguſtum collum in ventriculum ea dimiſimus, convertuntur ibi in maſſam, cremori ptiſanæ, aut pulti haud abſimilem, quam actionem, an rectè ſoli calori innato vitali, an facultati coctrici ventriculo ingenitæ attribuerint hactenus cum Medicis Philoſophi, meritò dubitari poteſt.

Uti enim in *Chryſogonia* nefas eſt loqui, de *Igne* alio, quàm de quo *Artephius* mentionem injecit, & qui ſit mineralis, æqualis, continuus, non tamen vaporans, niſi nimiùm excitetur, quique aliunde ſumatur, quàm à materiâ, ſitque omnia diruens, ſolvens, congelans & calcinans, humidus, vaporoſus, digerens, alterans, penetrans, ſubtilis, aërius, non violentus, incomburens, circumdans, continens, unicus, imò fons vitæ vel aquæ vivæ, quòd circumeat & contineat locum ablutionis regis & reginæ; Ita quoque indignum ſit Philoſopho loqui de Igne principali alio, ſeparationis, putrefactionis coctioniſque opifice, quàm qui fermentationem promovet. Et veluti non calor retortæ aut phialæ, ut ſic, materiam incluſam diruit; ſed menſtruum: ſed Sapo Sapientum: ſed aqua, quæ *Philoſophorum Ignis eſt*, ſiquidem mundi regeneratio fit à Spiritu igneo, in aquæ formâ deſcendente; imò plurima planè caloris expertia citiùs fermentantur, uti egregiè diſſeruit *Lambertus Velthuſius in Tract. Medico Phyſico de*

Liene; Ita quoque in retortâ corporis noſtri, ventriculo, cæteriſq; partibus, id præcipuè coctionem promovet, quod fermentationis cauſa eſt, licet negari haud poſſit, quòd, uti appropinquante Vere, beneficio Solis calor centralis in circumferentiam citiùs prodit, feliciusque rerum productiones promovet, calorque balnei aut vaporis multùm juvat reſolutionem metallorum, prout in auri argentique reſolutione per aquas fortes & regias videre licet; Ita quoque calor ventriculi multùm adjuvet fermentationem, non aliter, ac etiam calor hypocauſti fermentationem farinæ accelerat, ipſius tamen fermentationis, quâ talis, cauſa non eſt. Nusquam enim Natura primariò per calorem aut frigus quatenus talia operatur transmutationes ſeminales, licet iis ad excitamenta, vel impedimenta agentium internorum non raró uti cogatur. Siquidem & externus Solis cæleſtis calor ſolus terram non calefacit & generationem cauſat, quod videre eſt tempore hyberno, ubi longiſſimè à nobis abeſt; ſed potiùs Solis terreſtris innatus calor, cum calore Solis influxivo. Duplex enim, ſecundùm *Dn. de Nuyſement tract. de Sale philoſ.* cæleſtis calor eſt, unus reverberationis, qui externus: alter influxionis & penetrationis, qui internus eſt, cujus natura eſt vivificare, augmentare, conſervare per ſuſtentaculum radicalis humoris in igne centrali contenti, qui ſulphur illud eſt, quod in omni compoſito operatur, ſive lux æthereo corpore puriſſimo velata, quæ cùm in ſe habeat naturam lucis ſuperioris, ad inſtar lucis illius ſemper occupata eſt, ſeparare lucem à tenebris, ſubtileque à groſſo.

Cæterùm, cùm alii fermentationis cauſam adſcripſerint inſpirationi cujusdam ſpiritus acidi, ex liene per vas breve: alii, à corde per arterias: alii, ex inteſtinis ventriculo communicati: alii omnem in corpore fermentationem denique negârint; contrà hos primò mihi belligerandum eſſet, ſiquidem, ſi fermentatio non eſſet in corpore humano, fruſtra de modo, ejusque primario inſtrumento diſquiſitio inſtitueretur. Sed, cùm horum opinio potiſſimùm nitatur in fermentationis alicujus particularis conſideratione, quòd vel non in omnibus rebus procedat, vel à variis

rebus

rebus impediatur, quarum tamen aliquæ à ſtomacho ſubigantur, aliquæ jam tum fermentatæ ſtomacho offerantur; atque adeò de novo fermentari non poſſint; Ideoque facillimè refutari poteſt, à fermentorum diverſitate, quorum alia fortia, alia debilia, alia huic, alia alii rei diſſolvendæ & fermentandæ apta ſunt. Ut neque ſileam, impoſſibile non eſſe, imò neque difficile, ut res ſemel fermentata novam ſubeat fermentationem, quod illi facile demonſtrare poſſunt, qui vina jam tum fermentata de novo turgeſcere faciunt, novamque partium heterogenearum ſeperationem in illis inſtituunt, ut tantò præſtantiora evadant, cujus ſanè cauſa eſt fermentorum variorum cognitio, quâ deficiente, (neque enim omnis activorum & paſſivorum nobis nota eſt Reſpublica) haud mirum, multis impoſſibilem judicari fermentationem novam in rebus jam tum fermentatis. Alia ſiquidem requirunt fermenta metalla, alia animalia, alia vegetabilia, licet quodlibet horum proprium ſuum ſibi fabricet fermentum, ſicque verum ſit, quod Philoſophi Hermetici ajunt: Natura naturâ gaudet: natura naturam emendat: natura naturam ſuperat. Nihil enim tam durum eſt & compactum quod in proximo, imò ſecum non habeat ſuæ reſerationis & perfectionis clavem. Plura ut addam, haud opus eſſe cenſeo.

Qui fermentationem negat, alteram aurem applicet ventri ſive abdomini, & manifeſtè turgeſcentiam deprehendet, partiumque à ſe invicem ſequeſtrationem & dehiſcentiam, adeò, ut, velut bullæ, in panis fermentatione, aut nuces caſtaneæ, igni admotæ diſſiliunt, emiſſo ſibilo, etiam in Oeconomiâ corporis noſtri omninò tale quid fieri confiteri cogatur.

Haud itaque dubiâ fermentatione, pro lienis acido, per vas breve ad lienem delato, multi acriter pugnant. Sed, ſi exſectio lienis, ſuperſtite vitâ, poſſibilis, uti *Fioravanti*, *Bartholinus*, *experimenta Anglica* & Clariſſimus *Dominus Mœbius*, nuper Academiæ Salanæ lumen teſtantur, unde tum fermentatio? aut ſi Anatomia communicationem acidi lienis per vas breve, propter valvulam obſtantem, prohibet, quid tum lien contribuet? imò, quid inte-

ſtina ventriculo afferent, ſi poſt alimentorum excluſionem pylorum arctiſſimè clauſum diſſectores deprehendunt, niſi fortè hoc fiat odoretenus? Haud enim adeò improbabiliter odoribus videtur attribuiſſe particulare jus fermentandi *Philoſophus per ignem, Helmontius*, quemadmodum illud ex generatione ſcorpii, murium, aliarumque rerum, imò etiam ex pharmacis corpori noſtro applicatis, *lib. de imagine fermenti maſſam imprægnante*, deducit, ut neque cum ipſo ſileam, odorem, in ſacris, fermenti Symbolum eſſe, dum Apoſtoli dicuntur *Chriſti bonus odor, Deo, in his, qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt. His quidem, odor mortis ad mortem: Illis verò odor vitæ ad vitam*: res denique, à quibus odor evanuit, emortuas eſſe, tumque novam fieri generationem, cùm innatus rerum odor & ſapor, quæ ſe individuè comitantur, vel fatiſcunt, ſuâ ſponte, per ſenectutem; vel à peregrinis fermentis, id eſt, odoribus apprehenduntur, abducuntur & ſuperantur, quo etiam referendum exiſtimo, quod odoribus aquarum tribuat Hiobus emortuarum arborum revivificationem & novam, ut comam producant, germinationem, tanquam primum plantatæ eſſent. c. 14.

Sed, cùm odores & ſapores quidem ſint poteſtates ſpirituales, pro materiæ verò diverſitate diverſiſſimæ, certis locis & rebus à Creatore inditæ, inteſtinorumque acidum planè repugnet acido ventriculi, dum illud in ventriculum regurgitans vomitus, & cardialgias, hoc ad inteſtina prorumpens colicam, tormina & alia incommoda parit; tutius eſſe exiſtimandum eſt, ſi ſtatuatur, acidum inteſtinorum de quo infrà, ad ventriculi fermentationem nihil efficere. Quid ergò?

Prout in opere Hermetico materia alteranda quidem omnia neceſſaria ſecum habet, attamen ſine diſpoſitione præviâ, quæ Herculeum requirit laborem, ut originalis ab eâ labes tollatur, nihil efficere poteſt, ſicque deinceps in vaſe ſuo concluſa, ſed Sulphure inviſibili prius aucta, ſe ipſam ſolvere mutare & in perfectiſſimum fixiſſimumque, imò, penetrantiſſimum ignem coagulare poſſit: Ita profectò hîc diſpoſitione quoque præviâ opus eſt, quam

quam *Sapo procul dubio Natura humana, Saliva* inſtituit, licet alimenta in ſe jam tum habeant quoque fermenta. Quot enim odores & ſapores rerum, tot quoque ſunt fermenta, quæ, quia ob diverſitatem ſæpe fermento noſtro peregrina ſunt, ſi non ſuperantur ab eo, non parùm nos fatigant. Diſponi verò ea per *Salivam* tanquam medium ad fermentationem, humanæ naturæ amicum, & in ipſo homine elaboratum facilimè poſſe, patebit, ſi attendatur, ex variis rebus, utpote ranis, limacibus, lumbricis, aſellis, betâ, fæniculo, pimpinellâ, raphano, bryonia, gentianâ, radice rumicis, zedoariæ, aliiſque contuſis pulveriſatis, additisque farinis, exempli gratiâ, ſeminum lini, fænugræci, tritici &c. cum aquâ pulmento facto, atque in panis formam redacto, eoque ſub panno tepido foto, fermentationem excitari, totumque fieri acidum, prout etiam cum farinâ triticeâ & ſiligineâ cum rore majali idem fieri poteſt. Quod ſi itaque ſimplex aqua hoc præſtare valet in regno vegetabili, quod radicem ſuæ naturæ in aquis habet ſecundùm illud Hiobi c. 14. Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant. Si ſenuerit in terrâ radix ejus, & pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cùm primùm plantatum eſt, quod & jam modò inculcatum, in pulmento è diverſiſſimis rebus confecto, accedente tepido aëre; quis non majori jure *Salivæ* id officii adjudicaret? Et cùm alimentorum reliquiæ nonnullæ in ventriculi rugis ſemper maneant, jam tum acidæ factæ; quis non illas jam tum acidas, unà cum ſalivâ continuò deglutitâ, fermentationem promovere aſſereret? Certè, paululum fermenti totam conſperſionem fermentat. Tales verò in ventriculo reliquias remanere, ſectio brutorum patefacit, in quibus eas ad guſtum acidas deprehendi manifeſtum eſt. Unde &, qui largius ſe ex heſternâ crapulâ ingurgitârunt, ſalivam habent dulcem, indicio, digeſtionem non bene peractam, fermentumque ex repletione quaſi obtuſum tot catapultas ſuperare non potuiſſe.

Ideòque, quemadmodum in panificio, portio fermenti

aquâ

aquâ tepidâ diluitur communiter, ſicque cum farinâ fermentandâ commiſcetur, peractâ dein fermentatione, & cùm piſtoris manu in maſſam compactiorem redigenda eſt, aliquid ſalis à nonnullis adiicitur, quò ſic poſtmodùm alii maſſæ fermentandæ inſerviat, licet non ſemper opus ſit, ſalis adjectione nova, niſi quis id faciat ob guſtus majorem ſuavitatem, cùm fermentum ipſum acidum ſale ſuo ſufficenti ad panificium participet. Si enim plus juſto ſalis cibarij adiiceretur, impediretur fermentatio nonnihil ob copiam fixi volatiliſationem remorantis; Ita quoque cibis, præter potulenta, ciborumque reliquiis permiſcetur *ſaliva*, quæ à *ſale* nomen mutuâſſe videtur, vel à Græco Σαλεύω, quod eſt fluctuo, uti in ſpumoſo mari fieri videmus, quæque præter ſalem multùm etiam continet ſpiritus volatilis, quemadmodùm & ſanguis arterioſus, qui totus *Helmontio* propemodùm volatilis eſt, uti &, ſi lenis accedat partium circumjacentium calor, brevi tempore & alimenta & maſſa ex alimentis relicta ad juſtum fermentalis aciditatis gradum deducuntur, ut hæc, maſſa nimirum relicta, alimenta immutare: alimenta verò attenuata, agitata, confuſa, varieque alterata in uniformem pultaceam maſſam, cremori ptiſanæ haud abſimilem paulò pòſt tamen in ſubtile & groſſum dividendam concedant.

Uti verò nimium fermenti, vel quod vitioſum eſt, maſſam fermentandam corrumpit: ita quoque, ut *Saliva* in quantitate & qualitate officio deſtinato reſpondeat, neceſſum eſt. *Saliva* enim hominum ægrorum, uti qualitate peccat, ita quoque ipſa fermentationi inepta eſt: aut ſi fermentationem efficit, vitioſam tamen parit. Venerei inde venenatam habent, quemadmodum & leproſi, & qui veneno paſcuntur, aut peſte infecti ſunt, ut vel contactu poſſint ſimilem introducere morbum. At ſanorum optimum eſt coſmeticum, imò juxta *Clariſſimum Dn. Sneiderum l. 3. cap.* 11. ſanat ſcabiem, mentagram, ſerpiginem, omnia aphtharum genera, bronchocelas, hydrocelas, ganglia, & necat quoque ſerpentes, & ſcorpios: domat venenum canis rabidi, ſubigit & quaſi vinculis conſtringit argentum vivum, ne nocere poſſit,

ut

ut ſic aliqualiter aſſimilari poſſit liquori Alcaheſt, qui omnia in minima & velut prima reſolvit, ipſum verò argentum vivum coagulat, ſine ſui coagulatione, de quo videatur *Helmontius, novumque illud Adeptorum ſidus, Ludovicus de Comitibus.* Et cùm in ægris fermenta caduca exorbitent aut deficiant, conſideratione dignum eſt *Theophraſti Paracelſi* ſagax ingenium, qui, cùm *Baſileæ* nobilem quendam Canonicum, *Cornelium à* Lichtenfels / deploratæ valetudinis hominem reſtituere vellet, laudanum ſuum, medicamenti genus, quo in extremâ tantùm neceſſitate utebatur, ſalivâ ſubegit, fortè, ut fermentum ægri deficiens erigeret ſuo, quod adhuc ſanum erat, penetrantique medicamini conveniens adderet vehiculum. Cum humilimâ verò animi ſubmiſſione admiranda eſt *Servatoris noſtri* inexplicabilis potentia, qui, cùm verbo infinitos curaret, verbo tamen ſuo omnipotenti, in ſanatione *ſurdi impeditæque linguæ*, addere hoc voluit, ut exſpuens tetigerit linguam ejus, *Marci* 7. atque cæcum ſic quoque curârit, *Ioh.* 11. Siquidem & in ſanationibus, à Prophetis factis, non rarò externa quædam adhibita, ut Sal, in correctione aquæ Hierichuntinæ: ablutio in Jordane, in ſanatione lepræ Naamani: ablutio oculorum ex piſcina Silohæ. Sed cùm nulla major excogitari poſſit inſania, quàm ut factum aliquod ſupra naturam, naturæ viribus putes, neque ſit artis, à nativitate cæcum curare, ſed potentiæ infinitæ, admirari has operationes Servatoris noſtri potiùs liceat, quàm ſcrutari.

Magna itaq; *Salivæ* neceſſitas, potentia & virtus eſt, ut proinde operę pretium fore exiſtimem, de Salivâ longiùs extendere conceptus meos. Scripſit nonnulla egregiè Dn. Franciſcus de le Boe Sylvius, Academiæ Leidenſis decus, amicus noſter honoratiſſimus, *de Salivâ, quòd primarias ea fermentandi vires contineat, proptereà, quòd ex Salivæ defectu, vel vitio alimentorũ in ventriculo fieri ſolita mutatio deficiat, vel vitiari obſervata fuerit, eò, quòd ex aquâ multâ, paucoq; ſale ac ſpiritu inprimis conſtet: omnẽ verò fermentationem promoveri, ubi concurrant primò, aqua copioſa: ſecundò ignis ſive calor mediocris: tertiò aër ſatis liber: impediri verò, primò, ob aquæ pe-*

nuriam: ſecundò, ob caloris defectum, ab externo frigore ortum: tertiò ob aërem liberum materiæ fermentandæ intercluſum: Et hinc Vina Hiſpanica nec tam celeriter, nec tam potenter fermentari ac Rhenana, quòd hæc duplo plus aquæ, ſi cum ſpiritu volatili conferas, quàm illa contineant. Hoc, ſi cuiquam videtur inviſum, ut dignum judicet, qui ſalivam arguit fermentationis medium, qui ſalivâ ſemper conſpurcetur, ille neceſſitatem & præſtantiam ſalivæ examinet rectiùs, niſi malit imprecationem, ut nunquam ſalivam in ore habeat, qui talia in Salivam convitia meditatur & evomit, ne unquam loqui aut deglutire poſſit.

Sed, cùm quæ hactenus de Salivâ promulgari cœperunt, clariori adhuc opus habeant demonſtratione; hinc ego per experientiam ex ſalivâ fermentationis poteſtatem & veritatem ulteriùs deducam, ut, quod hactenus nunquam auditum aut creditum fuit, ipſiſmet oculis intueri queant Naturæ accuratiores myſtæ. Viam mihi præibit Chemia fallere neſcia. Hactenus enim, quæ ab aliis ſcripta ſunt, experimentis deſtituta ex parte jejuna manſêre, nec apud omnes fidem mereri potuerunt.

Accipiatur ergò panis, vel quodcunque edulii genus, ſive ſit caro, ſive pomum, ſive rapum, vel omne, quod obſonii nomine venit, incidatur dentibus, quàm minutiſsimè, pòſt indatur vitro & conſpergatur notabili *ſalivæ* quantitate, quæ maſticato cibo ſit congrua: committatur hinc vitrum probè obturatum calidis cineribus, ita, ut cineres illud undiquaque tegant, ad eminentiam contentorum, ad horas duodecim, interdum ultrà, etiam ad viginti quatuor, neque enim in vaſe artis tam citò omnia abſolvi poſſunt; & dehiſcent contenta in minima, apparebuntque hinc inde bullæ variæ ſortis, exiguæ, mediæ & majores, quæ, dum bulla bullam urget inſtar vini novi aut cereviſiæ fermentis agitatorum, turgidam elevabunt leniter maſſam. Maſſæ huic affundatur poſteà liquor, ſucci pancreatici vicarius, vel ejus naturam redolens, ut auctâ aciditate tantò felicius opus procedat, & groſſum à ſubtili ſecedat. Liquor verò ille ſit acetum aliquod naturæ, ſive philoſophorum, quod nonnulli appellant ſpiritum Saturni vegetabilis, quem

ut

ut parare diſcas, conſule *Cabalam, Chymicam, Baſilium* & *Autorem de principiis Naturæ & Artis chemicæ*, ſtent tam diu, donec bullarum agitatio ceſſet, trajiciantur poſteà liquida per purum linteum, ut admirandus ille Naturæ actus majori gaudio obſervari poſſit, & porrò per chartaceum filtrum, ut liquor pertranſeat clarior. Liquori huic claro & perſpicuo affunde denique anaticam bilioſi ſpiritus portionem, id eſt liquorem flammis coruſcum, & obnoxium, auri æmulum, qualis eſſe ſolet ſpiritus quintæ eſſentiæ depuratus, &, factâ ſubitò efferveſcentiâ, compoſitum illud migrabit in lac quoddam candidiſſimum, chyli puriſſimi æmulum.

Ecce jam vobis fermentationem! ecce effervеſcentiam! ecce ciborum analyſin, chylum groſſum, ſpumoſum, liquidum, diaphanum, lacteum!

Tantæ ſcilicet potentiæ eſt *ſaliva*, menſtruum illud microcoſmicum, ut in libertatem aſſerere poſſit & recludere, quod ignis communis non poteſt: nempe, elicere ex cibis ſuccum chyliferum, qui dein medio ſucci pancreatici & bilioſi, vel per artem factos horum æmulos in chymiâ ſpiritus, in lac convertitur, ut quaſi oculis videre poſſis tuis, quo pacto Sal cum Sulphure altercando circa fontem naturæ, infligat Sulphuri vulnus incurabile, ut loco ſanguinis effluat lac candidiſſimum, quod lac candidiſſimum mille milleque albiſſimis atomis coruſcans, inſtar argenti puriſſimi, poſt unum alterumque diem mergetur ad fundum, ſubtilitatem nubis albiſſimæ repræſentando, aut inſtar candicantis & à Sole illuſtratæ nebulæ ſubſidendo.

Hoc verò lac meritò appellari poteſt unicum illud ſubjectum, quod ſanguificationi & nutritioni deſtinatur in homine, reliquis impuritatibus ad excretionem dedicatis. Et, ſi quidem mihi ingenuè philoſophari licet: Sal eſt, de univerſali participans, & philoſophæ nix alba Scholæ, rubedinem intenſiſſimam in ſe continens, & lucem vitalem, in aurum microcoſmicum digerenda, proxima quintæ eſſentiæ materia, tota aërea, aqua ſicca, Sal armoniacum philoſophorum & vegetabile. Saliva verò magnes eſt ab aëre hoc generatus, & porrò faciens apparere hunc aërem no-

ſtrum, qui congelatus melior eſt, quàm univerſa terra. Imò & lac hoc chyliferum appellare poſſum Dianam, quæ poſt conflictum *Salis & Sulphuris*, ſive, ut cum *Baſilio* loquar *Draconis & aquilæ* egreſſa eſt, ſecundùm *Sendivogium*, ex nemore; & cur non etiam Mercurium philoſophorum? qui ex Sulphure & Mercurio conjunctis educitur arte, & de cætero nudus eſt, neque in lucem prodit, ſed à naturâ miris modis involutus eſt. Omnia enim, quę in microcoſmo ſunt aut fiunt huic Dianæ ſive lacti virgineo inſunt, ſuo tempore & ulteriori coctione alteranda & in puniceum colorem convertenda. Neque verò id Naturæ difficile eſt microcoſmicæ. Uti enim Sol macrocoſmicus per radios ſuos, quaquâ verſum, in univerſum orbem diſperſos, rarefacit aquas, & facilimo negotio puriores ſpiritus rubefacit, quod in ſpiritu panis ad oculum demonſtravit *Robertus de Fluctibus*, & de quo fortè infra prolixior nobis diſſerendi affulgebit occaſio; Ita Sol microcoſmicus, calore ſuo vitali, per venas lacteas virgineum illum laticem ad ſe delatum ſibi jungit: Sal enim Sali facile jungitur, & ſpiritus ſpiritui: eumque jungit primò venoſo, dein arterioſo ſanguini, ubi, motu continuo in arteriis per pulſum facto, de novo quaſi efferveſcit & floridè ſpumeſcit ſpiritus ille ſalinus; quod autem groſſius eſt & oleoſum magis, ad venas revertitur.

Neque tamen omne id, quod ſalino-chyloſum eſt, in ſanguinem convertitur arterioſum. Salivæ quoque in ſanguine arterioſo patria eſt, mediis nempe ſpumoſi in ſanguinis fluctibus. Unde tres notabiles in arteriis occurrunt operationes, licet unus in illis contineri videatur ſanguis, qui tamen ſimul aqua eſt & ſpiritus. *Prima*, eſt ſanguinis in ſpiritum vitalem converſio: *altera*, candidæ Dianæ ſive Mercurii microcoſmici in ſanguinem arterioſum commutatio: tertia aquæ & ſalis à ſanguine nondum immutatorum deſtillatio. Cùm verò in ſanguine arterioſo ſemper aliquid deliteſcat novæ circulationi ſubmittendum, atque inde ad venas relegandum: natura deinde requirat, ut ſemper novæ fermentationi præparetur pabulum, neque enim ciborum fermentationi potus ſufficit, magnam partem per veſicam ejiciendus; hinc ſalſum

aqueum

aqueum nondum à calore & ſpiritu ſubactum, poſt ſeparationem ſui ex arteriis in ſalivam erat ſequeſtrandum, pro novâ fermentatione & ſpiritus univerſi è cibis potulentisque extractione inſtituendâ. Neque enim nervorum ſuccus dici debet ſaliva, cùm nil niſi motum contribuant glandulis maxillaribus, pro expulſione ſalivæ: neque aqua, ſi quam habent nervi, fermentationi apta eſſe poſſit, quod illi fatebuntur, qui ſucci nervoſi naturam accuratiùs rimabuntur, concretioni, quod ganglia monſtrant, magis idoneam, quàm ut rerum reſolutionibus inſervire poſſit, de quo fortè alibi. Sufficiat, brevibus demonſtrâſſe ſalivæ indolem, officium & præſtantiam. De ſanguificatione enim in ſequentibus plura dicentur.

Cùm verò ſic quidem in chemicis operationibus negotium feliciter procedat, dum & ipſa Diana, ſive lac virgineum chemicorum primò lavari incipit, dein mergi, & adhibitis deniq; nonnullis diſpoſitionibus & coctionibus rubificari, ut tandem emergat inde elixir perfectum impuritate carens maximè poteſtatis inprimis, ſi animâ auri ornetur: non tamen id ipſum adeò perfectè ſuccedit in microcoſmo, dum impuris *primò* ſeminibus naſcimur, atq; alimentis *deinceps*, quibus nutrimur, ſemper adhærent tribuli & ſpinę, quę adeò nō omninò ſeparari poſſunt, fermentis humanis & ipſis inquinatis, ut non ſimul intrent in ipſam vitam, in quâ, etſi occultè quieſcant, etiam ad longum tempus, naturâ idoneè ſuas ſeparationes continuante: tandem tamen erumpunt, eâ delaſſatâ, in lucem, & de vitâ triumphare incipiunt, ſicque mortis neceſſitates in nobis manifeſtant, mediâ tribulorum & ſpinarum vitâ hactenus occultatâ, ultimò verò prorumpente odoribus & ſaporibus ſuis in apricum, & fermenta naturalia ſubigente. Sed ad *Salivam*.

Dubium verò alicui movere poſſet *Salivæ* vix notabilis aciditas & ſalſedo, & hinc ineptam eam eſſe ad fermentationem inſtituendam? Veruntamen, ejuſdem vis & efficacia ſuprà & jam ſatis probata, quam incidendo abſtergendoque & penetrando exſerit. De cætero, mihi optimè notus fuit genere Nobilis quidam Vir, qui egregium ex ſalivâ ſalem putrefactione præmiſſâ elicuit, tam volatilem

 latilem

latilem, quàm fixum, quem, niſi morte præventus fuiſſet, magnis deſtinaverat uſibus. Quis verò crederet, aërem totum nihil aliud eſſe, niſi ſpiritum nitroſum, qui tamen non deprehenditur. Imò, Sal nitri terræ aërem fuiſſe, *ſecundùm Coſmopolitam, Tract.*12. & ſine nitro ne vitæ quidem noſtræ Spiritum ſubſiſtere poſſe, quò minùs fatiſcat? quis in fumo reſolutorum lignorum, qui caminis adhæret, quæreret nitrum, cùm tamen fuligo caminorum tota fere nitrum ſit, & in hoc facili labore concedat? Sunt plurima in ambitu ſuo dulcia, quæ tamen in centro ſalſa ſunt. Quis crederet chelidoniam aut Meliſſam ſalſedinem poſſidere copioſam, niſi id chemia demonſtraret, non quidem per cinefactionem & exuſtionem, ne quis cum nonnullis exiſtimet, novum illud ſal eſſe ignis productum, quod ante in Meliſsâ non fuiſſet; ſed per repetitam affuſionem phlegmatis ſive communis aquæ Meliſſæ aut chelidoniæ, quemadmodum & aquarum aliarum herbarum plurium, ſupra proprium reſiduum, quod in alembico remanſit, non tamen ad omnimodam exſiccationem per deſtillationem & abſtractionem ſuæ humiditatis redactum eſt. Sic enim aquæ omninò ſalſæ aſcendunt per alembicum, tandemque, repetitis affuſionibus, quinta herbarum eſſentia manifeſtatur, quod quidem vix crediidiſſem *Fernelio*, niſi manualis experientia ejus mihi fidem conciliâſſet. Qui volet, legat *Ambianum illum, de Abditis rerum cauſis*, & inveniet, plurima, quæ nova hodie quàm plurimis videntur, ante noſtra quoque tempora non ignorâſſe omninò patres noſtros, quæ inertiâ filiorum intacta & ſepulta quaſi manſêre. Encheiria ſanè & manualis Philoſophorum operatio hæc & alia plura demonſtrat, quę, qui ſolis nituntur, abſque experientiâ, rationibus, vix aſſequi poterunt. Neque ignorari debet, quòd ad fermentationem particularem cujusque rei non excludi debeant fermenta generalia, quæ in elementorum condo occultantur.

Quod ſi itaque ex prædictis nondum ſatis cognitum eſt, eſſe fermentum ventriculi acidum, ille nominatum, ſupràque citatum *Dn. Lambertum Velthuſium, in laudato tractatu adeat*, & plurima dubiis ſuis occurrentia inveniet dilucidè explicata; licet neq; hoc

hoc ſilentio prætereundum ſit: acidum ſtomachi, quod ſpecificum fermentationis medium vocat *Helmontius*, *In Imagine fermenti*, multam ſubire etiam in unâ ſpecie latitudinem, & hinc legumina quoſdam, alios olera, nonnullos piſces & vinum ægrè ferre: abhorrere alios caſeum: alios lacticinia faſtidire, idque ob fabricantis & recipientis varias in agendo alterationes: & aliud eſſe acetoſum, & aliud fermentale acidum, quòd hoc, quæ digerit, eadem & volatilizet: illud verò diſſolvendo ſæpe coaguletur, uti apparet in Spiritu vitrioli, chalybi ſuperfuſo: difficilius denique volatiliſari, quæ poſt fermentationem, in fugam dilapſo ſale volatili, vel eo concentrato, ex ſale fixo acida ſunt, qualequid eſt acetum, ut proinde, non ſine causâ, motum præceperit Democritus, aceto ſquillitico utentibus, ad vitam longam.

Hactenus itaque, uti *Chemia* digerit & putrefactiones præmittit, ut accepto fermento partes dehiſcant in minima; ita quoque cibi in ſtomacho acido fermento reſolvuntur.

Cùm verò, uti dictum, plurima ſint acidis, ut ſic, inſolubilia, ideóque ad fermentale acidum ſulphur aut ſal quoddam requiritur lixiviale, cujus combinatione ſolvi non adeò difficile eſt, quicquid reſolvendum ſub manus artificum mittitur, quod, cùm præter ſpiritum acidum reperiatur in nitro, multis ſanè nō ſine ratione hoc pro univerſali menſtruo reputari cœpit. Videtur enim non impertinenter dixiſſe *Philoſophus Teutonicus*, *Tractatu de ſignaturâ rerum*: In ictu & accenſione ſalis nitri, primò generatur aqua Sulphurea, deinde aqua Mercurialis, tertiò Sal. Sulphur in ſe habet lumen & oleum vitale: Mercurialis aqua conſervat & nutrimentum attrahit, datque virorem: Terra ſalina deorſum labitur, generaturque ex fumo ſive vapore, qui correptus in accenſione & contractus fere emoritur, eſtque materia terræ. Terra hæc non eſt ſola; ſed omnia in ſe habet, & ſine nitro nullum metallum generatur. Plura hîc de militis gloriâ, Nitro, proferre poſſem, quod hyle eſt, atque ex magneſiæ corpore extrahitur, multiſque, non ſine ratione, Mars Philoſophorum eſſe creditur. Sed, cùm hîc inſtituti mei non ſit, propalare materiam Philoſophorum, quia

ænigmatibus ſemper involutam eſſe voluerunt, aliudque adhuc habeant philoſophi Adepti nitrum; ſufficiat indicâſſe: nitroſam *ſalivæ* ſubſtantiam præcipuum diſſolutioni & fermentationi ciborum conferre, non aliter, ac etiam aqua fortis, quæ magnam partem Spiritus nitri eſt, metallorum diſſolutioni quotidie inſervit. Ubi tamen non omittenda ſpiritus nitri putrefactio debita, ut ab omni corroſivitate liberetur, ut habeas ad plurima arcana clavem, cùm & ipſum ſolis lumen in abyſſo ſuâ reconditum habeat. Hæc itaque in primo naturæ vaſe, ventriculo fiunt, ut acido ſaturato fames diſcedat, cremoreque ptiſanæ, velut rudimento virginis lactis facto, prima ad ulteriorem digeſtionem pateat janua. Dixi, rudimento virginis facto, quia lac virginis ulteriorem adhuc requirit laborem, ut purum ſit & virgineum.

Diſſerui itaque ſuprà de duplici ſpiritu, diverſis qualitatibus imbuto, eoq; altero ſaturnino, non inflammabili: & altero aureo, ſolari & flammis corruſcante, & quo pacto ex horũ concurſu ex cibo in ſtomacho fermentato diaphanum lac ſive chylus puriſſimus tandem manifeſtetur. Cùm verò in homine id demum fiat ſuperato pyloro; hinc ulterius mihi progrediendum video, ut explicem ea clarius, & quo pacto in homine ſupradictorum ſpirituum æmuli rivi idem, quod illi extra hominem & per artem, efficiant.

Rivi proinde mox emergunt duo, ſuperato pyloro, & ad inteſtinum duodenum demiſſo ventriculi chylo, quorum alter orientalis naturæ eſt, id eſt calidus & ſiccus: alter occidentalis, id eſt frigidus & humidus, cùm, ut inſtar duorum Draconum de novo adoriantur chylum, in longè ſubtiliorem naturam divellendum & diſcerpendum, tùm, ut partes homogeneæ ſibi uniantur: tùm ut heterogeneæ ſequeſtrentur. *Natura enim naturâ gaudet*, & quæ inter ſe affinitatem majorem habent, illa ſibi facillimè junguntur, exemplo Mercurii, qui auro & argento facillimè jungitur propterea, quod hæc non ſunt Mercurio extranea, ſed vicinius cum eo participant naturam ſuam, quàm alia quævis corpora, ut hinc ſingulari ratione Mercurii ſorores & compares dicantur *Divo Thomæ Aquinati*. Conferatur hîc quoq; *Gaſtonis Clavei Apologia*

ſit digeſtio, quæ ſolutio: ea putrefactio, quæ deſtructio: virtus autem cujuſque ſit ſeminis, unicuique ſe rei in ſuo regno conjungere, & dum terendo communiter deſtruimus, heterogenea non ſolùm ſeparamus; ſed & homogenea congregamus, ſicque diſſolvendo coagulamus, & coagulando diſſolvimus, ut res in umbrâ latentes & occultas faciamus apparentes, & ab illis umbram tollamus; hinc, dum partium fit heterogenearum ſequeſtratio, eâdem quoque fit operâ homogenearum congregatio; ſed non ſine motu, ebullitione, pugnâ, aut effervescentiâ, uti videre licet, in fermentatione cerevisiæ aut vini, cujus beneficio limpidi liquores coëunt: fæces verò vel expelluntur, vel ſubſident: nec non in ſuccis herbarum. Cùm enim vegetabilia per contuſionem in ſuccum reſoluta ſunt, tum, ſi illis affundatur Spiritus Urinæ vel liquor nitri fixati, paulatim fit commotio & levis ebullitio, qua peractâ, feces herbarum ad fundum abeunt, ipſa verò herbarum eſſentia ab illis ſeorſim ſecedit. Quæ verò ſeparatio & depuratio tantò felicius ſuccedit, quantò magis herbæ contuſæ fuerint, & quò ſeparator, ſeparans lucem à tenebris erit igni concentrato proprior, aut ſal philoſophorum, de quo in deſcriptione Itineris *Friderici Galli ad Eremitam* quendam ita legimus: Manè, cùm ſub ortum ſolis diffluerent tenebræ, deducebat nos in hortulum ſuum, cùm paulò antè in ſylvâ collegiſſet, veronicæ & rutæ, cujusque manipulos fere tres. Hinc acceptâ patinâ ſtanneâ & contritis in eâ ſingulis herbis, ſuccoque earum in vitrum expreſſo, de tincturâ ſuâ accipiebat fortè tantum, quantum fuiſſet dimidia pars grani ſinapi, & hujus quidem dimidiam partem miſcebat ſucco Rutæ: alteram verò Veronicæ; quo facto, in momento, cum quâdam circumrotatione ſeparabatur phlegma ab eſſentia, quæ ex rutâ colore cæruleo, ex veronicâ verò aureo colore in ſuperficie natabat, quantitate piſi. Addebat: phlegma hoc nutrimentum pro brutis: Tincturam verò eſſe ignem verum, quo verus philoſophus utatur pro ſeparatione & coctione Medicinæ. Non aliter, procedit natura in homine. Maſticatione primò opus eſt per dentes & reſolutione ciborum in ventriculo, quod vitæ noſtræ ſpiritu fit & per quintam in nobis habitantem eſſentiam, ſive

d ignem

ignem naturæ fermento junctum; quò enim illius partes per fermentationem magis minusvé ſubacta fuerint, eò magis minuſque puras deinde in effervescentia continget eas congregari aut ſeparari, ut verificetur quoque hoc pacto, quod in Scholis Medicorum tritum eſt: Errores concoctionis primæ non emendantur in ſecundâ.

Rivi verò illi derivantur à *ductu biliario & pancreatico, Wirſungiano* dicto, quorum hic acidi ſucci promus condus eſt, ſaturninæ naturæ: ille tincturam Sulphuris & Sal quoddam in ſe ſolare continet. Ille inſtar Draconis orientalis: hic occidentalis ſeſe habet. Ille Sulphur inviſibile communicat, primamque ad ſanguifitionem diſpoſitionem: hic mercurialem videtur duplicare naturam. Ille ignis Naturæ eſt: hic aqua, quorum combinatione fit ignis aqua, liquor alcaheſt & novum quoddam menſtruum univerſale, in quo etſi diverſiſſimæ ſunt naturæ, quæ duobus pugilibus comparari queant, ſive etiam, ut ſuprà dictum, Draconi & Aquilæ, de quibus *Baſilius clave ſecundâ, in libro ſuo* von dem groſſen Stein der uhralten Weiſen/ circa finem notanter loquitur. Non aliter tamen ac Glaucus & Diomedes poſt acre duellum conveniunt amicè, ad majora naturæ opera perpetranda. Non enim cælum cum terrâ divortium facit. Etetſi Glaucus & Diomedes, alter quidem aureo: alter verò plumbeo gladio hoſtiliter congrediebantur; cùm tamen neuter ſuccumberet, factum inde eſt, ut pactâ invicem amicitiâ permutatisque gladiis amicè viverent, tempore pacis ſuæ de bello in alios ſuſcipiendo cogitaturi. Uti enim in opere Philoſophorum plurima quidem excogitantur, quæ ad eliciendum, ex re, in quâ eſt, Mercurium Philoſophorum adhibentur, dum alii contritiones, alii ſublimationes, alii ablutiones, alii nitroſos, alii ſulphureos, acetoſos alii liquores & varia balnea & lavacra adhibent, ut ſequeſtratis fæcibus, & amoto tanto, in quantum opus eſt & natura requirit, humidum radicale metallorum, Mercurius Philoſophorum in lucem prodeat; nihil tamen in eo efficitur, niſi mundatâ prius & diſpoſitâ naturâ quis ſciat duplicare Mercurium, quod procul dubio fit additione ſpiritus, & triplicare Sulphur, quod

an

an fiat additione ignis & animæ Solis, adeptis cognitum erit? quorum Sulphurum alterum inviſibile eſt, alterum viſibile; utrumq; tamen tingentis & coagulantis fermenti locum obtinet, ut ſic verificetur, quod diverſi autores ſcribunt; & alii quidem: Opus Philoſophorum, ſive tincturam eorum fieri ex ſolo Mercurio eorum, coagulato per actionem proprii ſulphuris. Imò, argentum vivum illorum, quod verò multis paraſangis diſtat, ab argento vivo vulgi, licet & hoc ſuo uſu non careat, per ſe ſufficere & tibi & ſibi, abſque omni rei extraneæ additione, ſolâque decoctione naturali ſolvi & congelari. Alii: Philoſophos propter abbreviationem addere illi Sulphur ſuum, bene digeſtum & maturum; & alii denique: Mercurium quidem in ſe habere granum & fermentum Sulphuris Naturæ, quantum ſibi ſufficiat; neceſſe verò eſſe, ut & aliis ſufficiat, & proinde Sulphur inviſibile multiplicandum eſſe, quouſque exprimatur & perficiatur lac virginis. De quibus videantur *Coſmopolita, in Tractatu de Sulphure, & Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ, nec non Geber & alii.* Siquidem ſecundùm illum: Aliqua ab accidentibus purgamus, purgata iterum conjungimus, additis addendis deficientia adimplemus, &, imitando naturam, ad finem ſummæ perfectionis decoquimus: & ſecundùm iſtum, Philoſophicum ignem addimus igni materiæ innato, quæ ſanè nobiliſſima verba ſunt, & conſideratione digniſſima, ſine quorum exacto intellectu fruſtanea omnia ſunt, quæ in arte hâc ſuſcipiuntur: Mercurius enim philoſophorum non reperitur ſupra terram, per Naturam factus; ſed arte producitur, ex ſulphure & mercurio conjunctis; Ita quoque impoſſibile eſſet, fieri diſpoſitionem ad ſanguinem in corpore humano, tanquam nobiliſſimam vitæ tincturam, niſi ex oriente martialis ſive etiam Solaris narræ bilis afflueret: & ſeparationem inſtitui puri, ab impuro, niſi cum bile concurreret pancreatici liquoris aciditas, ſicque quatuor velut qualitates conjunctæ, in igni & aqua, Sulphur nimirum & Mercurius, fixum & volatile, haberent vim ſequeſtrandi, & extrahendi, id quod ſuprà quodammodo inculcavimus, lac nimirum virginis puriſſimum, & quantum natura humana admittit.

Eſt enim bilis inſtar Sulphuris Philoſophorum inviſibilis, quod ſi additur paucitati Sulphuris, quæ in materiâ Philoſophorum, poſt ablationem Sulphuris combuſtibilis & fœtentis ſupereſt, in cauſa eſt, quòd deinceps ſequi poſſit ad rubedinem felicior decoctio. Impoſſibile ergò credant; tincturam ſanguinis elici poſſe ex cibis, quicunque Philoſophorum nomine gaudere volunt, niſi per bilem accedat Sulphuris naturæ augmentum. *Plato quidem in Timæo ſuo, ſive libro de Naturâ,* demonſtrans, quo pacto ignis ſecet in animalibus cibos, igni videtur attribuere hoc officium, dum ait: Propterea ſanè per totum corpus omnibus animalibus alimenti latices ita fluidi facti ſunt, ſcilicet, quia ignis cibos ſecat. Cùm a. recens ſecti ſunt à cognatis rebus, partim fructibus, partim herbâ quæ omnia Deus nobis, ob hoc ipſum plantavit, ut eſſent alimentum, varios quidem colores habent ob commixtionem, *verùm rubicundus color in ipſis plurimus diſcurrit, naturâ ſectionis & impreſſionis ignis in humido productâ.* Sed quid obſtat, ignem bilis nomine ipſi venire potuiſſe, inprimis, ſi ſecundùm naturam ſe habeat, & non, ſive in quali ſive quanto excedat, cùm eodem loco, paulò poſt fateatur quatuor eſſe genera ex quibus corpus compactum ſit, terram, ignem, aquam & aërem, & horum præter naturam redundantiam & defectum & ex regione propriâ in alienam diſceſſum & rurſus ignis & aliorum &c. ſeditiones & morbos facere, ubi & in ſubſequentibus bilis præternaturam ſe habentis mentionem facit. videatur pag. mihi 757. & 758.

At inquis: Chylus verò bile non tingitur. Noli mirari, qui hęc legis! Sępè enim videre licet ex acidorum concurſu, res purpurâ rubicundiores albeſcere: notavitque hoc Naturæ Myſta Sendivogius, dum ex conflictu Salis & Sulphuris, loco ſanguinis, vidit aquam, quaſi lac candidiſſimum effluere, ac in magnum flumen creſcere, ſicque ex nemore Nymphæ Veneris egredi Dianam, quæ tamen ulteriori dein coctione, Sulphure jam occultato, de quâ jam tum notabilia diximus, paulatim poſteà emergente, in ruborem converſa fuit. Ne enim putes, te in multiplicatione Sulphuris, hujusque cum caducifero Dracone commixtione conſtan-

tem

conſtantem rubedinem ſtatim introducturum! falleris toto cælo, ſi vel omnes ſub cælo aquilas congregares & elementarem ignem in manibus teneres. Alba in principio ut fiant omnia neceſſum eſt, inſtar chyli in lacteis venis, donec coctione abſoluta longo itinere peracto, exſurgat tandem Salamandra potens & fixa, nullisq; obnoxia flammis, & per tot circulationis rotas in rubedine ſanguinis perfectiſſimi pupura triumphet.

Novum hoc de fundamento ſanguificationis dogma plurimis bilem movebit, ſcio; ſed non illis, qui adyta naturæ rectiùs rimantur, atque ſyrtes plurimas ex parte ſuperârunt. Conſenſuros verò ſperarem facilè omnes, ſi, quæ longa Philoſophorum ætas occulta tenuit, in publicum edere, manifeſtique juris facere liceret. Quamvis & tacitè inſciique plurimi condeſcendant mecum in hanc ſententiam: dum alii calidum & acrem bilis humorem chylum à putredine tueri, facilemque excrementorum expulſionem, roboratis inteſtinis, promovere, ſicque valetudinem & vitam longiorem obtineri: alii hepar calefacere & ſanguificationem, fortè tamen, ipſorum opinione, ſolo calore, juvare: alii balſamicum quoddam condimentum ſanguinis eſſe ſentiunt. Veruntamen inviſibili Sulphure ſuo eam ſanguificationi præeſſe, hoc quidem conſideratione dignum judico, exinde enim & balſamica natura profluit.

Helmontius, qui mediante Chymiâ quàm plurimis veternum excuſſit, ut tantò accuratiùs in rerum cauſas inveſtigare cæperint, atque idcircò ſine causâ vapulat ab iis, qui ſcripta ejusdem vel obiter ſaltem legunt, vel, ob ignorantiam Pyrotechniæ, non intelligunt Hermeticæ Philoſophiæ acumen, cùm ob rara ingenii dona & ſcripta gratias ipſi agere deberent, ſi non ob ſingula, ſaltem ob plurima, quæ ingentem laudem merentur, examinatâ bilis naturâ, ipſam balſami inſtar ſeſe habere in corpore humano, procul dubio ob ſulphuream atque ſalinam naturam, quâ gaudeat, chylumque in ſtomacho acidum anteà, ſalſum efficere vel ſalſedine imbuere autumavit. Haud malè. Fel ſi per deſtillationem examinatur, & ſal lixiviale præbet, & tincturam ſulphuream, inſtar

rubini. Hinc felle corrupto Icteritia & Hydrops in promptu ſunt, variæque ſuboriuntur putrefactiones & corruptulæ planè mortiferæ, uti in apertione hydropici Giſſæ anno 1653. & anno 1665. 25. Febr. ſtyl. Vet. *Darmſtadii* in *Nicolai Meiſneri*, ibidem tum Laboratoris Chymici, uxore obſervavi. In hâc veſicula fellis planè exſiccata reperiebatur, & in ſex flavos lapides, friabiles tamen, concreta, qui loco fellis in cavitate continebantur. Educebantur verò ex illi⁹ abdomine aquæ cruentæ & fætidæ, uti in ſtagnis eſſe ſolet initiò, pòſt, qualis eſſe ſolet feculenta ſubrubens cereviſia, centũ & viginti quinq; libræ, & in fine deniq; inſtar juris piperati. Muſculi inde abdominis erant abſumpti, reperiebanturque ad utrumque lineæ albæ latus abſceſſus, inteſtinis inflammatis, omento & pancreate corruptis: ventriculus corruptæ bilioſæ materiæ ultra libram continebat. Pulmo flaccidus, nigris & cæruleis maculis infectus & corruptus erat: in renibus & hepate nullum notabile apparebat vitium, niſi quod hepar adnatum eſſet diaphragmati, & lien flavedine aliquâ tanquam corroſivo quodam tinct⁹ & verſus ventriculum velut ſectus aut ſuperficientenus rupt⁹ eſſet. Quo ipſo ſanè non leviter videtur *Platonis* verificari opinio, quam anteà adduxi: *nimirum humorum ex regione propriâ in alienam, inprimis ignis, id eſt bilis diſceſſum, vel redundantiam, vel defectum & corruptelam ſeditiones & morbos facere, id quod latius explicat* dum dicit: Cùm enim caro liqueſcens, (intellige ſive igne intenſiore per univerſũ corp⁹ diffuſo aut circum ambiente illud, aut interno in propriâ capſulâ, qui fel eſt, exacerbato, rurſus in venas tabem emittit, tunc ſanguis multus ac varius in venis, unâ cum ſpiritu, coloribus ac ſpiſſitudine alteratur, inſuperque acidis & ſalſis potentiis infectus, biles & ſeroſos humores & omnis generis pituitas ſuſcipit. Omnia enim converſo ordine facta & corrupta, ſanguinem ipſum tunc primùm perdunt, & ipſa nullum amplius alimentum corpori exhibentia undique per venas feruntur, eorum, quæ ſecundùm naturam ſe habent, circuituum ordinem (notetur hîc circulatio ſanguinis à Platone obſervata) nullum ſervantia, inimica quidem ipſa ſibi ipſis, eò, quòd nullum mutuum uſum inter ſe exhibent: conſtitutioni verò corporis,

poris, & ei, quod in loco ſuo manet, intenſa, perdentia hæc ac liquantia. Quantum igitur de vetuſtiſſimâ carne liquatum fuerit, id difficulter concoquitur, & à multâ quidem combuſtione nigreſcit. Verùm eo, quòd undique corroſum eſt, inde amarum exiſtens, omni corporis parti, quæ nondum corrupta fuerit, allabitur. Et modò pro amaritudine acidus, fit niger color, amaro videlicet magis attenuato: modò amaritudo rurſus ſanguine tincta colorem rubicundiorem habet: herbaceum verò, ſi niger ad hunc ammiſceatur. Commiſcetur inſuper flavus color cum amaritudine, cùm nova caro contabuerit *ab ignis flamma.* Et commune quidem (nb) omnibus his *nomen bilis* aut Medici quidam impoſuerunt, aut aliquis, qui ad multa & diſſimilia reſpicere potuit, & inter ipſa ad unum genus videre, dignum, ut inde omnia cognominarentur. Hactenus *Plato de bilis corruptæ excentricitate.*

De cætero verò bilis eſt inſtar aloës, vel myrrhæ aut abſynthii, ſalinivé aut ſulphurei ſpiritus, imò inſtar Elixiris proprietatis, ut hoc deficiente, deficiant deinceps omnia in microcoſmo, ſecundùm illud *Hiobi cap. 16. Effudit in terram fel meum*, id eſt: nullus in me amplius eſt animus: ubique in corpore meo corruptiones patior & dolores intolerabiles: Sal naturæ meæ colliquatum eſt & contabuit. Si n. ſpiritus ſalis ex ſale depuratiſſimo deſtillatus, omne quod corruptioni obnoxium præſervat, ſi modo ſpiritu illo imbuatur, ne per multa ſecula corrumpi queat: & quidem hoc pacto cadaver tempore Alexandri ſexti inventum ultraque mille & trecentos annos defoſſum intaminatum & incorruptum extitit; quis non ſpiritu hoc ſulphureo ſalinoque, qui in bile eſt, crederet, etiam ſanguinem conſervari in homine per decentem proportionem, poſſe.

Qui ſcrupulum adhuc in his quærit, legat ſimul inſignem ad *Clariſſimum Dn. Mœbium perſcriptam epiſtolam amici, in fundamentis Phyſiologiæ*, & quæ prætereà à *Fernelio* obſervata olim fuere; tum enim confitebitur facilè: hæmatoſin non juvari ſolùm bilis calore; ſed & chylum adeò eâ imbui, tanquam Sulphure & Sale, ut ſine hâc ne hæmatoſis quidem fieri poſſit. Eſt enim Sulphur illud tinctura &

ra &

ra & cryſtallus rubedinis intrinſeca. Et quamvis chylus videatur albus, cui miſcetur; experimento tamen, non aliter ac Philoſophorum nix in centro rubedinem habet, quæ ulteriori digeſtione & circulatione è centro in circumferentiam ſe promovet ut in præcedentibus ſatis inculcatum eſt. Unde & de Sophiæ labore *Coſmopolita* dicit: Sulphure acui debere Mercurium, ſi prodeſſe debeat. Et alius: In centro Salis aliud eſt ſal, quod haud multùm diſcrepat à ſale Sophorum, eſtque clavis totius artis, facitque reviviſcere plantas.

Cæterùm, etſi quoque Draconi huic orientali ab Anatomicis attribuatur vis ſecernendi, expultricemque ſtimulandi; non tamen ſine causâ natura videtur alium adjunxiſſe ductum, per quem ad inteſtina quoque alius ſuccus feratur. Cùmque ductus ille, ut in præcedentibus dictum, ſit *Pancreaticus* ſive *Wirſungianus*, è quo quidem ad inteſtinum aliquid fertur: nihil verò ab hoc ad illud, ob oſculum clauſum; maximam verò partem acida efferveſcentiam ſucitent; Hinc, quia ſuccus ille pancreatis acidus eſt, combinatis duobus illis rivis, tantò felicius puri ab impuro fit ſeſegregatio & lacteſcentis chyli manifeſtatio. Pro aciditate verò chyli non jam memorabo: bilis vomitum ſæpè præcedere aut ſequi acidum: non, infantes recenter natos, quibus nihil in ventriculo eſt, multùm acidi evomore: non, eoſdem ſæpè excernere æruginoſa & odoris vitriolacei excrementa, quæ ſi in ventriculo generarentur, aut per fauces eò delaberentur, deberent eo tempore fauces eorum atque os excoriari, ubi tamen tùm temporis tormina & cruciatus patiuntur, indicio, ex pancreate illum acorem provenire. Referam ſaltem, quod nuper ab amico ex Batavis ad me perſcriptum: Inſtituiſſe nimirum, haud ita pridem, Lugduni Batavorum, extiſpicium Medicinæ & Anatomiæ ſedulum Cultorem: itaque, paululùm aperto catulo vivo, in tantum, in quantum opus fuit ad ligaturam ductus pancreatici, relictâque uſque in alterum diem ligaturâ, ductum illum acido ſucco tumefactum inveniſſe. Inventum ergò, quod initiò dictum. Ut neque ſileam: acidulas, ſpirituſq; nitroſos & ſulphreos acidos, quales ſunt Salis,

Vitrioli,

vitrioli, nitri, clyſſi mineralis debitè & cum temperamento adhibitos adeò quidem ſequeſtrationem puri ab impuro ſtimulare, ut ſanitati hoc pacto quàm maximè præſint; inprimis verò illos juvent, quibus acidum pancreatis reſpectu bilis debilius eſt, aut quibus bilis ad corruptionem properat, variáſque inde in ſanguine phlogoſes excitat & tormina. Quantarum enim virum ſit ſpiritus ſulphuris ad vitam longam: quantum item ad digeſtiones valeat ſpiritus vitrioli, ſatis expeditum dedit *Helmontius, in tractatu de arbore vitæ, itemque c.* 8. *de Lithiaſi*, ubi dicit: Sulphur eâdem ratione, quâ vina conſervat & vappam reſtituit, etiam vinum vitæ noſtræ, ſanguinem conſervare in ſtagma converſum: & ſpiritum vitrioli, modo legitimo, quem ille, loco citato, docet, deſtillatum pergere uſque in quartam digeſtionem, reſolvereque excrementa morboſa in itinere obvia, & per conſequens etiam tollere cauſam occaſionalem plurium morborum chronicorum. De ſalis verò ſpiritu jam tum dictum in antecedentibus.

Sed, ne quis miretur has operationes naturæ in corpore humano, dum acida cum ſalinis miſta congregationem chyli moliuntur in ſuas homogeneitates, ejuſque ſequeſtrationem in heterogeneitates; idcircò idem natura nobis in ſulphure & mercurio, quæ minera ſunt argenti vivi Philoſophorum, conjuncta tamen, ob oculos ponit, utpote, quæ ſic vim habent metalla ſolvendi, occidendi & vivificandi; quàm verò poteſtatem accepére à ſulphure acetoſo ſuæ propriæ naturæ, teſte *Coſmopolitâ*, è quibus alterum, acetoſitas nimirum, ſegregat & reſolvit: ſulphur verò tingit, maturat & coagulat. Imò, velut fermentorum natura monſtrat, planè immutat in homine aſſumpta, ut deſint eſſe, quod fuerunt, nempe herbæ, fructus, radices, animalia, volatilia, aquatilia, piſces & id genus alia. Cùm enim in naturam humanam convertenda ſint, ideoque neceſſe eſt illorum quidditates mutari, ut novum hoc inde conſurgat; idque non ſpontaneâ reſignatione, aut prioris habenæ laſſatione, uti egregiè diſſerit *Helmont. cap.* 5. *de Lithiaſi:* ſed ſuperinductâ neceſſitate novi ſeminis. Ideoq; & ſulphur Veneris, poſt ſeparationem ſui à ſuo corpore, ac reſurgens,

gens, fit Sulphur quaſi glorioſum, tingitque ideò ſulphur mercurium immediatè, ut ſeſe thoro inſeparabili mutuò amplexentur, dicente eodem Philoſopho, quod magnæ conſiderationis eſt. Secundùm *Thomam* enim, Cuprum proximam habet potentiam, ad argentum & aurum. Quod verò, ſecundùm *Gebrum*, totaliter deſtrui debet.

Hactenus itaque omnia operi Naturæ neceſſaria inſunt, quæ longâ circulatione & coctione in ſanguinem abire poſſent, ſicut etiam fit in productione ſanguinis in ovo, igne interno, tanquam principali directore & opifice operis, agente, ſed ab externo excitato. At verò, cùm in Philoſophorum opere, uti jam antè indicatum eſt, addatur etiam interdum tertium, ex ſententia *Gebri in recapitulatione totius operis libri Inveſtigationum*, ad opus abbreviandum; ideòque prætermiſſis, quæ vel de excretione heterogeneitatum per inteſtina, vel de chyli per venas lacteas ad commune receptaculum profectione, vel de lymphæ commixtione, quæ & ipſa porrò diluit & purificat chyloſam ſubſtantiam, inſtar phlegmatis corroſivi, vel aceti, quod lavacrum mercurii *Geber* vocat, adhuc dicenda eſſent, quibus utpote Anatomicorum libri referti ſunt; reſtat, ut de tertio vaſe, id eſt, corde aliquid dicamus. Miſcetur in hoc chylus cum ſanguine, non, tanquam ille non poſſit, progreſſu temporis per ſe ob additum ſibi ſulphur rubedinis tincturam acquirere; ſed, ut id fiat tantò facilius. Uti enim aurum fermenti loco adhiberi ſolet, in Sophiæ labore, quod *Geber* appellat, loco citato, corpus perfectum attenuatum, idque deinceps poſt reſolutionem & putrefactionem, variaſque aſcenſiones & deſcenſiones in tincturam excoquitur. Ita quoque chylus ſanguini jungitur, non, ut momento temporis migret in ſanguinem, fiatque cum hoc in inſtanti planè homogeneæ naturæ; ſed ut per varias circulationes magis magiſque attenuatus, ſemperque ſpiritualior redditus, & puriſſimi denique ſanguinis naturam indutus, partim coaguletur in ſubſtantiam humanam, & in cutem plus ultrà conſtringatur: partim novæ generationi, in debitâ matrice præbeat materiem. Momento enim id non fieri, monſtrat venoſus

ſus ſanguis, qui aquæ miſtus viſcoſam & glutinoſam ſubſtantiam, nondum plane in ſanguinem converſam, chyloſam procul dubio, exhibet; ſed longiori motu convertendam, atque ideò ad cor reducendam, niſi quis dicere vellet, ex venoſo ſanguine fieri nutritionem, jamque carnis inchoamentum in ſanguine venoſo id eſſe, quod in ſanguine poſt venæſectionem aquis mixto album & viſcoſum cernitur, &, teſte *Dn. Andreâ Knöfelio, Regis Poloniæ Caſimiri Archiatro*, in carneam maſſam facile compingitur: dum ait: Fidem datam liberaturus ſimpliciter aſſero: aquam illam innatantem, partem ſanguinis eſſe individuam in vitâ, ὄχημα τῆς τροφῆς balſamicum; album verò illud glutinoſum, eſſe jam ſanguinem fibroſum incarnationi proximum & agglutinandum; inferiorem verò rubro nigricantem expectare adhuc ſui perfectionem in tales fibras incarnationis, quas etiam è ſanguine circa malleolos emiſſo & aquæ calenti immiſſo, aquâ illa eluto illo ſanguinis rubro ſeparatas virgultis adhærere deprehendimus. Eædem fibræ in factitiam & artificialem carnem compinguntur, hâc oculari demonſtratione: Quotiescunque cucurbitis in balneo calente ſanguis exſugitur, toties collecti grumi aliquot hujus extravaſati ſanguinis inter manus conglomerantur inſtar nivalis pilæ, & ſemper recenti affusâ aquâ eluendo ſanguinis rubrum, arctiùs manibus compinguntur eouſque, quò tandem illa omnis fibrarum compactura in maſſam candidæ vel incarnatæ & ſic factitiæ carnis portiunculam coaleſcat, jucundo & curioſo ſpectaculo. *vid. prædictus Dn. Knöfelius, in methodo medendi febres epidemicas & peſtilentiales.* Id quod verò hactenus univerſo Diſſectorum cætui haud placet, qui omnem venoſum ſanguinem ad cor regredi affirmat.

Coagulatio verò illa in carnem & oſſa fit, vi ſulphuris animalis. Quemadmodum enim mercurius vim habet à proprio ſulphure coagulari: ita quoque vis ſulphuris animalis, ſi non eſſet in homine, congelare ſanguinem non poſſet in carnem & oſſa, quod videre quoque licet in vegetabilibus, in quibus, ſi non eſſet vis ſulphuris vegetabilis, non congelaret aquam ſeu mercurium vegetabilem in herbas & arbores. Cùm enim Natura in triplex

regnum diviſa ſit, nimirum minerale, quod per ſe ſubſiſtere poteſt, etſi nullus hominum in mundo eſſet, nec arbor nec herba: vegetabile deinde, quod etiam ſine minerali & animali ſubſiſtere poteſt, quia ex uno per unum creata ſunt, nimirum ex vapore humido, ſive aëre congelato, in ſuis matricibus per diſpoſitionem Dei: denique animale, quod ex prædictis duobus vitam habet, illiſque nobilius eſt; hinc pro diverſitate ſeminum, quibus quodlibet regnum gaudet, etiam diverſa ſit horum in ſuis matricibus coagulatio, beneficio ſulphurum: ſiquidem, *teſte Coſmopolitâ*: Sulphur eſt mercurii coagulum, ut in regno animali, mercurium ſive materiam, ſulphur, tanquam virtus, convertat in naturam, non mineralem, ſed animalem: & ſic quoq; in cæteris. Ideoque etiam, quantum ad novæ generationis diſpoſitionem attinet, teſte *Treviſano*, conſimile eſt hominis generationi opus noſtrum Philoſophicum: quia, quemadmodum parentum ſemina per amoroſam conjunctionem, quæ velut labor quidam eſt diſponens, & commiſcens illa naturalia ſemina, in vaſis naturalibus junguntur & miſcentur ad hominis generationem: ſemen verò viri, tanquam maturius, perfectius & activius cum ſemine fœminæ immaturiori, veluti paſſivo conjungitur: Ita quoque in mercurio (ex quo aurum à naturâ in vaſis mineralibus procreatur) fit naturalis conjunctio amborum ſeminum, maſculi & fœminæ, conſimiliſque artificialis conjunctio agentium & patientium. Et veluti viri ſemen magis actu in ſe continet elementa agentia, ut ſunt aër & ignis: fœminæ verò actu magis elementa indigeſta & paſſiva, ut ſunt terra & aqua, atque ideò magis digerenda, hiſque in vaſa naturalia fœminæ effuſis & permixtis, nullâ re extraneâ ſibi additâ (calore tamen extrinſeco mulieris excitante & coadjuvante intrinſecum calorem proportionalem ſeminis viri) activa elementa ſeminis viri digerunt & maturant ſemen fæminæ, unde homo generatur perfectus in naturâ: Ita quoque elementa activa in mercurio, tanquam ſemen maſculinum cum elementis paſſivis, quæ ſunt veluti ſemen fæmininum, artificialiter in Sophiæ labore conjunguntur, proportione tamen naturæ

debitâ

debitâ ſemper obſervatâ, quæ conjunctio prima appellatur digeſtio mercurii, in quâ de potentiâ ſurgit actus, ſcilicet maſculinum à fæminino, hoc eſt aër & ignis, quæ poteſtate tantùm inſunt mercurio, *Verba ſunt Treviſani*, à terrâ & aquâ, quæ duo ſolùm actu inſunt, mediante pura digeſtione & ſubtiliatione ipſorum. Et hoc eſt, quod dicunt Philoſophi: medicinam metallicam fieri debere ex duobus, unius tamen eſſentiæ, videlicet, ex unione mercuriali fixæ & non fixæ naturæ, ſpiritualis & corporalis, frigidæ & humidæ, calidæ & ſiccæ, ut ſic una materiarum ſubveniat alteri. Sicut enim Deus primò creavit maſſam informem, in quâ virtutes omnium elementorum latitabant: poſteà verò per diviſionem ejus cœlum fecit & terram: ſuperius & inferius: maſculum & fæminum: agens & patiens; ita quoque in Philoſophorum maſſa duo hæc requiruntur, ut ei inſint, quæ tamen per artem ſequeſtrata & poſt depurationem unita opus compleant. Terra in primâ creatione emittebat nebulam, quæ recidens in terram rerum generationem & multiplicationem promovebat. Ex limo erat Adamus factus, ex Adamo Eva, quorum conjunctione univerſi generis humani propagatio. Ex uno ſiquidem unum non creatur. Sufficit ſi poſſis ex duobus facere unum tibi utile. Duo tamen hæc unius ſunt radicis: neque ſpecie differunt ſed numero: ſicut vir & mulier in ordine ad ſpeciei multiplicationem unum ſunt in ſpecie; duo tamen in individuo & ſexu. *ſec. Saturnia regna poſ.36.* Materiam ergo tuam diſpone, id eſt limum tuum aut limbum ut inquiſitum & inventum diſponas ſalutaribus aquis vide, fœtum matris in uterum reiterato, fove, reconde, regenera, tum occide, arcana ſunt *Walchii, in Decade fabularum*, verba. Sed inquis: *Hermetem in Tabulâ ſuâ*, unicam ſolùm rem indigitare, à quâ omnes res adaptatione factæ ſint? Dico igitur omninò rem eſſe unicam, id eſt virtutem cæleſtem & eſſentiam quintam, quæ verò mutetur in mare & fæmina ad terram in cælum & cælum in terram commutandum. Veruntamen, ingenioſi artifices, uti ſuprà quoque inculcatum, præter hanc naturalem in Mercurio ſeminum digeſtionem, aliam ſubtiliſſimo ingenio conjun-

ctionem ac digeſtionem fecerunt: unde nedum aurum ſimpliciter, ſed longè nobilius & perfectius procreârunt. Ipſi enim aurum (in quo activiora ſunt elementa) tanquam ſemen maſculinum, in mercurio, (in quo paſſiva exiſtunt elementa) ut debitè diſſolvatur conjungi præceperunt, omni re extraneâ ſemotâ, præter calorem extrinſecum adhibitum, qui adjuvando excitat intrinſecum naturalem auri, ad digerendum activè maturandum mercurium. Etſi enim natura ſolum mercurium præparatum in terræ viſceribus abſque quovis adminiculo coquendo & digerendo convertit in metalla, quia tamen hunc finem non aſſequitur parvo tempore, ideoque ars juvat naturam, admiſcendo mercurio, aurum maturum, in quo eſt ſulphur optimè digeſtum, & ideò maturans & citò digerens ipſum mercurium, ad anaticam auri proportionem, elementa ipſius ſubtiliando, quo ipſo mira fit hujus operis abbreviatio. Neque tamen hîc aliquid contra autorum intentionem dico, qui affirmant: unam eſſe ſolùm materiam. Differt enim hîc ſolvens à ſolvendo, digerens à digerendo ſolùm proportione & digeſtione, & non materiâ. Neque itidem duo hæc, aurum & mercurium nominando, mihi contradico, qui anteà triplicis ſulphuris mentionem feci, nimirum ejus, quod in mercurio eſt, deinde Sulphuris inviſibilis & denique ſulphuris digeſti, quod in auro eſt. Siquidem quod Sulphur inviſibile concernit, potuit Beja citra crimen, ante fidem datam Gabritio, ſpiritualem amorem contraxiſſe, ex ſemine ſpirituali primi maſculi. Mercurius namque ſulphure inviſibili potens redditur, per ingenioſam ſublimationem Philoſophicam, quæ tamen fieri haud debet, cum confuſione & corruptelâ ſubſtantiæ mercurialis, uti fit in ſublimatione per minora mineralia; ſic enim diſproportionatur ejus intrinſeca natura, inutiliſque redditur ad opus Sophiæ: ſed per rejectionem ſuperfluitatum, mediantibus illis, quæ illi maximè amica ſunt, intiméque illi conjunguntur; quo facto, meritò appellari poteſt Priſcorum Venus hermaphrodita, ſecundùm *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ*, utroque ſexu pollens, id eſt aqua ardens, aqua vitæ, aqua permanens, aqua limpida,

aqua

aqua auri & argenti, in quâ producendâ benigniſſimo, licet longiſſimo generationis igne opus eſt. Sed cùm ſublimatio illa maximum in ſe arcanum contineat; ideoque nemo facilè eam tentet, niſi fundamento bene jacto, cùm à vulgaribus ſublimationum modis multùm diſtet, opusque lentum & propemodùm ipſius naturæ ſit, imò & opus herculeum, quod ſine ignis Sophici cognitione patrari non poteſt, ſecundùm illud, qvod *Autor Arcani Hermetici* ait: Duobus perficitur mercurii ſublimatio, ſuperflua ab eodem removendo, & deficientia introducendo: ſulphure enim acuitur Mercurius noſter, ut ſic verificetur, quod *Sendivogius* ait: Regitur Igne noſtro continuo, per menſes ſeptem, & interdum decem, ut duo producant unum incorruptibile, in quo ſint quatuor æqualiter ſincera & ad ſummum depurata.

Denique, uti ſubſtantia mercurialis pura facilius miſcetur cum ſui generis materiâ: Itaquoque facilior eſt coagulatio ſpirituum ſanguinis, ſive ejuſdem minimarum partium in homine, ubi purus extiterit, quàm ubi impuritatibus inquinatus fuerit. In quâ tamen coagulatione notandum, veriſimile eſſe: ſimile ſimili jungi, parteſque corporis ſimilibus partibus nutriri eo modo, quo vitriolum, tartarum & nitrum æqualibus portionibus in aqua ſoluta, poſt cryſtalliſationem, eleganti ſpectaculo, iterum impermixta cernuntur, & ſic vitrioli atomi vitrioli integrum corpus repræſentant: tartareæ verò tartari, & nitroſæ denique nitri: imò groſſiores, groſſos poros; ſubtiliores verò, poros ſubtiliores ſibique conformes adimplere, rejectis ſuperfluitatibus, non aliter, ac etiam mercurialis ſubſtantia purior ſubtiliorque in aurum & argentum: impurior verò & ſulphure combuſtibili infecta in cætera metalla abit & excoquitur, quod egregiè notavit *Treviſanus in epiſtolâ ad Thomam de Bononiâ.*

Neq; abludit ab hâc ſententiâ *divinus Plato, in ſuo de Natura libro, quem Timæum inſcripſit*: dum enim de alimentatione corporis loquitur: Modus, ait repletionis & receſſionis contingit, quemadmodum in univerſo cujusvis rei latio contingit, in quâ (nb) quodvis cognatum ad ſeipſum fertur. Quæ enim extra nos circumſtant, ea

liquant

liquant ſemper ac diſtribuunt, ad unamquamque ſpeciem id, quod cognatum eſt, demittentia. Quæ verò ſanguinea ſunt, ea inciſa intus apud nos & comprehenſa, velut unoquoque animali ſub cælo conſtituto, univerſi lationem imitari coguntur. Dum igitur unumquodque ex his, quæ intus diviſa ſunt, ad cognatum fertur, tunc id quod evacuatum eſt, rurſus replet, & cùm quidem plus, quàm influit deceſſerit, quodvis corrumpitur ac perit: cùm verò minùs, augeſcit. Quod non ſolùm de quantitate, ſed & de qualitate & diſſimilitudine intellectum vult *Plato*, dum porrò ait: ſi non ſingula id, quod ſibi ipſis convenit aſſumunt; ſeditiones & morbos faciunt. Cùm enim unumquodque præter naturam contingit & tranſmutatur, caleſcunt ea, quæ prius perfrigerabantur, & quæ ſicca erant, poſteà fiunt humida, levia item ac gravia, & omnes undique mutationes ſuſcipiunt. Ita enim tantummodò ſentimus, quòd idem ad idem, ſecundùm idem, & eodem modo accedens ac decedens ſinet id, quod idem cum ipſo eſt, ſalvum ac ſanum permanere. Quod verò aberrabit, horum unumquodq; aut decedens aut accedens alterationes varias & morbos & corruptiones infinitas inducet.

Latiùs, ut video, & liberiùs progreſſus ſum, in *laboris Sophici* deſcriptione, ejusque cum *Animalis operis* naturâ comparatione, Imò exiſtimo, me candidè utrumq; opus ita velut oculis omnium ſubjeciſſe, ut nemo facilè candorem meum in eorum delineatione deſiderare poſſit. Sed video adhuc turbam occurrentium: Multa me de mercurio dixiſſe, cùm tamen Philoſophorum turba argentum vivum excludat. Reliquum itaque eſſe, ut mineralis operis ſubjectum exprimam, proprio ſuo nomine, neque utar terminis artis.

Equidem fateor, in hunc lapidem plurimos impingere, qui ſcorias ſeminant & nucleum relinquunt, aut abjiciunt. Hinc enim fit, ut dum ad artis veritatem pervenire non poſſunt, vel inter carbones fumo arefacti vel ſemi conſumpti & macilenti negent ejus veritatem, eamque inſectentur famoſis ſermonibus, ſarcaſticiſve ſcriptis, tanquam ſine iis, quæ ipſi intelligunt, ſcientia nulla eſſe

poſſit

poſſit alia & certior, cùm tamen tot experimenta & ſcripta optimorum Virorum reclament, & ipſi ſic ſuam propriam prodant turpitudinem, ignaviam & ignorantiam, quæ ne auri quidem & argenti veram ipſis cognitionem indulſit, dicerem fere, neque illius rei, ex quâ ipſi conſtant & vivunt. Etſi enim præter id, quod in auro eſt aut argento, perfectius non datur in orbe ſubjectum, inque auro ſemen aurificum longè præſtantius eſt, quàm in aliis reb⁹; aurum tamen vulgi à multis removetur: *primò*, quia propter ſui fortiſſimam compactionem & compoſitionem naturalẽ, ob ſimplicem ſui perfectionem, teſte *Rogerio Bacone, in Speculo Alchemiæ*, ad intimam auri mundificationem pervenire vix poſſimus: *Deinde*, quia in aliis quoq; metallis granum fixi Sulphuris reperiatur, quod ſtatim in coagulatione mercurii natura introduxit, teſte *Flamello*: *Tertiò*, quia aurum, dum ad ultimam coctionem pervenit, & natura in eo ultimas ſuas vires exercuit, agente externo privatum ſit, quod tamen cauſa eſſe debeat, ut internum Sulphur Solis ſuſcitetur & promoveatur de potentiâ ad actum. Hinc ajunt: fruſtra quæri noſtræ artis chaoticum ſubjectum in auro illo vulgi. Neque tamen, quia reliquorum metallorum corpora magis aperta ſint, & non minùs, ac etiam aurum, grano illo fixi gaudeant, vel jam adhuc in mineris agente externo nondum privata ſint, hæc in uſum artis venire debere, cùm impura ſint, & labe contaminata, ac proinde puritatem eam non datura, quæ in Elixire Philoſophorum requiratur; neq; niſi à ſolâ naturâ purificari queãt aut beneficio aurifici Sulphuris lapidis perfecti, qui ſit ignis æthereus penetrantiſſimusque, illa in puritatem tranſitura: Unde & mercurium vulgi, utpote in quem agens illud externum nondum introductum ſit, ut internum in eo ſuſcitetur & promoveatur de potentiâ in actum, excludunt.

At *inquis*: Omnes Philoſophi dicunt, quodlibet regnum per ſe ſtare, & ex homine non fieri niſi hominem, & ex equo equum, ſecundùm ſeminum proprietatem; aliam proinde materiam pro lapide philoſophorum ſuppeditari non poſſe, quàm aurum. Reſp. *Verum eſt*, naturas non eſſe permutandas. Nam ita ait *Coſmopolita*:

mopolita: Si tu ſimpliciter aliquid vis facere, ſicut ipſa facit natura, ſequere naturam: ſin verò præſtantius quid moliris, quàm natura, id animadverte, in quo & per quid melioretur, & ſemper in ſuo id fiat ſimili. Exempli gratiâ, cupis metallum (quæ eſt noſtra intentio) ulterius, quàm natura fecit, in virtute promovere, naturam accipere oportet metallicam, & hoc in mare & fæminâ, aliâs nil efficies: ſi enim intendis ex herbis creare metallum, laborabis in vanum; ſicuti etiam ex cane vel beſtiâ aliâ lignum non produces. Et hinc multi in auro arcanum hoc quæſiverunt & invenerunt, in auro enim ſemina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant longiùs, quod & fatetur *Frater Baſilius*, qui parte tertiâ in explicatione duodecim clavium expreſsè dicit, quòd in clavibus duodecim totam lapidis præparationem inſinuârit, à principio uſque ad finem, ſine ullo defectu, & quidem ex ipſo auro. Neque pauci ſunt, qui per Paracelſi Electrum immaturam minerale intelligunt aurum metallicum. Verùm enim verò, cùm *primò ipſe Coſmopolita* metalla vulgi alibi excludat, hancque tractatu tertio det cautelam, ne in metallis vulgi illud quæras punctum in quibus non eſt, propterea, quòd hæc metalla, præſertim aurum vulgi, mortua ſint, addatque tractatu quarto, fruſtra id quæri in re durâ; cùm per ſe mollis vel liquida ubique ſit: *Deinde*, de triplici auro alibi ſcripſerimus: & *tertiò*, aliud ſit metallum eſſe, & aliud naturam habere metallicam, id eſt, continere in ſe vaporem elementorum potentialem metalli; jam quilibet videre facilè poteſt, non adeò opus eſſe, per retroactionem, ut metalla ſolvantur, & in ſua tria principia redigantur, quod magni laboris eſſet, & ſecundùm *Baconem* de compoſitione Solis vix per omnem vitam impetrabile, imò & magno conſtaret pretio, & expenſis regiis; ſed ut natura accipiatur metallica. Siquidem, ipſo *Baſilio ſuprà laudato*, & quo vix præſtantior alter & ſincerior in hâc materiâ, *teſte*, aliud adhuc in natura eſt aurum à Creatore Deo ordinatum, & præſtantius quidem, de quo ſic loquitur *parte 3. in explicatione duodecim clavium.* Daß ich auff das Gold-metall die Arbeit deß lapidis Philoſophici geleget/ iſt darumb geſchehen/ damit die Einfältigen/ denen das

andere

andere corpus und ſubjectum, darinnen alle drey principia zu finden/ gantz unbekant/ und obs wol gemein/ doch all zu hoch in ihrem Hirn entſeſſen/ deſtomehr Verſtand ſchöpffen und Wiſſenſchafft neben Erkantniß haben und erlangen ſollen. Auch/ da ihrer viel der alten Weiſen/ die vor mir gelebt/ auff dieſe Manier den wahren univelſal-Stein aller Geheimniſſen und Geſundheit erlanget haben/ nach Außweiſung ihrer hinderlaſſenen Bücher/ ich auch ſelbſten in gleichem zum erſtenmal/ mit ziemlicher groſſer Müh und Unkoſten/ auch langer Zeit ſolcher Geſtalt auß dem im erſten Schlüſſel angezogenem gereinigtem Golde/ ſolchen himliſchen Stein in meinem Cloſter bereitet und glücklichen erlanget/ biß ſo lang mir der Höchſte im Himmel weiter Gnade und Segen verliehen/ dem Handel weiter nach zu dencken/ worein von Gott dem Allmächtigen die geferbeten und geſeeleten Geiſter mehr geſetzt werden. & paulò poſt: wer aber für den Einfältigen mit einem höhern Verſtand begabet/ und ihme fleiſſige Nachforſchung von Hertzen wird angelegen ſeyn laſſen/ Kunſt zu ergründen/ der wird ebener maſſen am ſelbigen Ort finden eine andere und leichtere/ jederman bekante materiam, faſt mit Worten genennet und angezeiget/ einer kräfftigen Eigenſchafft/ darauß Er gleicher Geſtalt/ wie die Alten vor mir/ nach dem ſie nach fleiſſiger Ubung der ſpeculation das einige Zweck und Ziel endlich beſſer erkennen lernen/ wie auch von mir ſelbſten mehr als zu einem mal beſchehen/ mit kürtzerer Zeit und wenigerer Müh den Stein der Geſundheit und deß Reichthumbs erlangen und zu wegen bringen kan/ dieweil in ſolcher kentlichen und ohnachtſamen materia und mineraliſchem Weſen der Sulphur und Farb noch kräfftiger und würdiger als im allerbeſten Golde gefunden wird/ ꝛc.

Cuiq; verò hîc ſuum linquo judicium: neq; enim contendo cum illis, qui aurum vel argentum eligunt vel repudiant. Intentionem ſaltem ſpecto philoſophorum. *Nortonus etenim Anglus* ex Mercurio animato, ex Antimonio, ex Saturno, Marte, Sole, Lunâ, Venere, Jove &c. tincturas conficere docet, quibus mutatio fieri poſſit metallorum inferiorum in aurum: neque abludit *in Apologiâ Argyropœiæ & Chryſopœiæ contra Thomam Eraſtum Gaſto Clavæus*, qui binos oſtendit modos, alterum ex auro & mercurio difficilē: alterū

verò occultum & facilem. Conſulatur quoq; de hôc ſcrupulo *Riplæus* & alii. Siquidem & ipſe Coſmopolita non unum obſervare proceſſum videtur, verumque eſt *illud Augurelli*: *In auro*

Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant
Longiùs & longo nobis quærenda labore.

neque mihi ignotum, alio quòque auro uti Philoſophos.

Quotiescunque ergò mercurii, vel auri aut argenti mentio fit, toties in unicam rem mentem ſuam intendat Philochymicus, in quâ eſt argentum vivum mundum, purum, clarum, album & rubeum, non ad complementum perductum; ſed commiſtum æqualiter & proportionaliter, per modum debitum, cum ſulphure tali, & in maſſam ſolidam congelata, ut cum ingenio & prudentiâ noſtrâ, igneque noſtro artificiali ad munditiem ſui intimam pervenire poſſimus, & talem efficere, quò ipſa poſt operis complementum ſit millies milleſies fórtior & perfectior, quàm ipſa corpora ſimplicia, caliditate naturali decocta, uti denuò monet, præfatus *Baco, loco citato c.* 3. Habitâ enim tali materiâ, fortaſſis tibi cognita erunt *viridis veſtigia leonis, de quo Hadrianæum* loquitur *teſtamentum*; vel aër coagulatus, unde in auri poſſis penetralia ferri: de quo ſic Augurellus:

Deniq; ſic etiam fulvo detentus in auro (ſcilicet univerſi ſpiritus)
Ipſe manum cupit artificis, qui vincula ſolvat,
Et qui ſe propriâ reddat virtute potentem.
Quod ſi quis properans hunc artis viribus unquam
Explicet, atque diu tepido pòſt in coquat igni,
Continuò aſpiciet viſu mirabile, vitam
Auro impertiri longo cum ſeminis uſu,
Nec deerit, quin ex auro ſibi procreet aurum.

At inquis: ubi nam ergo habitat illa res, quæ verbis iſtis tam obſcurè inculcatur? Dicam liberè, ſi ingenium habes & me intelligere cupis? Domus auri, eſt mercurius: mercurii verò domus eſt aqua, quod quid ſit inferius declarabitur. Siquidem apertiſſimè jam affirmo, licet mille mille alii reclament: Materiam artis, clavemq; phyſicam, etſi ubique ſit, & in omnibus; non tamen erui

erui commodè ex montibus, aut foveis terrarum. *Deinde*, materiam Sophorum, prout in manus accipi debet, neque in terrâ, neq; ſupra terram naturaliter oculis ob viam eſſe, aut ſine arte reperiri poſſe, licet induſtriâ ſagacis artificis haberi queat. Neque *tertiò*, eam nobis *liberè* audientiam dare, loquar verbis *Coſmopolitæ*, ſive in auro ſive argento, neque in mercurio, ſulphure aut ſale, vel herbis, dico verò, *liberè*, quia arctè in his concluſa eſt & clave indiget, quæ prius inquirenda & unde aurum factum eſt. Et *quartò*, non habere formam aëris, ignis, aquæ vel terræ, licet hæc omnia ſit, ſive potiùs horum omnium confuſio aut origo, & chaos. Intentus ergò quilibet ſit in matrem, ſive radicem auri, quàm in ipſum aurum. Sulphur enim appellant Philoſophi aurum ſuum, & mercurium ſuum appellant argentum vivum, quod eſt vapor potentialis metalli & chaos Philoſophorum, in quo, quicquid ad artem requiritur, incluſum latet. Diſce itaque cognoſcere hunc mercurium, & ubi ille copioſius & purius moretur, nam & ibi ſulphur Philoſophorum reperies. Cognoſces autem ex ſplendore lucis, & ubi, etſi in carcere lateat, nihilominùs ſplendore ſuo ſe manifeſtat, vix enim fieri poteſt, ut Princeps non cognoſcatur, ſi vel maximè ſit indutus obſoletis pannis, ex majeſtate vultus, ignis enim planè coerceri non poteſt.

Denique, hîc omnibus conſiderandum offero, quidnam ſit illud, quod in Chryſogoniâ animali convertatur in oſſa, carnem & cætera hominem integrantia, ſpiritumque ejus conſervantia? Reſpondet hîc *Coſmopolita:* Creatus homo de terrâ ex aëre vivit. Eſt enim in aëre occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam rarefactam appellamus, cujus ſpiritus inviſibilis congelatus melior eſt, quàm univerſa terra. *Augurellus*, de hoc aëre canens, medium illum eſſe dicit inter animam & corpus, quem locum jam tum allegavimus, in *tractatu præcedenti*, ubi & mediam appellavimus naturam ſubjectum illud. Sed, ut hoc rectiùs intelligi poſſit, vellem, ponderarent priùs ipſi rerum naturalium indagatores, quantum quotidie aſſumatur de cibo & potu: quantum deinceps excrementorum iterum rejiciatur; & invenient: plus ſæpe

rejici, quàm aſſumptum fuit. Imò, ſi non tantùm rejiciatur, quantum aſſumptum fuit, ſtatim hominem infirmari, morbisque obnoxium reddi. Natura ſiquidem, tanquam provida mater, in toto corpore ſequeſtrandi provincias inſtituit, ut ab aſſumptorum pondere liberaretur homo, ſoluſque reſtitaret ſpiritus in cibis & potulentis occultus, affinitatemque noſtro cum ſpiritu habens; qui, uti mediante aëre, ab æthere defluens quotidie, rebus omnibus communicatur & ineſt: ita à cibo potuque ſequeſtratus ad tincturam perfectionis pervenire non poteſt, ſine ſpiritu æthereo, qui & in nobis eſt, & quem cum aëre quotidie in ſolatium noſtri haurimus, quique rubedinis tincturam abundantiſſimè habet. Et hoc eſt, quod ait *Dn. de Nuyſement in tractatu de Sale philoſophorum*: quamvis edamus & bibamus, omne tamen id, quod ſtomachum noſtrum ingreditur, per loca deſtinata ſimili fere pondere & quantitate, quâ illud ingeſſimus, egreditur. Non igitur ex maſsâ vitale oleum extrahimus; ſed de purâ illâ eſſentiâ in ſuo interiori latente. Cùm itaque excrementa omnia ſeparari debeant, ut liber fiat pro nutritione ſpiritus, illaque ſolùm vehicula ſint, quibus ſpiritus tegitur, apparet, rectè injunxiſſe *Hermetem* ſeparationem terræ ab igne, ſubtilisque à ſpiſſo: ſiquidem, *eodem de Nuyſement teſte*, nihil in mundo exiſtit, in quo excrementa ſubſtantiam naturalem non excedant; & omne quod videmus & tangimus nihil aliud eſt, quam excrementum ſubſtantiam occultam obumbrans. Ad centrum itaque cujusque rei reſpiciendum. Siquidem cuique rei ſua virtus ineſt, & cæleſtis influentia, quæ tamen externis oculis minimè deprehendi poteſt, niſi per effectus. Videmus attractionem ferri, magnetis beneficio: vitam verò magneticam latentem in ipſo magnete videre non poſſum⁹, quia ſpiritus eſt, & ſub ſenſum non cadit, & ſic de aliis, dicente *Dornæo*: Rectè ergò *Coſmopolita dicit, tract. de Sulphure*: Minera ejus ſunt omnes res mundi. Eſt enim in metallis, herbis, animalibus, lapidibus, mineris, nimirum virtus illa intrinſeca & ſiccitas, convertens & congelans argentum vivum in aurum, tum etiam omnia metalla & corpora humana ad ſanitatem. Nimirum, quod de Sulphure ſuo dicunt: ineſſe illud

omni-

omnibus rebus, idem quoque de mercurio ſuo cenſendum præcipiunt, illum omnium rerum ſubjectum eſſe. Et quod porrò dicunt: virtutem cujuſque regni per ſe ſtare, idem quoque intelligendum de materiâ, & varietate operis mineralis, illud in auro & argento perfectiſſimum eſſe, teſte *Sendivogio l. c.* ſed in argento vivo facilimum. De cujus centro mercurius ipſe, in *Novo lum. Chymico* ſic loquitur: Centrum meum eſt cor omnium fixiſſimum, immortale & penetrans: Ego verò ipſe ſum via & curſor, peregrinus & domeſticus. Atque hinc *Geber*, ex cujus ſcriptis *Coſmopolita* hauſiſſe videtur verba ſua, *ita ait*: *l.* 4. Eſt autem tam quidem in corporibus ipſis, quàm & in ipſo argento vivo, ſecundùm naturam, cùm unius ſint reperta naturæ; Sed in corporibus difficilius: In argento vivo autem propinquius, non autem perfectius. Ubi tamen ejusdem *Gebri* verba ſimul ponderanda ſunt, *lib.* 3. *c.* 2. Argentum vivum non eſſe perfectivum in naturâ ſuâ, ad quam reducit minera ſua; ſed ad quod perducit ipſum artificium noſtrum, & ſimiliter in ſulphure & ſuo compari eſt inducere. Unde Sapientibus appellatur mercurius de mercurio, vel in mercurio, *teſte Helmont. in progymnaſmate Meteori*: de quo nucleo ita ſuprà laudatus *Geber*: *lib.* 3. *c.* 6: quia igitur argentum vivum propter multas cauſas exterminationis ſe in partes compoſitionis illius dividi permittit, quia aut cum totâ ſui ſubſtantiâ ex igne recedit, aut cum totâ in illo permanet ſtans; notatur in eo neceſſariò perfectionis cauſa. Laudetur itaque benedictus & glorioſus Deus altiſſimus, qui creavit illud: & dedit illi ſubſtantiam & ſubſtantiæ proprietates, quas non contingit ullam ex rebus in naturâ poſſidere, ut in illa poſſit inveniri hæc perfectio, per artificium aliquod, quod in illo invenimus. Ipſum enim eſt, quod ignem ſuperat, & ab eo non ſuperatur; ſed admirabiliter in eo quieſcit, gaudens eo. Quod idem *Coſmopolita* de mercurio dicit: Si quis ignem cordis mei novit, vidit ignem (calorem debitum) cibum meum eſſe. Item: Ego ipſe ignis ſum, & ſpiritus meus cum ſpiritu ignis amant ſe. Item: in centro meo eſt requies Domini mei.

Tu ergò qui hæc legis, omnia de mercurio Philoſophorum intellige

telligè, aliter non: vulgaris enim, ut ſic, niſi longo labore præparat⁹ & alteratus à cordatis rejicitur, licet, facto Elixire, totus converti poſſit propemodùm in aurum, dum in cæteris metallis id, quod nõ eſt ſubſtantiæ mercurialis, tanquam ſcoria ſuſcipiendæ tincturæ incapax cenſetur, quæ etiam cauſa eſt, ut multi dubitent de *clavo Florentino in aurum converſo, quod & Autor lucis obnubilatæ ſuâ ſponte refulgentis* fatetur. Mercurius a. Philoſophorum eſt media & pura argenti vivi eſſentia, ſecundùm Arcanum Hermeticæ philoſophiæ §. 45. *& Gebr. l. 3. c. 6. & in Præfat. ad lib.* 4. Eſt enim in auro, argento, plumbo, ſtanno, ferro, ipſoque argento vivo, imò rebus omnibus, licet hæc ipſa non ſit, nec niſi magno cum labore inde extrahi poſſit, clavem a. habenti omnia facilia.

Niſi enim quis centrum, ſive ignem Mercurii noverit, vix intelliget ſpiritum vini *Arnoldi*: ignem aquam *Helmontii*: aquam ignis mercurialis *Rovillaſci*: ſanguinem Draconis *Alberti*: aquam Saturninam *Baſilii*: acetum acerrimum, lac virginis, aquam ponticam: aquam ſiccam *Sendivogii*. Eſt enim in rebus naturalibus omnibus aliquid, quod verum, pulchrum, perfectum & bonum eſt, & Soli cæleſti correſpondet, ſive cum cælo unum eſt, ſecundùm illud Hermetis; quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius: & vice verſa. De quo *divinus ille Iohan. Arnd, quem meritò ob ſingularia veſtigia adepti ignis Sophici, appello* Adeptorum participem, *l.* 4. deß wahren Chriſtenthumbs *c.* 1. ſic ſcripſit: Zum Beſchluß iſt auch zu wiſſen / daß der gütige Schöpffer ein reines / ſchönes und anmühtiges Liecht allen Dingen eingeſchloſſen hab / wie die wiſſen / ſo die natürliche ſeparation verſtehen / und die puritãt und Reinigkeit aller Ding recht philoſophiſch ſcheiden können / von der impuritãt und Finſterniß / und alſo können alle Ding natürlich perficiret werden in ihre Klarheit / denn / das iſt ihre natürliche Verklärung und ein herꝛlich augenſcheinlich Zeugniß der Verklärung unſerer Leiber am Jüngſten Tage / wenn die Unſauberkeit von Leib und Seel hindan wird geſchieden ſeyn: appellaturque auri compar, ut ſic egregiè, veréque cecinerit *Augurellus*:

Quare

Quare, id ne pigeat, quodcunque eſt, quærere compar,
Aut ubicunque latet, ſeu montibus abditur imis,
Vel maris eruitur ſcopulis, aut fontibus hæret
In mediis, alto vel ſe producit olympo:
Seu quâcunque patet, ſeu parte abſconditur omni:
Quicquid id eſt, totóve orbis ſe corpore miſcet, &c.

Breviter: eſt id, de quo Moſes ſcribit: כיטוב quod in creatione extraverſum ſtabat, adeò, ut omnia lucerent, vi illius veritatis & bonitatis: poſt lapſum verò, ex maledictione divina oculis externis ereptum eſt, ut non niſi mentis oculis videri poſſit: ſingulari tamen artificio tandem obtineri; ſi nimirum quis cognoſcat clavem Saturni ad carceres infernales, & per eandem, ligatam illam veritatem, ſive lucem ad libertatem deducere potuerit, ut coram oculis tripudiet puriſſima illa & pudiciſſima ſine veſte Diana. Siquidem in eo tota ars conſiſtit, ut à compedibus ſuis hujusmodi ſpiritus liberetur. Namque Philoſophorum intentio eſt, eſſentiam quandam mineralem, ductu & auxilio naturæ, per artem efficere, quæ poteſtatem habeat argentum vivum & reliqua metalla impura perficiendi, quod ſine mercurio Philoſophorum profectò fieri non poteſt, qui eſt aqua Paradiſi *Iſaaci Hollandi*, aqua puriſſima, mercurius ſummè ſeparatus ab omni terreſtri & accidentali ſuperfluitate, in ſuam partem mercurialem, & in ſummam perſpicuitatem transmutatus, ſecunda pars primæ materiæ auri, ex quâ aurum naſcitur, velut ex roſarum ſeminibus roſæ, ad ſummam claritatem cryſtallinam ſequeſtratum ac depuratum ab omni ſalis acredine, acerbitate, aluminoſitate & vitriolitate; ut nihil penitus adhæreat ipſi, jam in ſummâ luciditate ac diaphaneitate liberè jubilanti: uti habetur, *in poſitionibus Hermeticis Hugini à Barma.* Si hoc non capis, nihil capis, neque noſti ultimum in cujuslibet individui naturæ reſolutione, quoad nos, manifeſtare, quod naturæ ipſi primum eſt. Separate ergò & ad ſummam puritatem deducite, non ſophiſticè; ſed verè & philoſophicè, præeunte naturâ. Si enim panis & vini purior ſubſtantia in carnem & ſanguinem transmutatur, per digeſtiones in culinis corporis

g noſtri,

noſtri, & ſic, de vegetabili forma inviſibili, tranſitus fit ad animalem viſibilem; quis abſurdum eſſe arbitrabitur, per mercurium univerſalem, qui nusquam non eſt, unum alterumve perfici poſſe in aurum, præmiſſis ſubtiliationibus & depurationibus.

Liceat mihi hoc loco in deſcriptione ſubjecti philoſophici paululùm excurrere & feriis intermiſcere nonnulla, quæ diverterelectorem queant, ad jocoſa vel jocoſeria. Cùm enim aliquando inciderem in lectionem *Paracelſi*, deprehenderemq;: materiam Philoſophorum ab ipſo vocari Electrum immaturum minerale; per anagrammatiſmos experiri volui, quid in iſtis verbis contineretur. Et ecce! ſubitò mihi nata ſunt ſequenta anagrammata, quæ mirari ſatis non potui. Audivi enim ſuſurrum & veluti Dictatorem in auribus meis, ut accipere vellem:

Aureliam & centrum, mel mirum:
Auri murum, rem in melle tectam:
Rem, auri ramum in melle tectum:
Auri ramum menti melle tectum:
Rutilantem meum mercurialem.

Dulcedo enim centri Philoſophis decantatiſſima eſt. Paulò pòſt ingeminabat vox alia:

Emite lumen clarum & arte mirum,
Lumen clarum & mira emeritum,
Matrem aurim, elementum lucri,
Mirum lumen artium & merè lac.

Hinc oculis meis obverſabatur ſpecies quædam, quæ ad mercurium converſa ita loqui videbatur:

Ellum Te, tuam, mercuri! mineram!

Mercurius verò territus & jam in fugam lapſurus videbatur, cùm eadem vox ajebat:

Timen auri ramum rectum melle?
Tu, mi mercuri! eramne metallum?

Cui

Cui Mercurius: ſum

Minera mercurI, metu metallum?
Mirum lumen artium, mel & cera:
Lemma tutum minerale mercurI:

Sed reſpondit Vox?

Ni matrem tuam mercuri vellem?

Cui Mercurius:

Cur tù meri minera me metallum?
En mare multum, elice ter ramum:

Siquidem:

Vinum re tale cremat mel mirum:

proinde,

Vinum crematum rimare & mell:
Vinum, matrem UR mirè electam:
Vinum, matrem URIM re electam:
Vinum, tetram melle mercuriam:
Tetram mercuriam, EL! mel mirum:
Ter mirum lac autumni! merè mel:

Addebat his porrò Mercurius:

Tere autumni rem, mel, mirum lac:
Mineram rutilam & lùcrum eme:
Eme tam clarum lumen, mirè urit:
Me tartarum, mel, lucem, rem Vini:
Lac vini, matrem UR, & merum mel:
Lac, vini rem, mel, uterum, matrem:
Matura me lentum mel mercurii :

Quibus tandem reſpondebat Juvenis quidam: Ergò

En! mercuri immature! ut mallem,
Mallem vitem, rem, centrum auri!

Metuam mel mercuriale nitrum:
Emam nitrum, mercuriale telum:
Vinum, rem è cellâ, terram TUMIM:
Unicè terram ELIM, mare multum:
Mel, terram mitem, nucleum auri:
Teiam, meum mercuriale nitrum,
Matrem mercurialem, uti lumen

Eſt enim materia Sophorum

Mater TUMIM, mercuriale lumen:
Clarum lumen, è mari ritè emtum.

Quicunque ergò inpoſterum veritatem inquiris!

Mirare matrem, vinum electum:
Mercuri almum elementum atri,
Limi elementum, cur ter amarum?
Lutum & mercurialem mineram,

Tu verò

Mi tenelle mercuri, muta ramum,
Ramum meri, lenem lectum Tauri.

Et vos cæteri, inprimis

Cleri, lemnium maturate merum.
Re certè lemnium maturate limum.

& quisque Philoſophiæ Cultor

Tenellum amet mercurii ramum.

Sed luſum hactenus ſatis. Tu lector! philoſophicè hæc intellige, non ſecundùm literam, elige & venerare ſponſum: non amicum.

Ad ſeria itaq; denuò progreſſus tandem dico, nequis, dum terminos artis adhibeo, ullam de me querulandi occaſionem habeat: Nihil aliud eſſe Philoſophorum Hermeticorum mineram, niſi Aquam cœleſtem & ſubtilem congelatam cum Spiritu ſuo, in cujus centro eſt lumen illuminans, ſanguis & tinctura. Eſt enim in Aquâ

Aquâ Medicinâ univerſalis. Imò, AQUA eſt menſtruum mundi: & ſecundùm hoc vocabulū OMNIA, Omnia Myſteria Naturæ In Aquâ. Spiritus ergò Aqua fieri debet: Aqua verò Cryſtallus lapis & terra cœleſtis, quod fit ſilenti aſpiramine. Aqua hæc mineralis in terram converſa iterum reſolvatur in aquam, in aquâ ſuâ propriâ. In Aquâ hâc Sol terrenus procul dubio, inſtar glaciei, in aquâ calidâ liqueſcet, ut ex Aquâ & Spiritu generetur lapis, qui eſt lumen illuminans, ſanguis & tinctura in regno minerali. Spiritus ergò, *ſecundùm Sphæram Sapientiæ*, in Aquâ inquirendus: Aqua in Spiritu: ex quâ Aquâ & Spiritu concentratis, cujuſque regni potentia. Ignoſcite, *Hermetis Filii*! quòd tam apertè loquar? Intelligentes intelligent me. Alii his magis involventur tenebris, non percipientes: me de cœlo Philoſophorum, horumque vitriolo & aqua ſicca loqui, non madefaciente manus, cujus Pater Sol, Mater Luna, cujuſque virtus integra, cùm converſa fuerit in terram. Qui enim ultimam rerum materiam Salem cognoſcit, etiam primam cognoſcit. Sal enim eſt res illa bona, de quâ Servator. *Marci 9. v. 50.*

Et, ut pauciſſimis omnia complectar, vellem, conſiderarent docti pariter atque indocti, metalla fructus aquæ eſſe, quod præter *Paracelſum*, innumeroſque Philoſophos, qui ſciunt metalla iterum reſolvere in aquam, etiam *Chriſtianus ille Philoſophus & Theologus Ioh. Arnd teſtatur*, dum ait *c. 5. de operibus quintæ diei*: Die wahren Philoſophi wiſſen / daß die Gewächſe der Mineralien und Metallen alle Waſſer ſeyn / und ihre primam materiam im Waſſer haben. Und laß dich nicht irren die Philoſophos, welche ſolche Waſſerfrüchte; als metallen, mineralien, Gemmen und Steine der Erden zu ſchreiben. Dann / es ſind nicht Früchte der Erden / ob ſie wol in der Erden wachſen / wie in der Schrifft ſtehet; ſondern ſie haben ihren Samen und Wurtzeln im Waſſer / id eſt: veri Philoſophi nôrunt, quòd fructus mineralium & metallorum aqua ſint, & primam ſui in aquâ materiam habeant. Neque te turbent Philoſophi, qui hujuſmodi aquæ fructus, mineralia utpote, metalla, gemmas & lapides terræ adſcribunt. Non enim fructus terræ ſunt, quamvis in terrâ naſcantur, ſicut in ſacris literis habetur; verùm ſemina ſua & radices in aqua habent.

Quemadmodum verò agricola triticum ſeminaturus, aut aliud frumenti genus, paleas primùm ſeparat, ut grana velut nuda oculis ſubjiciantur; dein terræ ſulcatæ & occatæ ea committit, centuplum recuperaturus. Eodem planè modo aurum & argentum liberanda ſunt à ſuis vinculis & carceribus, ut & ipſa nuda appareant; atque propriæ ſuæ aquæ committenda, ut in radicale ſuum humidum converſa fructus, pro ſeminis naturâ, producant millecuplos. Decoctio enim ignis, ſive ſulphuris in aquâ maximum arcanum continet. Et aqua eſt menſtruum mundi, atque receptaculum univerſalis ſeminis, quod, cauſante igne, aër in aquam ſtillat, atque aqua terræ porrigit. Facilè enim terra in aquâ purificatur & reſolvitur; & aër in illâ congelatur, eique in profundo conjungitur, quo congelato, neceſſe eſt, ut eundem iterum ſolvas, atque deinceps in eo auri decimam partem, donec aër vertatur in pulveres, atque appareant, habito mundi ſale, colores varii. Aqua verò illa debet eſſe extracta è radiis Solis vel Lunæ, totieſque rectificata, ut poſſit calcinare Solem. Sed hæc ſufficiant, ſiquidem & extractionem ſalis armoniaci ex aquâ noſtrâ ponticâ apertè jam inſinuavi. Intelligens ſciet, quid ſit venerandæ canitiei Seni aurum & argentum offerre, ad deglutiendum, ut ille conſumat ea, & tandem ille etiam moriturus comburatur: deinde, quo pacto cineres in aquam ſpargi & coqui debeant, donec ſatis eſt. Sic enim & ſolutionem & coagulationem Philoſophicam ſibi haud amplius obſcuram habebit. Qui verò me obſcuritatis accuſabit, ille ſuæ increpet mentis caliginem, cùm de re tam nobili diſſerere manifeſtiùs haud licitum ſit. Neque verò de vulgari Saturno loquor, cùm Senis mentionem facio. Alium Philoſophi Saturnum habent, nam & Neptunus Saturno ſenior eſt. Et mercurius dicit: ſe matre ſuâ ſeniorem eſſe. Errant itaque, ſecundùm *Huginum à Barmâ in Saturniis regnis* poſ. 10. qui cryſtallos metallici Saturni capiunt, & capiuntur. Siquidem Neptunus per pluvias, rorem, nivem, pruinas, fulgura &c. tanquam externa vehicula in intimum Saturni (intellige, terræ) gremium immittit illum vitæ Panurgum, cui igneus vigor & cæleſtis eſt origo, quique toto ſecum corpore hujus

jus inferioris mundi miſcet, atque in generalitate ſuâ nihil aliud eſt, niſi id, quod perpetuum, æternùmque eſt, in quatuor elementis: puriſſimus nempe ille Spiritus, totum orbem perambulans, novaſque indies in terrâ generationes moliens, ut proinde de illo rectè cecinerit *Maro. Æneid. 6.*

———Hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.

In aſcenſu ſiquidem ſpiritus ille inquinatus quodammodo eſt, quia ſuſcitatur è terræ centro, igne centrali, cooperante igne cæleſti & Solari, tunc enim per nebulam aſcendit, & quia in aſcenſu varia contingit corpora, fit, ut ſuſceptis nonnihil illorum ideis, variarum formarum nubes in aëre repræſentet, quas ideas quidem poſt longam in cælo moram, & quò magis aſcendit & depuratur, tandem deponit, licet non ſemper, ut proinde tum, quando iterum deſcendit cæleſtibus muneribus de novo impraegnatus, ſervatis tamen nonnullis priorum idearum ſcintillulis, attingens arbores, plantas, & ſolum intrans peculiares illis notas imprimat, inprimis, ſi citiùs, quàm par erat, Blas aliquo motivo deorſum propellatur: aliâs enim vapor ille elementorum, qui mercurius eſt, in deſcenſu debet eſſe puriſſimus, & imperceptibilis; ſiquidem ſemper cùm igne aſcendit, & cùm ſic in patriam ſuam tendit, venitque eò, unde egreſſus eſt, requieſcit, & ſemper redit ſapientior, quàm exiit, licet in aliâ formâ. Opus enim habet tegumento, ne avolet, & ut pedetentim convertatur in terram. Cùm enim merus ignis ſit, & ex eo res omnes in mundo fieri debeant, ut in eo vivant, ſicq; ſe miſceat omni rei, aërio primùm corpore ut velétur neceſſe habet, ut ſit flabellum vitæ, atque à nobis attrahi queat, pro igne cordis noſtri fovendo & conſervando, quod fit magnete animali, qui in nobis eſt, imò qui & ipſe aër eſt, necnon, ut & ipſe vivere queat. Cùm verò pro cæteris corporibus ſolidius requirat indumentum, hinc ulterius ſe veſtit aqueo velamento, ut vegetabilia & mineralia inde ſuum habeant nutrimentum. Dum enim indeterminatus deſcendit, tota natura avidè eum excipit & velut hianti ore eum intra ſua viſcera condit; ſiquidem determinabilis eſt, & determi-

nari amat, unde ut determinetur, cuilibet trium regnorum ad arbitrium ſtat, particularibusque potentiis ſe jungit, ut omnium rerum generationes promoveat, ſicque, peractis ſuis muniis, iterum aſcendat in cælum, patriam ſuam, ſuo tempore reverſurus in terram, ut perpetua ſuperiorum cum inferioribus fiat circulatio. Et hoc eſt, quod clariſſimus Torquatus Taſſus in 14. cantione liberatæ Hieroſolymæ canit:

43. So weit vom Himmel ab pfleg ich nicht allezeit/
Hierunten in der Erd/und dieſer Clauß zu leben;
Beſonder muß gar offt mich in die Höhe weit/
Nauff übern *Libanon* und Carmel-Berg erheben/
Allda ſich *Mars* für mir ohn alle Deck außbreit/
Die *Venus* muß ſich mir da zu erkennen geben/
Und ſeh'/wie jeder Stern ſchnell oder langſam geht/
Ob er uns da zu gut/Nutz oder Schaden ſteht.

44. Jch ſeh' offt unter mir die Wolck itzt dünn/itzt dick/
Jtzt ſchwartz/und itzt gemahlt/mit einem Regenbogen/
Was mit dem Regen es auch hab für ein Geſchick/
Und wie der ſcheibe Wind wird anfangs da bewogen/
Wie ſich der Blitz entzündt/und wie er in ein Blick/
Jn dem er runter fährt/wird hin und her bewogen/
Nah ſeh ich den *Comet* und andre Feuer an/
So/daß ich mich in mir ſelbſt offt erfreuen kan.

Inquirendus v. in re, in quâ eſt. Fortes creantur fortibꝰ & bonis. Subſtantia quæ quæritur, eadem eſt cum eâ, ex quâ depromi debet: & fermentum non conſtat niſi ex ſuâ maſsâ. Quod enim aurum ſolvit, idem etiam ab eo coagulari poteſt.

Hinc non antè datur telluris operta ſubire,
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fætus.

Recteque mercurius vulgi, apud *Coſmopolitam*, reſpondit: Mater mea eſt Lapis Philoſophorum, ex quâ naſcitur artificialiter unum quid; ſed frater meus, qui in arce habitat, in velle ſuo habet, quod Philoſophus vult. Sed labor, ut jam antè inſinuavi,

durus

durus eſt. Utraque India, ſecundùm *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ*, §. 56. perluſtranda.

——— Tenent media omnia ſylvæ,
Cocytuſque ſinu labens circumfluit atro.

quod ex *Taſſo* ingenioſiſſimo, & qui in deſcriptione liberatæ Hieroſolymæ arcanum Philoſophicum ſingulari artificio occultavit, ita germanâ Poeſi expreſſit *Werderus*. Cant. 14.

35. Ein ſchwere Reyß habt ihr zwey für der Hand/
Darumb nohtwendiglich euch muß ein andrer führen/
Der Held iſt/ den ihr ſucht/ ſo weit von dieſem Land/
Daß ihr ihn nimmermehr würd können wol außſpühren:
Ihr habt viel Müh für euch/ ihr müſt noch manchen Strand
Und unterſchiedne Meer beſchiffen und berühren/
Dann/ wann ihr dahin wolt/ da man ihn itz auffhält/
So müſt ihr ſchiffen noch gantz rauß auß unſrer Welt.
36. Ich aber bitte euch/ laſts euch mißfallen nicht/
In mein verborgne Höhl und Sitz mit mir zu ſchleichen/
Da will von ſolcher Sach ich geben euch Bericht/
Die euch zu eurem Nutz und Beſten ſoll gereichen.
Und drauff/ mach Raum allhier (er zu dem Waſſer ſpricht/
Daſſelbe muß ſo bald auff beyde Seiten weichen/
Und wie zwey Berge hoch es in die Höhe tritt/
Und ſcheint/ als wann es wär getheilet in der Mitt.
37. Drauff führt er ſie hinein ins Tiefſte von dem Fluß/
Als er ſie allebeyd beyn Händen hätt genommen/
Daſelbeſt ſehen ſie ein halbe Finſternuß/
Wie ihn wol ehr im Wald deß Abends war vorkommen:
Sie ſehen Höhlen da all voller Waſſer-Güß/
Von welchen zu uns her die Waſſer-Adern kommen/
Die werden dañ zum Quell und zu eim Strome-Reich
Es werden auch wol drauß die Seen und die Teich.

Hinc multi laborantes, *ſecundùm Sendiv. in tract. de Sulphure*, ſtramen pro tritico ſeminant: aliqui utrumque: aliqui id projiciunt, quod Philoſophi amant: aliqui incipiunt & deſinunt, quod

ex illorum inconſtantiâ evenit, dum artem difficilem, laborem facilem quærunt, optimaque rejicientes peſſima ſeminant. Lucem nempe ignorant in tenebris, nec ejus veſtigia deprehendunt oculis ſive mentis, ſive corporis, cùm tamen ipſa etiam in tenebris luceat. Hæc enim eſt (teſte Seniore Philoſopho) quæ ſuper rubeum projecta, (ſed cocta) convertit illud in melius aurum, quàm ſit aurũ commune ſive vulgare; potentiam enim habet ſeſe convertendi in aurum in infinitum, quæ vis energiaq; vulgari eſt denegata. Limitata enim eſt, nec poteſt extendi, quantumvis ſubtilietur illud, aut tinctura ejusdem. Unde denuò apparet errare illos omnes, qui ex eodem multiplicationem ſperantes retroceſſionem ejuſdem anxio labore quærunt, illud denuò in argentum vivum invertendo, cùm natura uſque progrediatur & in perfectionem ſuam ſenſim prorepat, & materia Philoſophorum, *teſte Sendivogio*, non opus habeat ſolutione; ſed coagulatione, naturæque exploratoribus certum ſit, per ſcientiam quam vocant adeptam, hoc eſt, certam ac indubitatam, experientiâ utpote acquiſitam, aquę elemento aërem ſubeſſe, in terræ autem intimis ignem condi: & duo quidem hæc ignem & aquam ſufficere ad generationem rerum, ut ſic tantùm duo ſint rerum principia viſibilia, quatuor autẽ, quæ dicuntur elementa, & inter hæc terra ſit inanis & vacua, & præbeat ſolùm reb⁹ generandis uterum, ad recipiendum rerum ſemina, quę cætera in ipſam ſtillant, imò vel ſolam ſufficere aquam, utpote quę & cætera in ſe continet, ignem, aërem, terram, & hujus quidem ſublimatione cælos, condenſatione verò ejuſdem terram factam, hancque ſic eſſe materiam rerum omnium, & cæleſtem porrò ſive ſolarem lucem formale rerum exordium. Quid ergò opus, quærere vivam & formalem lucem apud mortuos, & ignis torturam paſſos, ſive cęcos & claudos, imò & apud ſuperbos? Odit Deus ſuperbos, humilibus verò dat gratiam: cæcis & claudis infenſa eſt anima David, und was iſt es dann / daß ihr mich ſuchet / inquit Angelus altero pede terram, altero mare premens, apud *Floretum à Bethabor*, als den Lebendigen bey den Todten / ſo ich je und allwege daheim in meinem Hauſe bin? Was iſts / daß ihr nach hohen Dingen gaffet / und

X 2 meine

meine Wohnung iſt in einem verachten Ding / das ihr mit Füſſen trettet. O ihr Blinden / ihr gaffet in die Höhe / und ich liege unter den Füſſen/mitten in dem/darin ich bin. Id eſt: quid eſt, quod me quæritis vivum inter mortuos, cùm ſemper domi ſim? quid eſt, quòd ad ſublimia mentes elevatis, dum habitatio mea eſt in re contemptâ, quam pedibus calcatis? O cæci, alta quæritis, & ego ſub pedibus jaceo, in medio ejus, in quo ſum. Unde & appendicis loco, illi tractatui adnexuit dictum Pſ. 73. verſ. 12. DEUS Rex noſter ab ORiente operatus eſt SALutes in mediO Terræ. Ergò viſitate interiora [be Kirbo.] Et certè, canente *Teſtamento Hadrianæo*:

In Sale cuncta latent arcana: hoc ſolvere quisquis
Noverit, arcani penetrabit in intima templi.

Namque labor Sophorum nihil aliud eſt, quàm virtutum elementarium æqualis commixtio: calidi, ſicci, frigidi, humidi æqualitas naturalis: conjunctio maſculi & fæminæ, quem eadem fæmina genuit, iſt eſt, conjunctio ignis & humidi radicalis metallorum. Sive, duorum argentorum vivorum, vel duorum ſalium diverſæ ſubſtantiæ, ſed unius radicis, Saturni urinâ lotorum, atque ſic fixi cum volatili commiſtio, quorum compoſitione factâ, denique in vaſe debito conſurgit Salamandra in igne perſeverans. Sive tandem materiæ illius unicæ, quâ natura in terræ cavernis utitur, ad metallorum procreationem, continuata decoctio, elementorumque in eâ converſio, quæ initio ſub aquæ formâ ſtant, ex quâ terra producenda eſt, *ſecundùm Hermetem*: Cùm viderem aquam coagulari, credidi artem eſſe veram. Siquidem, nullo alio labore opus eſt, quàm in aquâ trucidandâ, *ſecundùm Villanovanum*, hoc eſt, fixandâ, prout interpretatur *Dionyſius Zaccharius*: nam ſtatim atque hæc erit mortua, reliqua elementa necata ſunt, id eſt fixata, repræſentantque ex quatuor, tribus & duobus, unum, quod eſt incorruptibile, maximi res momenti, totiusque naturæ & operis baſis.

Fortè huc reſpexit *Laurentius Ventura*, Poëta Italus, de uno hoc, quod Sal eſt Philoſophorum, ita locutus:

Nell India, parte piu calda del mondo
Naſce pietra talhor, ch' en ſe rinchiude
Virtu infinite &c. &c.

Quæ ſic latio donata ſonant:

In Indiâ, parte calidiſſimâ mundi,
Naſcitur lapis ſubinde, qui in ſe includit
Virtutes infinitas, quæ ex cœlo proveniunt.
Dictus eſt Pantheora, licet aſpectu vilis ſit
Habitus à multis, vanus & ſimplex.
Solent electi, & qui naturæ
Sciunt alta ſecreta, exinde extrahere ſanguinem,
Per artificium nulli alteri ſecundum,
Siquidem in illo eſt Mercurius & Sulphur,
Aurum & argentum, non quidem illa vulgi;
Sed humor cœleſtis, calidus, unctuoſus,
Cum ſuo terreſtri, ſubtili, frigido & ſicco,
Ligatis ſimul, modo admirando, &c. &c.

Tu, qui hæc legis, diſce ex cineribus producere Phœnicem. Neq; aliter fortè ſenſit Frater Baſilius: clave quintâ: **Mercke aber dieſes mein Lehrer der Kunſt/daß das Saltz auß der Aſchen viel vermag/ und ſind viel Tugenden in ihm verborgen / doch iſt das Saltz kein nütze/ es ſeye denn ſein inners herauß gebracht und umbgekehret worden / denn der Geiſt allein iſts / ſo da gibt Krafft und auch das Leben / der bloſſe Leib vermag hierzu nichts / weiſt du den zu finden / ſo haſt du das Saltz der weiſen Meiſter / und das unverbrennliche Oel warhafftig:** id eſt: attende Fili artis, ſal ex cineribus quidem multa poſſe, & plurimas in eo latere dotes; at nihil prodeſſe, niſi internum ejus ſit extraverſum. Spiritus enim ſolus eſt, qui vitam & vires largitur. Corpus nihil valet. Si itaque ſpiritum noveris, ſal (nb) habebis & oleum incombuſtibile, hinc *Geber* dixit: Profectò radix artis eſt Sapo Sapientum, & minera omnium ſalium; & dicitur ſal amarum, de quo Sapientes multa commentati ſunt, ut etiam appellarint Salium primum, alii ultimum, quia quod ultimum eſt in reſolutione, primum eſt in conſtitutione. Atque hinc *Dn. de Nuyſement*: Hoc ſal

ultima

ultima materia eſt in corporum anatomia reſtans, & non cinis, unde hoc ſal extractum fuit, ex quo etiam poſteà nihil amplius trahi poteſt. Si enim per humiditatem in aquam convertitur, eadem per calorem in ſal iterum congelatur: Unde conſequenter affirmari poteſt, hanc aquam verum fuiſſe mercurium, ex quo corpora primùm creata ſunt: & hanc aquam in cineribus occultatam, impedire ejus totalem in combuſtione conſumptionem: eodem planè modo ac mercurius univerſalis in ſinu terræ latens ante corporum productionem. Et paulò pôſt: Ultima n. operatio ignis eſt, ſal facere: & ſal nihil aliud eſt, quàm aqua ſicca, quæ humorem & ſiccitatem ſuam per ignem acquirit & conſervat, & inde neceſſariò conſimilis naturæ eſt. Quemadmodum enim elementa in ſe inceſſanter agunt, naturâ, ex Feudi privilegio ſibi ab altiſſimo conceſſo, ſic diſponente, ignisque *primò* agendo in aërem, producit ſulphur: *deinde* verò aër in aquam, producit mercurium: poſtremò aqua in terram, producit ſal: terra verò, cùm non habeat, in quod agat, eſt nutrix & matrix illorum elementorum; ſicque hæc tria, ſulphur, mercurius & ſal ex quatuor facta ſunt, ut per diminutionem ex prædictis duo fiant, maſculus & fœmina: duo verò deniq; producant unum incorruptibile, nimirum ſal, elixir incombuſtibile, in quo quatuor illa æqualiter ſincera & ad ſummum depurata & digeſta ſint, reſpondeatque hoc pacto quadrangulus quadrangulo. Sic quoque artificis eſt, non naturæ, imitando naturam, mercurium Philoſophorum (NB) producere, relictis elementis, ex tribus illis, quæ in omni re integrè inveniuntur, deductis ad duo, & ad unum, quod ſit clavis & principium hujus ſacræ ſcientiæ, habeatque poteſtatem aperiendi portas juſtitiæ & claves ad carceres infernales, ubi ſulphur ligatum jacet, *verba ſunt Sendivogii acutiſſimè ſic Philoſophantis, cap. de tribus omnium rerum principiis.*

Et hoc quoque eſt *ſecundùm Sendivogium*, navigare à polo arctico, id eſt, ſeptentrionali, ubi magna aquarum colluvies, ad polum antarcticum, ubi ſiccitas eſt & Saturnus habitat, poſt Neptuni diſceſſum; hoc inquam eſt ejici ad littus magni cujuſdam

maris, in quo littore Meloſynas hinc inde natantes conſpexit Coſmopolita, vel, *uti Taſſus* canit: Cant. 14.

39. Die Ufer und die Wänd am ſelben Fluſſe ſind
Mit lauterm Edelſtein verſetzet und verbunden.
Es leucht/als wären da viel Fackeln angezündt/
So/daß die Finſtre wird vom Glantze überwunden.
Der Himmels-blau Saphir/ und ſchöne Hyacinth/
Die funckeln wie ein Liecht allda zu allen Stunden/
Es flammt der Karefunck/der Diamant der leucht/
Sehr frölich der Smaragd da lacht/wie einen deucht.

quod enim Taſſus hîc canit, vertente Werdero, idem eſt cum eo quod Sendivogius dicit: Hæc inſula pulcherrima verſus Auſtrum ſita erat, ac rebus omnibus ad hominis neceſſitatem & ad ejuſdem delitias ſpectantibus refertiſſima, Virgilii campus Elyſius vix cum illâ potuiſſet comparari. In Philoſophorum enim rupe omnia ſunt, & qui ſinum terræ ingreditur, ad arcem tandem venit igneam, ubi mercurius eſt & ſulphur, quod idem Werder ex Taſſo ita protulit. Cant. 14.

41. Er antwort: Mitten itzt ſeyd ihr im weiten Schloß
Der Erden/die da kan all die Gewächß fürbringen.
Es kan auch keiner nicht/er ſey klein oder groß/
Ohn meine Hülff und Raht/ ſich biß hiereiner dringen.
Ihr werdet ſehen bald mein wunderfeurig Schloß/
Dann ich daſelbeſt hin euch will itzunder bringen.

Rectè ergò *Baſilius*: Nemo dixerit, ſali deeſſe aquam, aut ignem, qui aquam coquat, etſi neque ignis neque aqua videri, aut guſtu percipi poſſint. Et *Paracelſus*: Sal rebus omnibus formam communicat: *& Geber*: Sapientes antiqui concludunt de ſale, quem dicunt Saponem Sapientum, & clavem, quæ claudit & aperit: & iterum claudit & nemo aperit, ſine quâ clavi dicunt, neminem in hoc ſeculo poſſe pervenire ad perfectionem hujus ſcientiæ. &c. Optimeque in *Encheiridio Phyſ. reſt.* §. 218. In ſalibus, è cineribus extractis, ſumma mixtorum eſt virtus, & agrorum ubertas ſtipularum incendio & incineratione aucta, humorem illũ ab igne illibatum,

tum, radicale generationis principium & naturæ baſin eſſe, certiſſimo eſt indicio. Unde ſalem illum vocat Balſamum radicale, & naturæ fermentum. Item tincturam indelebilem & multiplicantem §. 219. & §. 220. Superſtitem primæ materiæ informatæ, ac divino lucis charactere ſignatæ quoddam veſtigium, ac proportionem puriſſimam & immortalem. Imò, ſubſtantiam immortalem, & mundi hujus materialis fundamentum & immortalitatis ejus fermentum. Neque malè. Siquidem, hoc deficiente, in vanum & nihilum ruitura eſſent omnia, ipſo Servatore noſtro docente, dum ait, *Luc.*14. *verſ.*34. Bonus eſt ſal. Si verò ſal infatuatus fuerit, per quod condietur. Neque in terram, neque in ſterquilinium utilis eſt: foras projiciunt illum. It. Matth.5.v.13. Vos eſtis ſal terræ; quia per prædicationem verbi divini hominum animas ab interitu vindicârunt, & ad æternitatem fermentârunt Apoſtoli, non aliter, ac per ſalem vulgarem fermentatio, conſervatio & multiplicatio fit rerum materialium & corruptioni aliâs obnoxiarum. De ſale hoc non incongruè intelligenda exiſtimo *Hermetis* verba, dum ait *in tabulâ Smaragdinâ.* Virtus ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram: Sal enim terram repræſentat & videtur ſal aliud nihil eſſe, niſi ſpiritus univerſi terrificatus, vel aqua coagulata & ſicca, etſi adhuc multis ſcateat impuritatibus, ſiquidem nihil in mundo exiſtit, in quo excrementa ſubſtantiam naturalem non excedant, dicente *Dn. de Nuyſement*; & omne, quod videmus & tangimus, nihil aliud eſt, quàm excrementum, ſubſtantiam occultam obumbrans; natura enim ſemper naturâ tegitur, quam hæc ſequitur, ſicut ambulanti in luce umbra corpus. Quopacto autem natura illa ſive prima materia artis oculis exhiberi conſpicienda & manibus tangenda queat, id etſi ſcriptores dicant fieri ſeparatione puri ab impuro, actus tamen iſte difficillimæ eſt inquiſitionis, *eodem Dn. de Nuyſement teſte*, licet facilioris poſt cognitionem practicæ, utpote qui humanas cogitationes ſuperat. Etenim ſpiritus iſte inviſibilis, etſi à doctiſſimis viris indeſinenti meditatione, & mentis ſublimi indagine tandem cognitus fuerit, eundem tamen viſibiliter oculis offerri poſſe, multi non credidêre. At fieri id

poſſe

poſſe ſatis inculcavit *Hermes*, dum dixit: Separa ignem à terrâ, ſubtile à ſpiſſo, magno cum ingenio, quod aliqui intelligunt, leni aſpiramine; &c. *Coſmopolita*, dum ait: Aëris ſpiritum inviſibilem congelatum meliorem eſſe, quàm univerſam terram.

Ego, ut paucis dicam, quid ſentiam, rogo lectores benevolos & veritatis occultæ amatores, ut diſcant prius cognoſcere Solem & Lunam Philoſophorum, humidum radicale metallorum, aquam manus non madefacientem, aquam ponticam congelatam in Sole & Lunâ: imò Solem & Lunam obducta ſphærâ Saturni, & ex illis extrahere aviculas Hermetis, mercurium Philoſophorum, ſal armoniacum noſtrum, chalybe ſive magnete Philoſophorum, qui & ipſe aër fuit, & reperitur in ventre Arietis. Habitâ enim umbrâ Solis, miſce illam cum igne & aquâ, tali adhibitâ proportione, ut actus ignis ſentiatur, & aquæ operatio videatur, per quæ umbra Solis claritatem Lunæ nanciſcetur, & tandem ſucceſſu temporis ad ſplendorem Solis perveniet. Hic enim eſt verus ales Hermetis, carens plumis, & omnia tandem velociter pervolans, de quo tot parabolæ, tot figuræ, tot libri.

O felices ergò Philoſophos, qui in mineralium regno ſalem verum, & per hunc aurum & argentum Philoſophorum ſive rupem *Sendivogianam* invenire diſcunt, latenteſque ſub illâ duas Inſulæ prædictæ mineras, auri nempe & chalybis, & ſic fermentationem probè nôrunt. Qui n. ſalem hunc novit & ſolutionem ejus, ille ſcit ſecretum occultum antiquorum Sapientum: qui verò non guſtaverit ſaporem ſalium, nunquam veniet ad optatum finem, teſte *Arnoldo Villanovano*. Dulcia non novit, qui non guſtavit amara. Omnis enim amaritudo, inquit *Dn. de Nuyſement* proveniens à ſale, cui amarus ſapor tribuitur, in profundo ſuo dulcedinem continet, quæ per ſimplices infuſiones nunquam extrahi poteſt; ſed tantùm per ignem, & quidem ingenioſo artificio, maximè, cùm hæc dulcedo totius medicinæ perfectio ſit. Eâ de cauſâ jam laudatus *Villanovanus* dixit: Si ſciveris amarum dulcorare, totum Magiſterium conſequeris. O beatam quoque Oeconomiam humanam, in quâ fermentationes & ſequeſtrationes jam ante recen-

ſitæ procedunt ad numerum, pondus & menſuram! Verùm enim verò, uti quàm plures in opere Philoſophorum errores contingere poſſunt, inprimis apud eos, qui artem caſu quærunt, & non ex ipſius naturæ fundamentis, nimirum, ſi ignorant materiæ philoſophicæ veritatem, ejuſdemque primam præparationem, quam fere nullus Scriptorum literis, niſi obſcuriſſimè conſignavit: Vaſis deinde naturam & ignis conditionem, ejuſque regimen & pondus, ne, facto deinceps diluvio, imbribuſq; deſuper ruentibus nimiùm, vel ſuffocetur, vel ſiccitate nimiâ deſtruatur & velut ſine rore relinquatur opus, aut aliâ etiam ratione ignis defectu refrigeretur. De ignis namque regimine ita *Helmont. in Arbore Vitæ:* Fateor lubens, quòd lapis ille vitæ Zoophytæ in ſuis initiis ſit particeps, eamque habeat diſtinctam à vegetante & ſenſitivâ, quæ ſit vita hactenus anonyma. Nam, juxta Sapientum univoca ſcripta, principiis lapidis ſemel ovo vitreo conjunctis, ſi vitio interrupti fotus ſemel contingat vel pauliſper planè refrigerari, ita emoriuntur, ut non ſit ſpes reſidua futuri lapidis, quod & in ovorum fotu ſimiliter evenit. Et *Pontanus in Epiſtolâ.* Noſtrum inſtrumentum, quod materiam deducit in eſſe, in primo, ſecundo & tertio opere, non eſt ignis balnei, neque fimi, aut cinerum, nec aliorum ignium, quos Philoſophi in libris ſuis poſuerunt. Siquidem Philoſophorum ignis à Chymicorum vulgarium ignibus multùm diſcrepat, dum hic facilis inventu: ille difficilis. Hic materialis: ille propemodùm ſpiritualis. Hic aëre aperto nutritur: ille niſi clauſus nihil agit. Hic corroſivus: ille naturalis planè eſt, imò blandus. Hic, ſi vel ſolus eſt balnei calor, in ovis deſtruit ſeminalem potentiam: ille verò totus vivificus eſt. Ita quoque duæ illæ fermentationes in Oeconomia corporis noſtri, nimirum ea, quæ in ventriculo, & ea, quæ in inteſtinis fit, & à quarum bonitate reliquarum quoque bonitas, in corde nempe & toto corpore, dependet, multifariàm labefactari ſolent, diluvio intemperantiæ, & ignibus inordinatorum animi affectuum, quibus mortales maximi, medioxumi, & minorum quoque gentium Dii nimiùm obnoxii ſunt.

Notum eſt ex *Hippocrate:* non calidum, humidum, frigidum

aut ſiccum morborum cauſas eſſe; ſed acre, amarum, ponticum & ſalſum. *Sic enim ait lib. de veteri medicinâ*: Difficultate plenum eſt, Medicum imperare ægro calidum quid aſſumere: cùm ſi ſtatim interrogetur, quid ſit illud? aut nugas proferre cogatur, aut ad aliquid eorum, quæ ſunt, & parari conſueverunt, confugere. Jam ſi datur calidum quoddam acerbum exiſtens, quoddam inſipidum, quoddam cum pulſatione conjunctum (ſunt enim & multæ aliæ calidi ſpecies, vires ſubcontrarias ſibiipſis habentes) quodnam quæſo ipſorum aſſumere oportebit? calidumne acerbum, an calidum inſipidum, an quod ſimul & frigidum eſt & acerbum? (nam & hoc datur, uti etiam frigidum & inſipidum.) Quandoquidem illud ſat ſcio, planè contraria ab utroque ipſorum evenire, non ſolùm in homine, ſed etiam in corio ac ligno, & aliis multis rebus, quæ magis ſtupidum ſenſum habent, quàm homo. Non enim calidum eſt, quod magnam per ſe vim habet, ſed ſi ſimul fuerit, vel acerbum, vel inſipidum, vel quâvis aliâ ex iis, quas retuli qualitatibus imbutum, tum in homine, tum extra hominem in omnibus iis, quæ vel eduntur, vel bibuntur, vel forinſecus illinuntur, vel ſub quacunque tandem aliâ formâ corpori adhibentur &c. Et paulò poſt, dum reſpondet ad objectionem, cur qui ardenti febre febricitant item peripeumoniis, & aliis morbis vehementibus non citò calore liberentur, neq; citò frigidum adverſus calidum inſurgat? Atqui ego hoc maximum ſignum eſſe puto, quòd nō propter calidum ſimpliciter homines febricitent, neque hoc ſit ſimpliciter afflictionis cauſa: ſed idem ſimul eſt amarum & calidum, aut calidum & acidum, aut ſalſum & calidum, & alia infinita, eodemque modo & frigidum cum aliis facultatibus conjunctum, id quod & per exempla probat. Quod ſi itaque contingere debet, ut à ſanitate recedat homo, neceſſe eſt, ut in eo vitientur, quæ fermentationem debitam procurare nata ſunt, nempe acre, amarum, ſalſumque, qualia reperiri in ventriculo & inteſtino tenui, dixi in præcedentibus, quod fit ſi excedant vel deficiant, quem defectum aut exceſſum intemperaturam vocat Hippocrates. Et cùm nullus fere morbus inveniatur, qui non aliqua ratione ſe prodat vel

per

per frigus: vel per intenſiorem, quàm aliâs natura requirit, calorem aut æſtum; hinc meritò & hæ duæ qualitates ab illis deducuntur. Si, poſt debitam purgationem & ſolutionem, Lunam, ſive argentum ad extremam deduco reſolutionem, beneficio nitri ex calce vivâ & ſale communi parati, & per abſtractionem repetitam aquarum nonnullarum fortium, adeò, ut vitriolum evadat, virore lætiſſimo ſuperbiens, ingens ſentitur vitri, in quo illa operatio facta, frigus, ut impensè torpeſcat manus tangentis vitrum. Si ſpiritum vitrioli capiti ſuo mortuo reaffundo, ingens è contrà excitatur æſtus, ut non ineptè de eo cecinerit Poëta quidam:

> Du kanſt Jhm thun kein gröſſer Pein/
> Als wann ſein Schweiß ſpritzſt zu Jhm ein/
> So friſt er den im Zorn entbrandt/
> Weil du das noch haſt in der Hand/
> Daß ſich von ſeinem Grimm und Grauß
> Frey ſelbſt erwärmt das gantze Hauß.

Sic, ſi ſpiritus acidus affunditur ſpiritui terebentinæ, tantus excitatur calor, ut vas vitreum, in quo illa efferveſcentia contingit, manibus teneri vix queat. Idem fit, ſi cum liquore tartari permiſceatur. Ubi verò cum ſpiritu urinæ, ſimilive, loco æſtus intenſum frigus producitur, & tantum quidem ſæpiuſculè, ut cum glacie auſit certare. Unde patet, *primò*, poſſe fieri agitationem, motum & efferveſcentiam ſine prævio calore, vel ſaltem hunc non eſſe de eſſentiâ efferveſcentiæ. Siquidem ea, quæ acida ſunt, atque in omnibus propemodùm fermentationibus præcipuam ſibi partem vendicant, de frigiditate potiùs, quàm caliditate participant, imò citiùs moventur. Hinc, in deſtillatione olei Quajacini, Spiritus acidus primo loco prodit, quod documento eſt, illum facilè concitari ad motum. Idem de ligno Juniperino & Quercino notandnm. Sic plantæ, quas aſper & acer ſpiritus vegetat, citiùs reliquis plantis frondes & flores fundunt, ut ſpina, berberis; minimè tamen calidæ ſunt. Fortè intuitu horum in naturâ eventuum, ea, quæ maximam penetrandi & digerendi vim habent, à Philoſophis

Hermeticis ignes appellantur. Habent enim ignes tum calidos, tum frigidos; proculque dubio haud malè ideò Poëta dixit: *Penetrabile frigus adurit ſegetes.* Nempe, triplex illis eſt ignis frigidus: vegetabilis, mineralis & metallicus. Vegetabilem repræſentant acetum deſtillatum, ſuccique acidorum optimè depurati, ut pomorum citriorum & quæ alia his affinia ſunt. Mineralem, ſpiritus nitri, id eſt, aqua ſpiritualis ex ſalepetræ, ſine quo nullum metallum generatur aut deſtruitur. Habet enim nitrum in ſe frigus & calorem, habet naturam cæleſtem & infernalem, mercurialem & ſulphuream, tu itaque operam da, ut infernalem naturam ejus mutes in cæleſtem, præviâ decenti putrefactione. Metallicum, Saturnus ſive plumbum, quod omnia metalla, ipſum licet ſit frigidiſſimum, abſumit & ſimul abſumitur, ad eum modum, quo ignis culinaris & vulgaris ligna conſumit, & poſt abſumptionem eorum & ipſe perit, licet in cineribus, qui ſuperſunt, theſaurus lateat, aquâ calidâ ſui generis extrahendus. Imò mercurius, penetrantiſſimâ digerendi & diſſolvendi facultate præditus, licet exterius quàm maximè frigidus appareat; interius tamen totus ignis eſt, adeò, ut pro igne gehennæ venditetur, utpote qui præ interno, quo abundat, calore, in continuâ fuſione ſtet & perpetuò moveatur, atque tale dicatur balneum, ſive aqua calida, ut poſt ſui deſtructionem & mortem, in regno metallico, aurum ex eo regenerari poſſit, *teſte Aurorâ Sapientiæ.* Nimirùm, ignes hi, adjuncto ſibi debito compari, moveri incipiunt, factâque invicem partium dilatatione, non rarò quoque calorem exterius producunt, cùm motus excitet calorem, qui tamen fermentationis efferveſcentiæque ab acido ſpiritu factæ cauſa non eſt, ſed productum. Notent hoc, qui inordinatis turbantur digeſtionibus, variaque in corpore humano patiuntur, ex defectu legitimæ fermentationis, incommoda, & qui calida non rarò adminiſtrare ſolent atque aromatiſata, & oleoſa, quibus tamen nihil proficiunt, plus commodi aut emolumenti habituri, ſi acida volatilia adhiberent, qualia ſunt ſucci pomorum arantiorum, limonum, tamarindus, acetoſa, cochlearia, raphanus, naſturtium, & ſpiritus alii nitroſi acidique, ut: vitrioli, clyſſi, nitri, &c.

tri, &c. Nam quæ ſale fixo abundant ſulphureo & pingui, ea ſæpe noxia ſunt, inprimis iis, qui lienoſi ſunt. Unde, rectè monente *Viro Clariſſimo, Dn. Lamberto Velthuſio*, acetum, licet acidum, ab hypochondriaci morbi curatione rejicitur: quia ſapor acidus in aceto oritur ex ſale fixo, parùm tamen exaltato & extenuato propter fermentationem. Dum enim eâ fermentatione, quâ fit acetum, ſpiritus volatiles in vino aut cereviſiâ vel concentrantur, vel ita exaltantur, ut fugâ dilabantur, ſal fixum, quod eſt in illis liquoribus, ex quibus acetum fit, producitur ad ſtatum fuſionis quidem, ſed non ſufficientem, ad promovendum fermentationem in hoc morbo. Quanta enim adhuc ſit in aceto fixitas, liquet inde, quod ſal volatile tertio tantum gradu attollatur, & ſal ejus fixum quarto, cùm alioquin ſal volatile primo gradu caloris in altum feratur. Fortè hinc quoque medicamenta ex tartaro hactenus parata, & tanti habita, inutilia plurimis deprehenduntur, quia etſi quidem ea concentrare ex parte nata ſunt atque præcipitare morbum hypochondriacum, non tamen ſufficientem fermentationem atque ſeparationem inſtituere poſſunt, ob difficultatem vel ignorantiam volatiliſationis ſalis tartari, quæ tamen difficultas dependet potius à laboris neglectâ reiteratione, quàm ipſius tartari reſiſtentiâ.

Deinde verò etiam patet: æſtum in efferveſcentiâ excitari, ſi ſpiritus acidus ſuperetur à partibus bilioſis oleoſiſque confluentibus, item ſalinis & fixis: Frigus verò à ſpiritu acido, ut tali, vel in confluxu cum ſale volatili & non oleoſo. E quibus ſanè Febrium cauſæ atque harum per frigus majus minusvé, itemque æſtus aut caloris gradus diverſos, alterationes facile deduci poſſunt, & cæterorum quoque procul dubio, morborum rationes. Id quod pluribus experimentis & rationibus *Academiæ Lugdunenſis Batavæ Lumen, Dominus Franciſcus Deleboe, Sylvius*, expeditum dedit, *& ex eo Dn. Johan. Gribius, Diſp. Med. Inaugurali, de Febribus.* Rectèque agunt, qui phlogoſes & obſtructiones paſſi in acidis volatilibus, rejectis oleoſis, ſolatium quærunt. Tria enim hæc, quæ ad inteſtinum tenue fluunt, & cum chylo permiſcentur: nempe bilis, ſuccus pancreaticus & lympha continuò ad cor eunt, & ſic per arterias in univer-

ſum corpus diſperguntur, unde uno alteróve in ſuis nativis qualitatibus alterato & vitiato, quis non vitioſas in Oeconomiâ humanâ efferveſcentias, frigora, æſtus, congelationes, diſſolutiones & abſumtiones ſpirituum animadvertet? Si verò ab ipsâ caliditate ſimplice, aut à frigiditate fluxiones contingerent aut alii morbi, neque aliâ facultate ſive qualitate ſecundâ participarent, ſedarentur utique, ſi ex frigido in calidum permutarentur, cùm autem calidum & frigidum putreſcere nequeant neque craſſeſcere, mala autem quæ homini contingunt concoctione & permutatione, attenuationeque & ut craſſeſcant in probam humorum ſpeciem, opus habeant, evidens eſt, à facultatum potentiis, uti loquitur *Hippocrates*, id eſt acido, amaro, ſalſo &c. à ſuâ temperie recedentib⁹ hæc fieri. Cujus rei exemplum proponit laudatus *Senex Cous*, dum ait: Si amaritudo quædam, quam bilem flavam appellamus ſecernatur, quales ſtatim anxietates & æſtus & debilitates ſuperveniunt? Verùm liberati interdum ab illâ, & aut ſponte, aut per medicamentum purgati, modò tempeſtivè id fiat, manifeſtè & à doloribus & à calore liberantur, quamdiu autem eadem elevata & cruda & intemperata fuerit, nullâ arte neque dolores, neque febres ſedari poſſunt. Itidem in quibus acuti & acres & æruginoſi humores moventur, quali mox rabie & morſu viſcerum ac pectoris & deſperatione corripiuntur? Neque ſedantur hæc, priuſquam iidem expurgentur & deprimantur, & aliis permiſceantur. Habent ſiquidem acida, amara & ſalſa ſuos limites, in quibus conſtituta ſanitatem efficiunt: & è contrà ſuas excentricitates, in quibus pro ratione intenſionis & remiſſionis, morbos procreant, qui per alteratos faciei oculorumque, imò totius corporis colores in conſpectum prodeunt, non aliter, ac in opere Philoſophico impuritas & limoſitas materiæ, ejuſque diſproportionata ad pondus digeſtio falſos producit colores, operiſque ſic ruinam prænunciat. Si enim humiditas ſuperabundet, fiet pelagus conturbationis: Sin verò ignis prævaleat, comburetur in favillam, nulluſque, prout par eſt, ſe color ordine manifeſtabit. Nimirum: Uti aqua fortis, addito ſale communi aut armoniaco, fit aqua regis, quâ aurum ſolvitur

in

in minima: aut ſal commune additum calci vivæ, per utriuſque calcinationem fit ſal nitrum: vel tartarus calcinatus junctus ſali armoniaco per deſtillationem præbet ſpiritum, qui, glaciei inſtar, parietibus vitri adhæret, quod item in oleo vitrioli videre eſt, quod attactu ferri migrat in ſalem vitriolatum Martis, medendo nobilem, *verba* ſunt *Helmontii*, ipſoque lotio, quod debitè putrefactum & deſtillatum, ſpiritum vini, ſed ſummè rectificatum, coagulat, certiſſimo experimento, ſi contingat, ſpiritum lotii coagulativum, retrogado ordine & motu, ſive ad jecur, ſive venas portæ, aut menſenterium & inteſtina fluere, facilè ibidem calculos generari poſſe; variasque oppilationes, ſcirrhos, quartanas, ac mucilaginoſi ſpermaticique alimenti indurationes, ſi ad venam cavam ſurſum vel deorſum feratur: Ita quoque, in opere Sophorum, ea omninò vitanda, quæ vel peregrina ſunt materiæ, ejuſque coagulationem præter morem præcipitant, vel à debito vaſe, in quo omnia fieri debent, ad naturæ præſcriptum, aliena exiſtunt. Habent enim quælibet proprium ſuum uterum, in quibus domeſtica ſunt, peregrinam turbationem & tragædiam exſuſcitatura, ubi alienam intrant domum. Neque enim acidum ſtomachi inteſtina perferunt aut pleura, ſine dolore & contractione, membranarumve criſpaturâ, cum ſubſequente apoſtemate. Siquidem, *rectè raticcinante Helmontio in Blas humano* §. 52. Omne apoſtema in pus deſinens, continet neceſſariò aciditatem, quæ cruorem in grumum cogit. Ideoque deinceps tranſpirationis eſt incapax: neque urinæ ſpiritum coagulantem fellis ſacculus, quò minùs in eodem calculi generentur.

Ex acido itaque exuberante, & ad qualitates peregrinas, ut acerbitatem vel auſteritatem declinante, quis non apoplexias, epilepſias, paralyſes & ejuſmodi alios morbos caroticos & ſtupefactivos deducet? Certè, ſuccus pancreatis acidus in ſuo gradu auctus & præter naturam convenientem evectus, diutiuſque propter contractivam ſuam qualitatem retentus, donec majori copiâ ex continuo affluxu ad inteſtinum tenue erumpat; vitioſam ibidem procul dubio cum bile efferveſcentiam excitat & ingentem. Et quia aciditas tum in acerbitatem vel auſteritatem converſa, bili

præva-

prævalet, aſſurgunt ad ventriculum halitus, qui ibidem cardialgiam & vomitus excitant? ad cor verò delati & cùm ſanguine miſti, cur non ibidem coagulationes inſtituerent? cur non in cerebro porrò ſpiritus animales ſiſterent, & hoc pro aciditate junctâ malignitati vehementiùs, & pro ſubtilitate citiùs, modiſque variis, pro varietate graduum, ut ſic momento temporis interdum homines inſtar mactatarum cadant beſtiarum; vel inordinatis agitentur motibus, ut in Epilepſiâ: vel certè partis alicujus determinatæ paralyſin patiantur. Qualia contingere ſolent illis, qui ſtrenuè circa aquas regias aut fortes occupantur. Obſervavi enim Chymicum, ait *Helmontius. tract. de Lithiaſi c. 9. p. m. 725. §. 71.* qui dudum circa aquas regias fuerat commoratus, incidiſſe in palpitationes cordis terribiles, tandem in dolores brachiorum, fuitque illi os in latus dextrum convulſum, patiebatur quoque noctes inſomnes, & brachiorum dolores profundos, qui tamen non exaſperabantur ad tactum. Inſigni quoque macie contabuerat, propter aquarum conceptas ponticitates. Nempe, quod initiò intentum fuit, eratque demonſtrandum: Gradus acidi, pontici, amari, ſalſi, aucti varias pariunt in corpore humano virulentiæ ſuæ tragædias, non aliter, ac cùm deficiunt, digeſtiones hinc inde moras patiuntur, nullaque partium heterogenearum fit ſequeſtratio.

Probè itaque proſpiciendum, ut in ſuo quodvis maneat utero, ſuique genuini gradus tonum obſervet, ſicque ubivis in microcoſmo digeſtiones faciliter, quò tam affabrè factum Omnipotentis opus ab atrociſſimo anodyno apoplectico, quod vel auditu mortalibus terrorem incutit, ut propterea percutientem Omnipotentis manum κατ᾽ ἐξοχὴν dixerint, præſervetur & curetur.

Id verò hactenus tentatum *quatuor modis:* nimirum præcipitatione, *primò*, per tartareos liquores, ut ſic, eo modo, quo aquæ fortes vel regiæ à metallicis rebus aliquoties abſtractæ, affuſo tartari liquore ad fundum deponunt, quod intra ſe occultârant, etiam aciditas à ſanguine ſe præcipitet. *Deinde* ſaturatione, quo pacto acidum ſtomachi exorbitans ſaturatur comeſtione cretæ, vel oculorum cancri, etenim & febrium rigores ſæpe ceſſant, & epilepſiæ

aſſum-

aſſumptis oſſibus illis, quæ ſub terra reperiuntur diuturnitate temporis calcinata, acidum utpote ſaturantibus & imbibentib⁹: *Tertiò*, immutatione & dulcificatione, quopacto ſpirit⁹ ſalis dulceſcunt, Corallorum miſturâ & ſolutione. *Quartò*, coagulati acidi reſolutione, qui ſanè modus cùm omnium feliciſſimus ſit & tutiſſimus, volatiliſationes alcalium omninò diſcendæ ſunt, inprimis ſalis tartari, quod ſic fit, ſi videlicet ab ipſo terræ nonnihil dematur, ut reſiduum humidius ſeu aquoſius redditum mercurialis proprietatis naturam adipiſcatur, quod quidem arti permittitur: vel ſi volatile ſui generis additum, ipſum fixum ſuperet, ſic enim volatile hoc & ipſum fixum volatilizat. Sal enim proprietatem terræ habet: ipſa terra verò ſola eſt, quæ compacta ignis actioni reſiſtit, nec in vaporem ſe extenuari permittit. Hinc eſt, quod ſal copioſius adveniens ſtabilitatem in igne cum ſalis terrâ retineat. At, cum mercurio qui volatilis naturę eſt multiplicatus, cum mercurii aquâ evolat, teſte *Octaviano de Collibus l. de Meteoris. Helmontius*, egregius ille Philoſophus, non contemnenda ſcripſit de *liquore Alcaheſt*, verùm, cùm ejus acquiſitio multis impoſſibilis, plurimis difficilis, paucis in cognita ſit, inprimis, quòd dicat, eum fieri ex mercurio, quod & Paracelſus ait: hinc ſeriò in volatiliſationem ſalis tartari nos deducere conatur. Videtur autem aëri hoc negotium attribuere velle, dum poſt varios diſcurſus de volatilibus ſalibus in fixa commutatis, *tit. Blas humanum*, ita tandem erumpit §. 45. Si aër (arcanum capiat, qui poteſt) inprimis volatilizat ſulphur concreti, cum omnimodâ ſeparatione ſui ſalis, hoc ſal (quod alioqui in carbone fixaretur in alkali per ignem) fit totum volatile, ac ſurſum ſcandit, in ſpecie liquidâ quandoque, & non raro in formâ ſublimati: habetque totam concreti craſin. Neque enim in ſuo fixitatis ordine, utor verbis *Ludovici de Comitibus*, aliquid ad Medicinæ opera, niſi valdè debiliter conducere, experientiâ cognitum eſt. Si enim valido igni reſiſtere ſat potenter videtur, quâ ratione ab humani corporis imbecillo ſuperari, & ad actum, ut Medici loquuntur, deduci valebit? Alimenti quidem vicem ſubire, ciborumque normam gerere poſſe concedimus; at medicamenti

vim potiorem ac velociorem exercere non poterit. Hoc enim vincere, illud vinci oportet. Hoc viâ modoquè conſueto: illud inſueto procedit, quod nî fiat, impoſſibile quoque erit, ægritudines id depellere. Quod ſi in ſpiritum & volatilitatem ducatur, non tantùm per ſe, ſed etiam per plurima ſibi ſolutione connexa, varios morbos curare, ac morborum cauſas eliminare poterit, non, quòd ſic exoticam qualitatem ab illis ſit adeptum; ſed, quòd ſubſtantiam quoque per ejuſmodi ſpiritum diſſolutam ac ſibi counitam in penitiores viſcerum ductus trahere valeat. Hinc adeptorum particeps *Helmontius* rectè iterum ſcripſit, *in poteſtate medicaminum*: Summus & feliciſſimus ſalium eſt, qui ultimam puritatis & ſubtilitatis metam in naturâ attigit, cuncta pervadit, ſolusque agendo manet immutabilis, quæque alia pro lubitu promptâ reſolvit obedientiâ, rebellemque omnem materiam, non ſecus, ac aqua calida liquat & volatilizat. Cum acidis itaque ad glandularum ſub inteſtinis in meſenterio exiſtentium, venarumque lactearum ac pancreatis infarctus: Cum amaris, ad hepatis: Cum ſalſis ad renum craſſiora excrementa proficuus eſt, ſecundùm *Ludovicum de Comitibus*, &c. Quæ enim volatilia ſunt, citò permeant viſcera, obſtructionesque in illis natas tutò pervadunt & reſerant, ſubtilitate ſuâ. Unde neque contemnendi ſales volatiles ſanguinis humani, inprimis arterioſi, ſuccini & cornu cervi, & qui ex oleis aromatum deſtillatis parantur, ſpiritusque ſalibus volatilibus acuati, cùm etiam multoties vini ſpiritus à ſale fecum vini abſtractus, multùm ejus combibat, relictis inutilibus, & nihil quicquam ſalis redolentibus fecibus, id quod experientiâ propriâ lubens hîc trado & communico, tanquam certum volatiliſationis ſalis tartari ejꝰ, quod eſt ex fecibus vini, experimentũ. De oleis verò aromatum in ſalia tranſmutatis volatilia, ita *Helmont. cap.* 15. *de Febribus* §. 7. Si oleum cinnamomi, caryophyllorum, lavendulæ &c. noveris tranſmutare in ſalem volatilem, nactus es medicamen temperatum, efficiens, quantum de iſtis ſimplicibus ſperari poteſt, in veteri vertigine, palpitatione, apoplexiâ ſimilibusque. Hinc neque tincturæ cum menſtruis ſale volatili imprægnatis rejiciendæ,

dæ, ſed magni æſtimandæ: ut tinctura Corallorum cum ſpiritu mannæ, aut panis: tinctura cinnamoni: tinctura Solis cum ſpiritu vini philoſophici; & Lunæ cum ſpiritu urinæ reſolutivo, & aliæ, quæ ex Antimonio hoc pacto parantur, ſiquidem in illis magna penetrandi & digerendi vis eſt & efficacia, quâ obſtructiones variæ & coagulationes, morborum cauſæ, quin & peregrina fermenta mitiganrur, reſolvuntur, necantur & tolluntur. Imò affirmo: Salia volatilia multùm affinitatis habere cum mercurio mundano, quemadmodum etiam ſpiritus vegetabiles, cum ſanguine humano, inprimis arterioſo, qui totus propemodùm, vix relicto carbone, volatilis eſt. Etſi enim Philoſophi dicunt: mercurium animatum eſſe neceſſarium ad opus ſuum, illudque appellant argentum vivum animatum; non tamen illud argentum vivum animatum eſt de intentione illorum, ſi in formâ mercuriali erit, antequam animetur. Nam, Sophorum argentum vivum aqua eſt viſcoſa, extracta ex viſceribus Jovis, ex albo nimirum plumbo, quæ in Sole & Lunâ congelatur, & extrahitur ex Sole & Lunâ, chalybe noſtro, artificio philoſophico, miris modis, per prudentem artis filium, in quâ aquâ ubi Sol diſſolvitur, illa coagulatur, quo facto appellatur mercurius animatus. Et hoc in homine ſe quoque ſic habet, niſi enim tranſeant alimenta in ſanguinem arterioſum, & propter ſalis mixturam jam flaveſcentem neque ſic amplius ſaturatè rubentem, abeatque in viſcoſum pinguemque & ſummè volatilem quaſi liquorem, vix coagulabitur à membris, neque ipſe potens erit reſolvendis iis, quibus intimè miſceri, & in quorum naturam tranſire debet.

Unde jam patet ratio, cur panis tantoperè proſit naturæ humanæ, omnemque in ſe benedictionem fermè contineat, quia nimirum abundantiſſimè in ſe includit ſalem volatilem, facilique negotio in ſanguinem concedit coagulabilẽ in maſſam carneam oſſa &c. Siquidem, ſi panem frumenti ſub fimo equino calido quis poſuerit, per novem vel 14. dies, efficietur caro admixta ſanguine, ſecundùm Paracelſum in Manuali ſuo. lib. 2. proprer quod credit *Divus Thomas, in Secretis Alchemiæ cap. 6.* Deum potiùs elegiſſe

panem frumenti, ut in corpus ſubſtantiaretur, quàm quicquam aliud. Atq; hinc ratio procul dubio etiam pendet, cur Aroph Paracelſi (quod ſonat Aroma Philoſophorum, ſic dictum, propter tincturam auream) præparatum ſub fimo, cum mixtura panis ſecalini, ac poſtmodùm ſpiritu vini extractum, curet inclinationem veterem ad calculum renum, de quo *Helmont. de Lithiaſi, cap.*7. §.14. *& Supplementorum paradoxo numerocritico* §. 53. *ex Paracelſi lib. de viribus membrorum cap.*10. Quid verò Aroph ſit, id ut hoc loco revelem, haud opus eſſe judico, cùm vel ex contextu Paracelſi colligi poſſit, nominisque etymon arcanum prodere videatur.

De pane verò & hoc notandum: quòd, ſi cum aquâ pluviâ miſceatur ejus medulla, intra breve tempus, ubi in vitro ſimul expoſita fuerint Soli, aqua illa rubicundiſſimam tincturam nanciſcatur, inſtar ſanguinis, id quod ſanè mirandum. Et huc pertinet experimentum *Roberti de Fluctibus, in Anatomiâ panis*, utpote qui ſpiritum panis ſummè rectificatum expoſuit radiis ſolaribus, quorum ſubtili mixturâ intra paucas horas ſpiritus ille limpidiſſimus cæleſti tincturâ imbui, & vel rubinum colore æquare cæpit. Optimè itaque præclarus ille Theologus practicus, & Philoſophiæ Secretioris, ut multi cenſent, Adeptus, Johannes Arndtius, lib. 4. Seines Chriſtenthumbs diſſeruit, dum ſcripſit: Unſer Brodt / das wir eſſen / iſt erſt ein grün Gras / darauß endlich das Körnlein wächſet / darauß das Brodt kömmt / welches endlich in unſer Fleiſch und Blut verwandelt wird / wann wirs eſſen. Da bedencket Gottes Wunder / die er an uns thut / und lernet hier das Werck euer Schöpffung verſtehen / wie Gott der HErr noch heut zu Tage deß Menſchen Fleiſch und Blut auß der Erden machet. Iſt das nicht ein groſſes Wunder / daß wir ſagen mögen: Die Erde iſt unſer aller Mutter? Darauß formiret Gott durch ſeine Allmacht unſern Leib / Fleiſch und Blut noch heut zu Tage / daß wir wol ſagen mögen: In Gott leben / weben und ſeyn wir. Die nährende Krafft iſt Gottes Wort im Brodt. Darumb lebet der Menſch nicht allein vom Brod. Dann / nimbt Gott die ernährende Krafft vom Brod / ſo verſchwindet unſer Fleiſch und Blut / verwelcket wie eine Blume / verdorret wie Hew. Item: aller Speiſen wird man

über-

überdrüſſig/ ſo man dieſelbe täglich geneuſt / aber des lieben Brods nicht. Das iſt die Urſach / daß das Brod eine allgemeine General-Speiſe iſt/ darinn aller Speiſe Krafft lieget / und darauß alle Speiſe ihre Kräffte nimbt. Gleich wie die Sonne ein General Liecht iſt/darauß alle Sternen ihre Kräffte nehmen und empfahen. Darumb hat Gott dem Brod aller Speiſe Eygenſchafften und Krafft eingeſchaffen/auff daß die Natur des Menſchen mit einem kleinen Bißlein Brod könte geſättiget werden. Gleich als wann man in ein klein Bißlein oder maſſam vieler Kräuter Kräffte kan einſchlieſſen. Alſo iſt in einem Biſſen Brod die gantze Natur eingeſchloſſen. Dann der Menſch iſt microcoſmus, die kleine Welt / und die gantze Natur der groſſen Welt-Geſchöpff und Eygenſchafft iſt im Menſchen beſchloſſen. Weil nun der Menſch mit einem kleinen Biſſen Brod kan geſpeiſet werden: Derhalben/ ſo muß in einem Biſſen Brod die gantze Natur eingeſchloſſen ſeyn / darauß ſonſt der Menſch gemacht und geſchaffen iſt: Quia ex iis nutrimur ex quibus conſtamus. Hactenus ille. Et, ut porrò nonnulla de pane addam: Deſtillavi aliquoties panem triticeum cum rore Majali paratum ſine alio addito fermento, quo cæteroquin panes ſubiguntur, & ſine fæce, ad eum modum, quo *Robertus de Fluctibus*, in deſtillatione panis, proceſſit, & vidi, quæ, neſcio an ſcribi debeant. Nempe non ſine ratione Græcis appellatur Triticum πυρός. Igneæ enim planè eſt naturæ, colorque aureus, quo tritici grana ſuperbiunt, & ſigillum, quo natura illa ſignavit, oſtendunt, quantam cum Sole cæleſti & auro affinitatem habeat, & tanquam granorum vegetabilium Rex & Princeps ſit. Proſpicit enim inde quaſi per feneſtras ignis, qui lucis tabernaculum eſt, unde non poteſt non univerſi mundi mater & nutrix præcipuam in eo habere reſidentiam, ut proinde vegetabilis regni perfectiſſimum templum & palatium appellari mereatur. Et cur non eſſet igneæ naturæ? Profectò, cùm ordine elementa deſtillâſſem, & jam caput mortuum multo adhuc oleo prægnans exponerem aëri, ſubitò inſtar pili exſurgebat ex eo tenuiſſimus fumus, quem cùm compeſcerem, paulò pòſt ex aliis etiam locis tanquam è poris ejus fumi multiplicabantur, quibus viſis, cùm jam incendium metuerem, & conſiderarem,

quo pacto fumi è montib⁹ igne naturæ ſuſcitarentur, ecce! in flammam erumpit altiſſimam caput mortuum anteà frigidum, ſolo aëris contactu, quæ *conſpiciente illuſtriſſimo, nunc beatiſſimo Comite, Dn. Georgio Erneſto, Com. ab Erpach, Dn. in Breüberg,* & cui Chryſogoniam hanc ante hâc inſcripſeram, ad horam & ultra duravit. Certè Triticum pretioſum ſemper fuit in oculis Dei, neque myſterio caret, panem in ſacrâ Cænâ à Chriſto ordinatum. Tot ſunt de Tritico in ſacris laudes, tot encomia, ut ſi ea huc congerere vellem, vel ſolius tritici laudibus op⁹ magnum educere poſſem. Sufficiat Chriſtum ſe ipſum appellare panem: & mannam, quæ & ipſa appellatur panis Angelorum, multa in ſe arcana continere. Eſt enim in ipſo pane, & mannâ aliud adhuc manna & alius panis occultatus, quo manifeſtato, tanta poſt fœtorem, & elementa corruptibilia ſeparata, oritur fragrantia, ut verbis ea vix ſufficienter deſcribi poſſit, quod *Roberto de Fluctibus* vix crediidiſſem, niſi mecum omnes domeſtici eam quintam eſſentiam perſenſiſſent, virtutis inæſtimabilis theſaurum, & omnium, quotquot in mundo ſunt, aromatum odorem & ſuaveolentiam exſuperantem, ut ſic probè ſcripſerit & verè, *præmemoratus Fludt*: Æthera vel quintam eſſentiam panis, licet tam compoſitionis, quàm ſimplicitatis ſuæ reſpectu ſit igni vicina, in peculiari tamen & propria ſuâ naturâ ſuaviter fragrantem, & mirè ſenſui ipſius jucundam fuiſſe, tantamque habuiſſe efficaciam & virtutem in ſe, ut ſi ſolùm illam tetigiſſet, biduò vel triduo pòſt ejus fragrantiam adhuc perceperit, & ejus virtutem omnibus aliis odoriferis prætulerit. Qui plura de pane deſiderat, ille legat & conſulat *Dn. Riſtium* in der Mertzens-Unterredung/ von der edelſten Thorheit der gantzen Welt.

Cùm ergò panis tantæ ſit nobilitatis, haud malè videtur ſcripſiſſe ſuprà citatus *D. Thomas* Aquinâs: Eſt & alius lapis, qui ſecundùm Ariſtotelem eſt lapis & non lapis. Eſt enim mineralis, vegetabilis & animalis rationalis, qui reperitur in omni loco & in omni tempore, & apud omnem hominem, quem debes putrefacere ſub fimo; & putrefactum ponere in cucurbitâ cum ſuo alembico, & extrahere elementa, & conjungere; & eveniet tibi lapis minoris effica-

efficaciæ & virtutis, quàm ſuperior. Et non mireris, quia dixi tibi, quòd putrefiat ſub fimo equino calido. Sic debet artifex attentare: ut ſi panem frumenti ſub eo ad novem dies poſuerit, efficietur vera caro, admixta ſanguine, &c. Et fortè ab iſto poſſunt quatuor educi elementa, & fieri aliquod bonum opus. Ubi Lectori acuto judicandum relinquo, an non hîc videatur de ſanguine humano loqui *Thomas*, atque in comparatione ejus cum pane docere velit, ſimilem lapidem ex pane confici poſſe. Namque memini, me aliquando in *Borello* legere; Materiam lapidis philoſophici plurimos exiſtimare, eſſe ſanguinem humanum, eosque fortè haud falli.

Et quis dubitare quoq; vellet de compoſitione optimi operis, ex ſanguini humano? quem lapidem appellant animalem. Certè *Samuel Nortonus Briſtollenſis* in operibus ſuis, quæ *Edmundus Deanus Anglus & Medicus Eboracenſis* edidit, illius veritatem *tractatu ſeptimo, de lapide animali, ex ſanguine humano,* confirmat, adducendo *primò teſtimonium Riplæi*, qui *in lib.* 12. *portarum, in admonitione ad lectorem, continente experimenta Autoris*, ita cecinit:

12.

Nunquam vidi verum opus præter unum,
Cujus veritatem in hoc tractatu oſtendi,
Studeas igitur ſolummodo, ut facias noſtrum lapidem;
Nam, hâc ratione poteris lucrari aurum & argentum,
In ſcriptis meis poteris jacere tuum fundamentum,
Et ſic Deo ductore nihil amittes,
Con fide meæ doctrinæ & ei adhæreas.

13.

Memento hominem eſſe nobiliſſimam creaturam,
In compoſitione terreâ, quam Deus unquam creavit,
In quo eſt quatuor Elementorum, proportionatorum per naturam,
Neutralis mercurialitas, quæ omninò nihil conſtat.
Producitur arte, ex ſuâ minera; nam noſtra metalla
Nihil aliud ſunt, quàm noſtræ duæ mineræ
Noſtri Solis & Lunæ lucidæ, ut Raymundus ſapienter notat.

14. *Splen-*

14.

Splendor Solis & Lunæ lucidæ
In has duas mineras certò ſecretè deſcendit,
Quamvis ſplendor ſit abſconſus tuo viſui:
Arte potes efficere, ut appareat manifeſtè.
Hunc lapidem abſconſum, hanc unam rem putrifica,
Lava in ſuo liquore, donec albeſcat,
Tum fermenta ſapienter, & ſic habes ſummam totius operis.

Deinde propriam experientiam, dum ait: Quia autem nos verum eſſe probavimus, ſcilicet efficiendi ſulphur naturæ ex minerâ microcoſmi, tantò fidelius illud enarramus, quia nihil ex proprio marte deſcribere deſideramus, niſi quod prius probavimus; unde & loco citato *Nortonus* modum procedendi tradit. Quò etiam referendum exiſtimo, quod *parvus Agricola*, oder der kleine Bauer *in apertâ arcâ naturæ ait:* Der Menſch iſt nicht/ wie die Ungelehrten meinen / auß einem ſchlechten unreinen oder gemeinen Erden-Klotz / von Gott dem Allmächtigen geſchaffen/ ſondern von dem allerbeſten/ ſubtilſten Außzug ꝛc. ſo in toto centro geweſen. Und glaube mir/ daß der Allmächtige zu einem ſolchen Werck / welches er zu ſeinem Ebenbild erſchaffen / keine gemeine Erden/ ſondern/ wie geſagt/ ipſum extractum totius genommen/ und ſich dann auch ſolches / wann der Menſch in ſeine tria principia reſolvirt und gebracht wird/ befindet / daß ſich alsdann im Ende in der Zuſammenſetzung eine rohte/ ſchöne glänzend Erden ſehen läſſet. Id eſt: Non creatus eſt homo à Deo omnipotente, uti indocti clamant, ex vulgari & abjecto limo terræ; ſed de extracto optimo & ſubtiliſſimo, quod toto in centro fuit. Et crede mihi, quòd Omnipotens, ad tam præclarum opus, quod ad imaginem ſuam fabricavit, haud vulgarem terram; ſed, uti dictum, ipſum extractum totius acceperit, quod & deprehenditur in Anatomiâ hominis, & cum in ſua tria principia reſolvitur, dum in fine conjunctionis eorum ſplendens, rubra & pulchra terra conſpicitur. Hæc de lapide animali. Cœterùm extitére plures, qui, quòd homo microcoſmus appelletur, in urinâ & ſtercore laborârunt, contra *Treviſani* monitum: ſuntque hodienum multi, qui id laboris genus ſtrenuè perſequuntur

quuntur, non curantes mephitim & fætores intolerabiles, cùm tamen *primò* homo ſolus non poſſit gloriari nomine microcoſmi. Locum hîc potiùs habeat, quod in §. 146. *Encheiridii phyſici* habetur: Homo ne ſomnia ſibi fingat, dum variis gloriatut titulis, & ſibi ſoli quaſi microcoſmi nomen vendicat, quòd in materiali ejus opificio naturales macrocoſmi motus analogicè percipiantur; quodlibet enim animal, etiam vermiculus, quælibet planta, etiam alga mundus eſt exiguus, majoris imaginem referens. Extra ſe ergò mundum quærat homo, & inveniet ejus compendium ubiq;. Imò extra ſe quærat homo ſe, & inveniet ſe. Creaturarum ſiquidem omnium idem archetypus eſt & idem centrum, ex quo infinitæ lineæ deductæ tandem redeunt ad illud unum, à quo omnia. *Deinde*, quia directè illi labores ſtercorei ſunt contra doctrinam Sophorum. Verum ſiquidem eſt, quod tam bellè cecinit *Teſtamentum Hadrianæum*:

Tu vana ſophiſmata deinceps
Linque per anfractus Te ſeducentia curvos:
Herbarum omne genus fac miſſum, animalia linque
Corpora, dum lapidem cura eſt tibi quærere noſtrum. (mineralem)
Nil caro, nil ſanguis, quæque excernuntur ab illis
Menſtrua, ſperma, hominum genitalibus edita vaſis,
Stercoraque urinæque dabunt; nil crinibus, ovis,
Nil ſecundinis, viridive inveneris herbâ.
Sementi fructus reſpondet ſcilicet; atque hinc
Stercoreum inveniet, qui ſtercora ſeminat, agrum. Sed ad panem.

Haud mirum itaque, intuitu tantæ benedictionis divinæ, tantarumque in pane virium, in conventibus lamiarum, uti hæ confitentur, deſiderari non ſolùm ſalem, qui res bona eſt; ſed & panem, dum cæteroquin ſi vera ſunt, quæ de ſuis diabolicis conventibus fatentur, neque vino, neque aliis cupediis deſtituuntur. DEI enim hoc præclaro dono meritò illi privantur, qui Deo renunciârunt, atq; Satanæ man⁹ dederunt. Meritò itaq; petimus ex præſcripto Chriſti panem quotidianum, dum in pane tantum ad vitæ & ſanitatis humanæ conſervationē volatile arcanum & Aroph latet,

quod coagulata diſſolvere potens, atq; carni & ſanguini noſtro affine eſt. Id quod & illis probè obſervandum præcipio, qui in lotio ſæpe cernunt ſubtile rubicundum ſabulum, quod non ſolùm fundo urinalis adhæret; ſed & latera urinalis undiquaque occupat, ne nihil excretiones ejuſmodi rubicundi ſabuli æſtimantes, tanquam renum hoc ſolùm excrementum ſit, feralem tandem in ſanguine coagulationem experiantur, cujus tenuis ejuſmodi arenula prodromus eſt. Namque experientiâ compertum habeo, non rarò tales apoplexiæ obnoxios fieri, inprimis, ſi accedat intemperantia, & per hanc acidi digerentis tranſmutatio. Namque & nimiâ pluviâ digeſtio turbatur in elementorum utero, terrâ, ut in officio ſuo Archæus impediatur, opuſque relinquat ſeu corruptum, ſeu imperfectum; ſeu planè ab officio dimotus aliud ab intentione ſuâ producat. Imò & variorum ciborum & liquorum confuſio in corpore humano, non aliter, ac etiam in Chryſogoniâ minerali, naturæ intentionem invertit. Qui enim, ut *Augurellus* Chryſopæiæ l. 2. loquitur

Nunc urentes latices, Bacchivè liquorem
Nunc olidas Lymphas

ſine intellectu & ratione miſcent, errant, cùm tamen natura toto hoc in opere nihil aliud

Poſtulet, ac quod ſit ſimplex, farragine nullâ
Rerum aliâ expletum, quàm quæ, tellure ſub altâ,
Continuo puri ſuffitu Sulphuris atque
Comparis attactu vivi, conflantur in aurum.

Dixi, *ſine ratione & intellectu.* Quid enim juvat vini potatores vinum, dum ſine ratione & intellectu illud ingentibus hauſtibus abſorbent, in ſui interitum. Multa cæteroquin ſcripſit *Lullius de ſpiritu vini, ejusque quinta eſſentiâ*, de quâ & *Nos* aliqua ſcripſimus, *in noſtro tractatu, de Auro, Sacchari & Vino*: imò porrò alia ſcribere poſſemus, & quidem talia, quæ triciti non eſſent laudibus inferiora. Quis enim ſcit, quid ſit illud, quod adfertur in coriis de monte peſſulano? Quis novit Philoſophorum vinum? quis novit vegetabile fixum & volatile *Sendivogii*? Quis ejuſdem ſalem armoniacum?

quis

quis pingues in mari philoſophico ſquamisq; argenteis micantes piſciculos ſubtili reti involvere & extrahere, ut piſcator ſit peritiſſimus? Profectò, *in Arcâ naturæ apertâ*, non levia dicuntur de vino. *p.* 54. Dum enim occupatus eſt magnus Agricolâ in detegendâ materiâ: Saturn⁹, inquit, ex Turbâ Philoſophorum, iſt der Siebend/ in welchem die (Planeten) alle ſtecken und verſamlet ſeyn / dieſer iſt der Spattel/ das Schwerd/Meſſer und eine Schneidung der Wunder-Geburten / damit man ſeinen Feinden widerſtand thun kan / darneben auch ein Faß mit gutem Wein/ꝛc. was kan klärlicher und deutlicher immer geſetzt werden. Er ſetzt auch darneben das Mittel der Aufflöſung/ denn/ im Weinfaß ſteckt es / das iſt erſtlich / der Wein / das iſt / ſpiritus vini, acetum vini, ſal tartari und andre Ding mehr/ wiewol auch andere Mittel gebraucht werden; Sie müſſen aber nicht darbey bleiben / ſondern wieder wegweichen nach der Solution. Id eſt: Saturnus ſeptimus eſt, cui omnes planetæ inſunt, & in quo congregati ſunt in unum. Ille eſt ſpatula, gladi⁹, culter & diſſectio admirandarum generationum, unde hoſtibus reſiſti poteſt, nec non dolium generoſi vini &c. quid clarius dici poteſt? addit quoque medium ſolutionis, dum ait: ſiquidem in dolio vini id continetur, & hoc eſt primò vinum: dein ſpiritus vini: pòſt, acetum vini, ſal tartari & alia, licet & alia media adhibeantur, quæ tamen cum ſoluto manere non debent; ſed poſt ſolutionem recedere. Ne verò ſecundùm *Cabalam Chymicam* exiſtimes, te ſpiritu vini communis hoc ſolutionis negotium peracturum, ſiquidem vegetabile inflammabile minerales vix domare poterit naturas aut metallicas. Quære philoſophorum vinum, id eſt, mineralem naturam, diametrumque cæli & terræ & invenies poteſtatem maximam, & fortitudinis fortiſſimæ fortitudinem fortiſſimam, cui decedet aurum, argentum & omnia metalla. Qui plura deſiderat, legat *Georgii Riplæi Philorcium Alchymiæ*, itemque *Concordantiam Raymundi & Guidonis*, *Iſaacum Holandum* & alios. Siquidem teſte *magno Agricolâ*, in plumbo Philoſophorum, quod aliàs ab ipſis plumbum æris appellatur, occultata latitat pulchra ſplendensque & alba columba, dicta ſal metallorum,

in quo ſummum latitat artis magiſterium; eſtque caſta ſapiens divésque regina è Sabâ. &c.

Cæterùm, ſi & hîc mihi liceret paululùm digredi & Comicorum more ſeriis jocoſa intermiſcere, ſcriberem, quid, cùm ſedulò aliquando rimarer Ariſtotelis Terminum ovi, quo nomine Philoſophorum materiam inſignivit, mihi evenerit. Sedebam nempe inter Muſas meas, & ecce! meditando cum iis, & quaſi excentricus factus, neque enim dormiebam, neque vigilabam, apparebat mihi magni cujuſdam palatii & antiquiſſimi quidem, ſed per aliquot mille annorum decurſus in ſingulos renovati Magiſtra, ſecum habens ſociam, cujus exteriori tunicæ inſcripta erant hæc verba: TERMINUS OVI. Mirabar viſum inſolitum, & nunc in memoriam revocabam, quæ de aquâ albuminis ovorum ad faciendum mercurium corallatum *Paracelſus* & alii ſcripsêre: nunc conſiderabam, quæ *Teſtamentum Hadrianæum* cecinit:

Candida nam croceos circumfluit unda vitellos:

aliâ vice feriò penſitabam *Ovum aquilinum*, quod aliquando in ipſius Jovis ſinu depoſuerat ejus armiger, propter Scarabæi perſecutionem, & conceptam in Aquilam vindictam & pœnam, ob injuriam, quam timidis brutisque, ut ait *Monas Hieroglyphica*, animalibus illius avis violentia & crudelitas intulerat; de quô commento, qui voluerit, legat *Eraſmi Chiliadis tertiæ Centuriam ſeptimam, in principio.* Eſt enim profectò aurum, quod nullius ignis potentiam timet, ovum ſingulare, quod omnes mortales domat, vincit, & ſub poteſtatem ſuam redigit, imò, quod omnes venerantur: at, dum omnes eludit aliarum rerum vires, fortè à Scarabæo è Jovis etiam deturbatur ſolio. Dicunt enim omnes Philoſophi, quòd in ſterquiliniis eorum materia colligatur, nihil enim tam ſolidum eſt & forte, quod non interdum à re vili ſuperetur. Dum verò hæc meditabar, ecce! *Droſia*, hoc enim erat ſociæ virgini nomen, monſtrabat mihi multoties illius inſcriptionis, quæ erat TERMINUS OVI, immutatas literas. In fronte enim hæc legebantur verba:

Ter

Ter os munivi:
Serto munivi:
Sorte munivi.

Ego, ſilentium mihi inculcatum & imperatum reputans, & nihil inde ad meam ſcientiam derivatum iri ratus, expectabam, quid ulterius mihi eſſet oſtenſura, cùm illa dulciſſimo ore loqui cæpit:

En, o vir muſti!
Vir eſto, muni,
Munito vires,
Vi omni ſtrue
Vineti muros:
Serito vinum:
Roſetum vini:
Ens vitiorum.
Vinitor ſume,
Vinitor meus!
Sume, in vitro,
Viſum è nitro:
Tò vini ſerum:
Vi ſerotinum:
Mortui nives.

Circa pectus virginis hæc porrò notabam aureis filamentis acupicta verba:

Torum inviſe,
Muros in vite.
Ito inverſum
Or, & ſi vinum

Vis, me triuno
Sui metro uni.
Me nivis ortu
In vero ſitum
Inviſe, mutor.

Magna & mira miranda miracula his in verbis contineri autumans, ajebam:

O Nemus vitri!
O Venus trimi!

Multa de nitrò, vitro, vino, nive & aliis obſcurè mihi exhibes, quid ergò es?

Num vitis ore?

Quibus illa ſubridens amice reſpondit:

Sit, ero vinum:
Sit ore vinum:
O! ſit re vinum.
I, verum noſti:
Sum vi è nitro:
Ros, emtu vini.
En! ros vitium:
Ren, os vitium
Sum & or vini:
Tum ren Jovis:
Virtus Mœni:
O! jus vertumni:
O vis vertumni:
Sum vi Ternio:

O! in me virtus,
Omine virtus.
O! ſum ter vini
Sum iter novi.

At ego conſcius, multa quidem eaque præclara de vino hinc inde legi, at quàm longè illud à metallicâ diſcedat naturâ, fucumque in his contineri ratus, protinus regerebam;

O! ni tu vermis
Menſtrui, ovi,
Eminus torvi?
O! ni es vitrum?
Ni meto virus
Mero invitus,
Unius merito,
Numero vitis?

At ſubitò reſpondit illa:

Timen ô virus?
O! ſine vitrum.
Vermino ſitu.
Ito, num vir es?
Tu è ſinu miro,
Muſto, re vini,
E vi nitroſum
Sumito nervi
Ritum novies,
Soni viretum:
Soni rivetum:

O vi-

O! vinum retis,
Juſtum in ore,
Roſeum uniti,
Numero juſti,
Numeris voti,
Tum inſervio.
Num ſervitio
Virtus in meo?
Sinu vim tero,
Tero, ſum vini:
Niſum vi tero,
Rivo, en! muſti,
Viro, en! muſti
In muſti vero:
Vis tu, in mero.

His auditis tandem ego: Ergò

I, Sorte vinum,
Et oris vinum,
Sorite vinum,
Iter vinoſum!
Nî vietor ſum,
Num vitis ero?
Nî mus è vitro?
Mirus te novi:
Muris te novi,
Oſtium nervi,

Tum

Tum in re ovis
Omnis in utre.
Sitio vernum:
Sitio nervum:
Si uter, munio,
Num rite, viſo.
Vis, ter munio:
In JESU mutor.

His aliisque dictis, viſis & auditis anagrammatiſmis, qui multas adhuc implerent paginas, cùm neque oculis uterer, neque auribus, videbatur Magiſtra immutare vultum in atrum nigrumque colorem, &c, quid ais *Droſia*, dicere? Nonne Philoſophi nomen hoc materiæ ſuæ, quod eſt TERMINUS OVI etiam appellaverunt alio nomine, & dixerunt: quòd ſit TERMINUS ANI? quibus auditis *Droſia*: imò verò ſcio inquit, Magiſtra: Sed cur differimus amicum noſtrum, dum TERMINUS ANI nihil eſt aliud, quàm SATURNI MINERA; ſed hîc doctâ numerorum manipulatione opus eſt, quæ nunc revelari nequit. Diſparuit inde *Iris* cum *Droſia*, relictâ tandem hâc ultimâ voce:

Vinum oretis.

Hæc in laudem vini hactenus luſa ſunto.

Tu verò, ô *Philo-Chymice* & *Hermetis genuine fili*! Si tibi animus eſt, ut omninò fieri oportet, diſce reſolvere corpora in primigeniam ſuam aquam: diſce ſedulò ſeparare aquas ab aquis, harumq; rarefactionem, ſecundùm Coſmopolitam. Sic enim cæli creati ſunt. Sine cognitione verò veræ aquæ errabis, quæ profectò non eſt elementaris, aut corruptibilis; ſed incorruptibilis, fæcunditatis omnis mater, natura media, mineralis in hoc opere, continens in ſe virtutem ſuperiorum & inferiorum aquarum, & quam ſpiritus regit, participans de luce ſuperiorum & centro inferiorum.

Hinc optimè locutus eſt *Iſaacus Hollandus*: Scias fili! mercu-

rium eſſe primum omnium rerum. Antequam enim tempus eſſet, erat aqua, & ſpiritus Domini incumbebat ei. Quænam erat aqua illa, nubiumne, aut humida, quæ effundi potuerit? nequaquam; ſed fuit aqua ſicca & pulverulenta, atque ei Deus terram ſuam impoſuit, quæ ſulphur illius eſt, ita, ut terra aquam congelârit; ac inde orta ſunt quatuor elementa his duobus incluſa, Dei voluntate. Itaque mercurius ſulphur congelat, & ſulphur mercurium, nec poteſt horum alterum ſine altero eſſe. Itaque nec ſine ſale eſſe poſſunt, quod eſt præcipuum medium, cujus ope natura omnia vegetabilia, mineralia & animalia gignit. Oportebit enim, ut ea ſal ſuo acumine unita retineat & ſuâ ſiccitate. Qui enim ſal non novit, nihil in arte præſtabit. Confirmat hæc *Teſtamentum Hadrianæum*, dum de materiâ Sophorum, rejectis animalibus & vegetabilibus ita canit:

Dicam ſubſtantia ſalſa eſt: & alibi.
Minerales excute venas: & alibi.
Eſt aqua ſicca, eſt ſpiritibus dilecta aqua cunctis. Et porrò alibi:
Solo ex mercurio trahitur, quo tingimus: & alibi.
In ſale cuncta latent arcana.

Nam hoc ſal mercuriale eſt verus mercurius & medius quaſi curator, mediator, curſor & mercator ſive interpres Deorum & hominum, nundinationes exercens inter cælum & terram. Naturas itaque naturis junge, & fuge omne, quod peregrinum eſt. Natura enim naturâ delectatur, & ſimile ſimili facile jungitur. Cave, ne anorexia aut cachexia oriatur, & ſic appetitus materiæ pereat per formam peregrinam, nullaque fiat utriuſque conjunctio & digeſtio. Unde, uti hoc vitandum in opere philoſophico: ita & haud malè Phyſici de nutritione: Varietatem ciborum & condimentorum corporibus humanis peſtilentem eſſe. Verùm enim verò, plures voracitate & ebrietate pereunt, quàm gladio: Plures ſpontaneâ, quàm alterius internecione. Podagrici ſitim egregiè ſiſtunt ſine fine ſiticuloſi, maluntque dolores in pulvino molli decubituri, quàm ſubtrahere morbo futuro occaſionem. Quæcunque in crapulâ ſumuntur, ſupra fermenti ſtomachici poteſtatem, cale-

fiunt

ſiunt quidem intus, *teſte Helmontio, de victus ratione* §. 12. at putreſcunt, nec etiam eatenus digeruntur, uti in Febribus eſt luculentiſſimum. Quantum verò de tenerioribus cibis eſt aſſumptum, digeritur quidem, labiturque è ſtomacho; at ſemper magnam ſecum indigeſti molem præcipitat, tam propter vaſis tenſionem, quàm naturæ onuſtæ & frenos deſerentis incuriam. Si autem digeſtum fuerit, quod eſt longè tenerrimum, idque juſto diutiùs in ſtomacho moretur, neceſſariò quoque illud retentum nimiùm aceſcit, vel putrefit, deduciturque in amarum excrementum, quod non rarò manè per vomitus rejicitur. Vana inde ſunt potuum exſiccantium pharmaca, cum mala quàm plurima in corpore humano à latice, largiorique potu & cibo ſaltem occaſionaliter naſcantur. Unde patet, quàm ſalubris potus ſit ſobrius, latex namque pro ſui inſtituto inſipidus eſſe debet; aceſcit verò multo meracioris & acidioris vini potu.

Cæterùm, non hîc multa de delectu ciborum loquar, quem nonnulli ſæpe inculcant ſatis operosè. Quæcunque enim Deus creavit in noſtri alimentationem, illa, ubi ad maturitatem deducta ſunt, debitèque, ſive coctione ſive elixatione, aut etiam fermentatione, ſicque ſeparatione puri ab impuro præparata, illa, inquam certè bona ſunt, niſi fortè, ob vitioſum jam tum corpori contractum fermentum, quædam citiùs & faciliùs in corrupti naturam degeneratura metuantur, atque ideò vitanda cenſeantur, quòd vitium contractum foveant & augeant, ob peregrini ſeminis vim & poteſtatem, eo modo, quo aqua decurrens per lapillos, aut ſæpius à lapidibus abſtracta, per deſtillationem, pondus eorum auget, & à ſeminali & petrifica ſaxorum vi correpta coagulatur in ſaxum: aut quo pulvis Chryſopejus plumbo duritiem, argento vivo & ſtanno difficilem liquationem dat, quam utramque qualitatem ferro adimit. Quin &, ubi fames adeſt, optimum ſimul adeſt ciborum condimentum, naturaque tum optimè ſeparat. Eſt enim in fame devaſtatio nutrimenti ipſius ſtomachi, vigore fermenti digeſtivi, ſive eſurini ac depaſcentis, uti lib. *de Naturâ Contrariorum acutè diſſerit Helmont.* §. 43. Damno pluralitatem & pondus,

quod naturæ ultrà ſuas vires imponitur, ut ſub onere titubare, fatiſcere & labi cogatur, aut relinquere indigeſta, quæ digerenda erant. Uti enim non omne mercurii pondus reſolvere aurum poteſt, ut in mercurium quoque abſorbeatur, & per corium ſimul tranſeat; ſed proportio ejus debita: Visque ſeminis non omnem tranſmutare aquam poteſt ſibi affuſam in herbas, radices, arbores. Terrena enim potentia, ſecundùm *Comitem Bernhardum Treviſanum*, ſuper ſibi reſiſtens, pro reſiſtentia dilata eſt actio agentis in debitâ materiâ, hoc eſt: actio ſeminis prolongatur eò uſque, quouſq; terrea feculentia ſuam amittat poteſtatem, ſupra fœmineam roſeam humiditatem, *interprete Ludovico de Comitibus*: Ita neque fermentum ſtomachi aſcendere poteſt, ultrà ſibi à Creatore conceſſas dotes. Neque enim, qui centum libras portare poteſt, ille eâdem ratione mille portare poterit. Damno itidem utendi modum. Cùm enim cibus in cremorem mutandus ſit, exquiſita *primò* maſticatio præcedat, neceſſe eſt: ſiquidem, unicus bolus, non ritè maſticatus, plus negotii præbet in corpore, quàm tres mandendo benè contriti. Aves enim ideò, quia dentibus carent, duplici ſtomacho opus habent, & omne pecus ruminans, uti pro puro in lege habitum: ita non ſpernendam maſticandi neceſſitatem nobis ſeriò inculcant. Imò vel aſinæ, lac præbentis, pro phthiſico, depexio prærequiritur, antequàm mulgeatur, ſi ſanum eſſe debet. Cur ergò & illa in nutricibus non obſervatur? cur non & Chymiæ diſcipuli obſervant locum,

——Dites ubi pectine eburneô
Aurea perpetuò depectunt vellera Nymphæ?

Uti enim mercurius tantæ non eſt virtutis, licet igne ſuo potens ſit, ut queat deglutire aurum, niſi vel longo temporis uſu: vel tenuiter limatum, aut minutim contuſum, aut in folia tenerrima didictum groſſove denudatum pallio; ſuperficietenusque ſolùm & in partibus ſaltem exterioribus illud reſolvit, ſi integrum ex. gr. ducatum eidem immergas. Ita quoque calor ſtomachi bolos integros non diſſolvet, niſi ſuperficietenus, qui verò deinceps cardialgias,

dialgias, vomitus, paſſiones iliacas, uterique in mulieribus ſuffocationes ſuſcitabit. Novi enim mulierem, quæ cùm exteriorem lardi cocti pellem deglutiiſſet integram, in lethalem, tertio demum pòſt die, uteri ſuffocationem incidit, quæ neque remiſit, donec tanti mali occaſio, lardi nimirum tegumentum vomitu rejecit. Haud fruſtrà nempe dentes natura animalibus tribuit; ſed ut ſint molitores & contritores aſſumptorum, antequàm in ventriculum demittantur, de quibus verò deinceps alia.

Fortè ideò, haud ſine ratione, tritura à multis celebratur ad conjugium immortalitatis, in opere Philoſophico, perpetrandum. Clamant enim plurimi: Tere, tere, tere! coque, coque, coque! Magnum profectò in trituratione arcanum latitat, quod ſi probè ponderarent Medici, in præſcribendis pulveribus præciperent Pharmacopœis, ut pulveres non ſubtiliter tantùm, & per cribrum minimum trajiciendum tererent; ſed eò uſque pergerent in trituratione, quouſque, quod eſt ſuperius, factum eſſet inferius: & vice verſâ; ſicque, quod eſt in centro, & ſiliquis terreſtribus obumbratum & obnubilatum, ad ſuperficiem eſſet deductum, ſine morâ deinceps ſua dona & virtutes medicas in homine exſerturum.

Videntur Philoſophi nonnulli hanc trituram inculcare velle, ut *Augurellus*, qui laminas auri continuo ictu in liquorem redigere jubet: item *Speculum parergon c.* 8. Via eſt valdè præceps, baculo opus eſt, qui commodius fieri non poteſt, niſi ex primo metallo, quod in primâ foveâ eſt collectum: Deinde ferrea inſtrumenta requiruntur ad ſaxeum illud promontorium demoliendum. Item digitis tibi monſtro auream illam petram, & ſignifico, quòd propè petram in ſpeluncâ quâdam baculus, quo *Moſes* petram *Horeb* percuſſit & aquam eduxit, quam populus biberet *Exod. 17. v. 6.* ſit repoſitus. Eum Tibi ſume, & eam petram illo contunde, tum aquam diu deſideratam Tibi largiter affluere perſentiſces. Aquam autem non prius prolicies, quàm ultra centies centies millies petra ea percuſſa fuerit. Sic *Clavis Sapientiæ* ait: Ovum minerale non putreſcit abſque contritione ſive molitione. Non enim ingredi-

tur ſolventis humiditas in ipſum, abſque molitione, propter adhærentiam partium ipſius ſoluti ad invicem. Item ovum plantæ differt ob ovo mineræ in hoc, quòd indiget triturâ. Item quò magis ipſum corpus attenuamus, tantò magis ipſius anima ſubtiliatur. *Alius Anonymus in Theatro chymico* ait: Corpus fit ſpiritus, quando terra reſolvitur in aquam, aqua in aërem, aër in ignem. Ignis per contritionem fit aër: Aër per contritionem fit aqua, & hæc eſt via, quâ ſpiritus fit corpus. *In libro Secretorum Calid* hæc habentur: Niſi converteritis corpora in ſubtilitatem, ut ſint ſubtilia & tactu impalpabilia, non dirigetur vobis, quod quæritis. Et ſi trita non fuerint, revertamini ad operationem, quouſque terantur, & fiant ſubtilia. *Pontanus* de materiæ Sophicæ præparatione dicit, in Epiſtolâ ſuâ. Teritur contritione phyſicâ, & dimittitur ad ignem. Novi proinde quendam magni nominis Philoſophum, qui dum viveret, appellari malebat, FIDUS MONTIS AGRICOLA, ſive MONS ULTRO EGREGIUS, iis enim verbis utebatur in literarum ſubſcriptionibus. Hic per multos annos materiam ſuam trituraverat, ut ſic centrum verteret in circumferentiam, de quo etiam labore multùm gloriabatur, & tanquam navigationem ſuam à polo Arctico ad Antarcticum ritè abſolviſſet, deportatus ſic ad Inſulas fortunatas, quod ſingulari carmine comprehenderat. Verùm enim verò, cùm hîc nobis non ſit animus oſtendere hyeroglyphicos Philoſophorum ſermones; & licet ad mercurium Philoſophorum faciendum magnus laboranti & herculeus quidem incumbat labor, præterque hanc aliam adhuc ſciant triturationem; ad opus Hermeticum hujuſmodi triturationem ſolam inculcare nolumus. Sufficiat oſtendiſſe, non leve momentum etiam in externâ illâ molitione contineri, ad præparanda medicamenta, virtutemque rerum ad circumferentiam deducendam. Scimus enim, quàm pervigil ille Draco, ſquamis crepitantibus horrens ſibilet, & toto pectore verrat humum, & ingrediendo corpora ſe cum illis individuè miſceat.

Deinde, ſi cibus in cremorem facile mutari debet, cavendum, ne alius cibus aut potus ſubingeratur priori, antequàm hic ad inteſtinum deſcenderit.

Adducam hunc in finem, quæ ſæpe laudatus *Helmontius in Pyloro Rectore, ſuper hâc re philoſophatur* §.9.*v*.10. Si pylorus, inquit ille, minùs exquiſitè claudatur, certè recens potus non poteſt non unâ cum priſtinis ſuis cruditatibus ferri in inteſtina, quibus ſanè cùm non incumbat digeſtio ſtomachalis, ſuſcepto fellis fermento, in alienam mutatur ſubſtantiam, & varias tandem in venis infirmitates procreat. Quia itur ad ſecundam digeſtionem, omiſsâ primâ. Sic nempe tremores & jectigationes manuum, cordis palpitationes, deliquia, febres acutæ, tremores, arthritideſque inſpiratæ proſiliunt. Sic vini acor, nondum primâ digeſtionis maturitate correctus, venis alienus, cum ſibi innatâ aquâ vitæ venarum proprium alimentum ſecum degenerare facit, paritque anonymus & incognitus hoſpes inſolitas & incognitas infirmitates. Perinde fere, ſi chylus bene maturus in duodenum elabatur, eodemq; inſtanti novus ingeratur cibus supernè, certum eſto, pylorum bene conſtitutum ſtatim claudi, nondum planè dimiſsâ priore ſarcinâ. Pars ergò chyli detenta corrumpitur, plus juſto aceſcit, novumque victum fermento præmaturo contaminat, fitque totus exoticus, niſi ante exactam coctionem à pyloro proſcribatur, qui varias orexes, tormina, atque diarrhæas eſt excitando. Notent hæc Podagræ Candidati, & quibus in delitiis eſt, protrahere prandia uſque ad cænas, & has ad noctis uſque meridiem; neque conquerantur in poſterum de doloribus artuum, quas molliculis tunc fovere pulvinis jubentur, dum ſibi peperêre malum propriâ culpâ, fœtumque alium excludere non poſſunt, quàm pro ſeminis naturâ, quo agrum corporis humani ſtercorârunt. De quo verò in ſequentibus plura: ſiquidem non ſic opus haberent in cauſam brevitatis vitæ inquirere. Multi, qui ſemel de die ſolùm cibum aſſumſére, ad centum annos vixerunt. Maſiniſſa & Mithridates ſtando vel deambulando capiebant cibum, tanquam obiter id facerent. Sed hodie per multas horas accumbitur ſedeturque, uſque dum omnia viſcera in caleſcant, & utriculi inſtar abdomen diſtendatur. Et hæc cauſa quoque eſt, cur multi chylum excernant, tanquam ab affectu cœliaco partum. Si enim pylorus minùs exactè clauſus

eſt, ſuperingeriturque cibus novus, priori jam elapſo ad inteſtinum duodenum, atque in chylum converſo, neceſſariò novus ille & inteſtino peregrinus miſcetur cum chylo, cujus hoſpitis verò peregrini regio inteſtinorum ignara aut pertæſa exorbitare incipit, motuque retrogrado interdum vomitus excitat, interdum deorſum præcipitat eundem cum chylo, ſicque colicas paſſiones & chyli excretiones machinatur. Mora aliquâ opus habent potulenta & eſculenta, antequàm ulterius progrediantur. Unde & errant enormiter, qui cibo nondum aſſumpto præmittunt vini cereviſiæque pocula, ſiquidem hoc pacto fere non alterata deſcendunt, (quam alterationem verò mixta cibis convenienter ſuſcipiunt,) & ſic tormina varia, imò & iſchurias in veſicâ, & ſi miſcentur cum ſanguine, etiam pleuritides excitant. Eſt nempe, ut omnium humanarum actionum ſuum tempus: ita quoque prandendi & cœnandi tempus eſt, enormiuſque vix peccant Magnates in diæta, quàm cùm tempus genuinum non obſervant.

At, DEUM immortalem! quis ſibi à malis his cavet? quantum hodie peccatur, & quàm innumeris modis? Eòuſque nimirum provecta eſt mortalium luxuria, ut neque temporis, neque quanti, neque genuini modi ratione habitâ, ventri ſervire malint, addereque terrenæ potentiæ pondus, quàm, detracto hoc, ad volatilitatis vitæque gradum ſe promovere, cùm ventri ſervire morbus ſit graviſſimus: imò turpiſſimum, ventris ſui menſuram non nôſſe. *Spartani* ad cibum non acceſſerunt, niſi fame & laboribus præmiſſis, unde nunquam non optimè conditos aſſumſere cibos, quorum fames eſt condimentum optimum. Sunt ubique præſtò equites cataphracti. In promptu ſunt catapultæ, quibus adoriri quàm plurimis in delitiis eſt vitæ noſtræ caſtellum, idque evertere potiùs, quàm idoneo & pauco conſervare milite. Ebrietas certè, uti mentem turbat; ita ſpiritus vini, anodynâ qualitate præditus, pedetentim nervos labefactat, juxta illud *Hippocratis*: Vinum nervis inimicum, æternumq; deinceps ſoporem inducere potens eſt, & tanto quidem facilius, quantò vinum eſt potentius & generoſius, cui tamen maxima mortalium pars adhæret. In aulis poten-

potentûm in commendatione certè ſunt, non diluta, levia aut lenia; ſed ſpiritu enormontico turgida vina: cùm tamen hæc majori virtute narcoticâ prædita ſint, imò, quia citò evolat horum ſpiritus, etiam levi calore è ſtomacho, relinquitur in hoc magna pars fæculentę materię, unde chymici poſt calcinationem tartarum elicere ſolent, qui poſteà cum ſanguine ſe miſcens varias excitat tragædias. Neſciunt nempe homines, inſaniam eſſe, frigidum & debilem ſtomachum curare velle multi caloris ſpiritu. Neque enim contraria, niſi modicè contrariis curanda. Audivi aliquoties à magnis Principibus, oſtreas melius digeri, ſi non vinum Hiſpanicum, ſed cereviſia illis aſſumptis ſuperbibatur, propterea, quòd in cereviſiâ facilius diſſolvantur, quàm in vino aut malvatico. Diu hæſi dubius, aliam eſſe in œconomiâ corporis noſtri ciborum diſſolutionem ratus, aliamque diſſolutionem artificio inſtitutam. At non adeò illud improbabiliter dictum deprehendi, quòd ab uno contrariorum ad alterum non debeat fieri ſaltus. Siquidem ſi duo carnis fruſtilla lixentur, vino unum, alterum aquâ, hoc molleſcet & coctioni parebit: illud verò vino coctum non item; ſed dureſcet. Unde dilutum aquâ merum, ut antiquis præferri cæpit: ita dolendum, hodierno noſtro ſeculo idipſum in mortalium detrimentum evileſcere cæpiſſe, cùm ſic nocituri ſpiritus frangantur, fæculentiæque rectiùs ad ureteres, mediante lymphâ deducantur, neque tam citò coagulationi ſpiritus vini pareat, ſi ſit temperatus. Notum enim eſt, quam ſubitò coaguletur ſpiritus vini ſubtiliſſimus, correptus à ſpiritu urinæ coagulante, unde ſabulum, coagulationes ſanguinis, calculi, obſtructiones, affectus ſcorbutici, putredines, empyemata & abſceſſus, ſenſuum torpores, motus imbecillitates, & tandem repentina abolitio principum facultatum, quam apoplexiam vocamus. Vinum ergò potens, vinum nocens: vinum temperatum, vinum ſanitati gratum. Dixi modo: à *ſpiritu urinæ coagulante*, ad differentiam *ſpiritus urinæ reſolventis*; Siquidem ex deſtillatione lotii *Helmontio* compertum eſt, *cap.* 3. *de lithiaſi*, lotium debitè putrefactum duplicem edere ſpiritum, coagulantem alterum, alterum reſolventem: & hujus quidem potio-

res in urinâ partes prohibere, ne calculus aut ſabulum generetur: illius verò calculi & ſabuli eſſe productrices. Unde probè diſpiciendum, ne ad Lunæ tincturam, aliarumque rerum eſſentias extrahendas adhibeatur ſpiritus urinæ coagulator; ſed reſolutor: ſiquidem hôc ſpiritus vini, teſte prædicto *Philoſopho per ignem*, non coagulatur §. 33. id quod ſignum eſſe poteſt probati ad Medicinam ſpiritus, dum è contra ille coagulat,& coagulatur, non aliter ac ſilex in oleum reſolutus, (id quod per nitrum feliciter tentavi & per ſpiritum vini perfeci) oleum verò vino maritatum coagulationem in inſtanti facit. Atque hinc procul dubio ortum vocabulum Duelech, apud Paracelſum, quo nomine calculum ſignificare voluit in homine, quia nimirum ex duorum ſummè rectificatorum ſpirituum conſortio naſcitur. Siquidem ſpiritus urinæ apprehendens terram volatilem, procreatam ſemine ac fermento fracido & putreſcente, ſuſcitat occultum adhuc in potentia, vini ſpiritum, urinæ incolam, quibus, tanquam duplici ſexu concurrente, terreus quidam præfatus ſpiritus imbibit prædictum unicum coagulatorem: cujus reciprocationis ergò oritur in agendo amborum connexio penitiſſima: quia congrediuntur ſpiritu-tenus per illorum minima, adeoque coagulator coagulat unico inſtanti ſpiritum vini potentialiter excitum, in putreſcente fermento, cui, cùm fracida maſſa ſuam attribuit materiam, ſimul condenſantur in verum Duelech, monſtrum ſanè, novum hoc aliquid, coagulatum in mediâ aquâ, prout idem philoſophatur *cap*. 4. §.1.

Audire hîc mihi videor nonnullos: multos calculo laborare, qui tamen ſpiritum vini non bibant, imò, qui ne vinum quidem deguſtent, prout in pauperibus & ad quos vini potatio rarò pertingit, id obſervare licet: egregios verò vini potatores nulla ſæpe calculi veſtigia deprehendere. Veriſimile dein non eſſe, in homine ad tantam ſubtilitatem pervenire poſſe ſpiritum ſive urinæ ſive vini, ut inde exiſtant coagulationes. At verò facilis hic datur expeditaque reſponſio, ſi attendatur, *primò:* aquam vitæ non elici ſolùm ex vino, vel fecibus vini: ſatis ſuperque enim notum eſt, quòd ex cereviſiâ ejusque fecibus ſpiritus ardens quoque eliciatur, ut & ex

pane,

pane, pomis, ceraſis, prunis, eſculentis denique & obſoniis omnibus; imò & ex ipsâ farinâ: *deinde* notum eſt, quòd nullibi magis occupata ſit natura, in depurationibus & defæcationibus, ad parandum pro vitæ ſpiritu purum nutrimentum, quàm in corpore humano: unde neque impoſſibile eſt, inprimis, ubi putrefactiones in eodem ſingulares contingunt, ſeparationes quoque ſpirituum fieri, & poſteà coagulationes eorum faciles, ſi ſalina concurrat natura, quâ ſanè abundat ſpiritus urinæ, uti ex ejus deſtillatione apparet: neque ignotum, ſpiritum vini & ipſum ſalſum eſſe, & attactu ſalis tartari pro 16. ſui parte in ſalem commutari, reliquo in aquam verſo, quin &, fermenti contactu ſolo, totum in ſpiritum ſalſum mutari & indolem inflammabilem ex templo amittere: quamvis & ſequens exemplum monſtrabit vel contactu olei nitroſilicei non ſpiritum vini; ſed ipſum etiam vinum coagulationis leges ſubire. Ubi tamen notandum velim, ex *Helmontio, tractatu de Aura vitali*, quòd, etſi cibus & potus in nobis quadantenus putreſcant (nimirum iſta putredo eſt modus atque medium tranſmutandæ rei in rem) in digeſtionibus tamen noſtris, ordinariè per ejuſmodi putrefactionem actionemque fermenti lienaris non educatur ex oleribus, leguminibus, frumentalibus aut pomis ſpiritus aquæ vitæ. Siquidem naturæ noſtræ intentio non eſt ſibi procreare aquam vitæ; ſed ob fermentum aliud longè in nobis in chylum omnia reſolvere. Etſi illud etiam in nobis fieri poſſit mediis quàm plurimis, ſed diſpoſitionibus aliis, & non ordinariè.

Ne ergò quis in dubium vocare poſſit allegatum anteà experimentum, non verebor illud ipſum, propriis manibus elaboratum, hîc publici juris facere. Accipiat itaque, qui volet, nitrum per carbonum contuſorum mixturam accenſum & fixatum, addatq; ei tertiam partem ſilicum contuſorum & ſub cote in cretam fermè redactorum, fundat deinceps mixtam hanc materiam in crucibulo, uſque ferreo cochleari aut inſtrumento alio deprehendat induiſſe purpureum quaſi colorem. Quo facto, effundat materiam in pelvim ex orichalco, ſubitoque eam redigat in pulverem, atque huic pulveri porrò affundat ſpiritum vini, qui intra

n 2 paucos

paucos dies hyacinthi colore tingetur, quo decantato, alium vini ſpiritum affundat, & intra aliquot menſes totam maſſam ſilicum & nitri inveniet reſolutam in oleum, cujus ſi unam alteramque guttam affundat vino, videbit promptam in eo coagulationem, in pulverem, calci haud diſſimilem, & qualem fortè podagrici in ligamentis & articulis ex meraciori & intempeſtivo potu ſibi cumulant.

Videtur cæteroquin podagricorum talis eſſe hiſtoria. Cùm miſeri mortales vel Baccho, vel Venere, vel utroque, aut etiam, inter vitæ principia ſeminalia, in ſui conformatione, ſeminio aliquo ſive ab aſtris, ſive parentibus, contagioq; podagrico hauſto, vel infectos, vel ſucceſſu temporis debilitatos habent ſpiritus, qui dein peregrino fermento facilè auſcultant, & velut corrupti in ſui deditionem inclinant, inprimis ſi dulcedine ineſcati continuent miſeri homines delicatam illam vivendi rationem, ſecundùm illud: *Fiſtula dulce canit volucrem dum decipit auceps*; fit, ut inprimis ſuſcepto acido cauſtico & fermento priori naturæ partis ſuperiori & fortiori, eoque ad membranas, parteſque multùm ſenſiles, utpote, articulos & oſſa, ubi ſeminale & tranſparens eorum gluten maximè viget, delato, magna in microcoſmo humano oriatur alteratio. Tum enim, non aliter, ac cùm intempeſtiva & non ſatis defæcata pluvia, quam mellis appellant, folia pampinea ſive alia contingit, (unde tum contrahuntur & intra ſe, facto utero, vermiculos concipiunt,) ſpiritus provocatæ parti inſitus membranas criſpat, poros contrahit, & quaſi ſe occultaturus ad interiora ſui ſe recipit. Ubi tamen ex vicino hoſte requiem haud inveniens, ſed magis magisq; criſpatis membranis contractus ſuffocationem metuens, deſperabund⁹ velut tandem erumpit fractâ arce in apricum, ut flamma accenſo nitro, & excitato Blas motivo horridum initiò ſpirat frigus, prout in febribus fieri ſolet, ſicque Directori, Altori & Servatori ſuo ſpiritui, nempe influo ſolari explicat tragædiam ſuam & anxietates ſibi ab hoſte peregrino factas, acido utpote rodente & cauſtico, & velut ab eo ſuppetias requirit. Quibus perceptis, ſpiritus influus tumultum excitat, ad opitulandum

ſe ac-

ſe accingit, omne ſuum robur convocat, hoſtem adoritur: unde ſanguinis agitatio, calor & æſtus, & tandem, velut emiſſis ad digladiandum cominus militibus ſuis, ſerum à ſanguine extra vaſa deponit, corroſivoque admiſcet ad diluendum dolorificum illud & internecinum cauſticumque acidum. Hinc ſeditio paululùm mitigatur. Natura enim quotidie in ſui conſervationem intenta eſt, omnique conatu ſemper eliminare ſtudet, quod ejus deſtructionem molitur. His ſic peractis, pedetentim in tumorem attollitur membrum afflictum, eumque interdum pellucidum, & pauca ſubſequitur acerbiorum dolorum quies. Serum enim, cùm ſalſedinem aliquam in ſe contineat, vim habet leniendi & imbuendi acidum. Quemadmodum enim aqua fortis, in quâ argentum ſolutum eſt, idque in tenuiſſimas atomos reduxit, ſi ei affundatur, aqua in quâ ſal communis ſolutus eſt, ſubitò virulentiam & poteſtatem ſuam, quam exercuit in argentum, amittit, dum argentum relinquit, quod anteà afflixerat, idque ſic deſertum præcipitatur in albam cretam: Eâdem quoque ratione ſe res habet in corpore humano, dum peregrino acido immiſcetur ſalſa ſeroſitas è ſanguine aliâs miti depoſita; tum enim vellicare membranas deſinit, & quod in ſe devoraverat aut corruperat alimentum, quaſi præcipitatum deponit ad fundum: unde deinceps tubercula; quia corruptum illud nutrimentum jam aſſimilationi ineptum factum eſt, propterea, quòd deſtituatur humido, niſi tandem per aporrhæam & volatilia reſolventia, ſive etiam appropriata vel ejiciatur, vel diſſolvatur, vel fame enecetur & pereat. Cùm verò aſſimilari nō poſſit, & ſic diſcuſsâ humiditate relinquatur in membro afflicto, recurrentibusque afflictionibus, uti in podagrâ fieri ſolet, augeatur; eroſis tandem à malo cauſtico partibus, erumpit in apricum, inſtarque lapillorum vel cretacei pulveris è tophis & nodis manifeſtatur. Hæc Bacchi Veneriſque & podagricorum hiſtoria, fætus, fructus, quibus tollendis nulla hactenus induſtria valuit, manentibus in ſuâ opinione & luxu mortalibus, licet facilis ad meliorem vitam via ſit in revertentibus ad ſanam mentem.

Rectè ergò *Eccleſiaſticus*: Noli avidus eſſe in omni epulatione,

 & non

& non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad choleram: Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet ad vitam. Neque hoc ſine ratione. Si enim ignis ſuffocatur ſine aëre, ſecundùm aſſertum novi luminis Chymici: Aër verò pro conſervando igne vitali neceſſariò in corpus trahi debet, magnete ſuo proprio, nempe ſimili aëre, miniſtrante diaphragmatis motu. Aër enim aëri & ſal ſali facile junguntur; profectò conſequens eſt: Aëre non ſufficienter per univerſum corpus tracto, atque ſic quoque excrementorum volatiliſationem ubique non procurante, ob nimiam corporis repletionem, & fęcum cumulationem, quæ vino potenti, ut antè demonſtratum, fieri ſolet, paulatim vitæ noſtræ lumen fatiſcere, atque ſic magnete noſtro labefactato, ceſſare quoque attractionem pabuli ignei ſive vitalis.

Experientiâ & oculari demonſtratione res erit certa. Accipe nivem vel aquam pluviam, coque eam tamdiu, donec, ſæpiùs repetitâ novæ aquæ affuſione & evaporatione, maſſa in fundo aheni reſidua maneat, inſtar picis. Picem hanc diſſolve aliâ aquâ pluviâ deſtillatâ, filtraque eam per chartam bibulam, ut habeas puram. Coagula eam denuò, poſitamque in cucurbitâ cum alembico deſtilla, & habebis primò phlegma, deinde ſpiritum, ſed fœtentem. Deſtillatis his, ſi expoſueris maſſam in cucurbitâ reſiduam aëri, protinùs exſeret vim ſuam magneticam, aëremque ſic attrahet, ut præ oculis & in momento iterum madefieri incipiat, & velut aërem viſibiliter coagulet. Hocque toties fiet, repetitis dein deſtillationibus, ut prius, quoties artifici placuerit. At verò, ſi urgeatur ex retortâ igni potentiori maſſa, ut ex eâ evolet ſal volatilis, jam hoc è maſsâ extracto, nulla amplius fiet aëris attractio, indicio, magnetem in nobis eſſe ſalem volatilem, eoque deficiente aut fatuo facto, vitam deficere.

Eſt verò aër totus nil niſi ſal volatilis, ſive mercurius mundanus, qui fixatus penetrabile reddit omne corpus, teſte *Coſmopolitâ, Tract. de Elemento aëris*, imò AER Ales Eſt Rerum, quia ad volatilitatem quoque res deducit, & quia ignis eſt veſtimentum, qui ſulphuris

phuris patria eſt, ſecundùm literas initiales IGNIS, In Gremio Noſtro Ineſt Sulphur, vel in Gremio Nubis Immortale Sulphur. AER quoque Anima Eſt Rerum, cujus ſeminalem poteſtatem dum ſuſcipit AQVA, ut ſperma fiat, AQVA certè verum in ſe continet & eſt Azoth, Quod Velatur Aqua, principium nempe &

Z

finis rerum omnium ſecundùm A - Ω. Hoc enim Azoth nihil

ח

aliud eſt, niſi virtus cæli & elementorum, in terram converſa. TERRA verò, ſecundùm initiales literas, Tuetur Elementa Rerum Roſcidis Alcalibus, ut ſic verificetur, quod dici ſolet, in Sole & Sale ſunt omnia: Ignis & Azoth tibi ſufficiunt. Aër verò hactenus vitalis & ignei ſpiritus uterus eſt, quia, uti dictum, ſalinus ſpiritus eſt & eſt volatilis, ſed quia mixti *ſec. Hollandum* profundo adhæret, vinciturque à pinguedine & oleo aduſtibili, in quo reperitur, quemadmodum vitellus in ovi albumine, ac oleum combuſtibile ex terrâ vivit cum ſale & fæcibus, eſtque ſal ſepultum in imo fæcum olei combuſtibilis & terræ, ideò à terrâ evolare nequit, niſi magnâ vi ignis. *Quod eſt illud Baſilii: dum ait in tractatu de magno Philoſophorum veterum lapide:* Quicunq; hominum ſcire cupit, quid ſit omnia in omnibus, ille telluri adaptet alas ſat magnas, anguſtetque eam, ut ſe elevet & per omnem aëra volitet, etiam in ſummam cæli contignationem, quod Germanâ linguâ ita legitur: Welcher Menſch nun zu wiſſen begehret / was alles in allem iſt / der mache dem Erdboden Flügel / und mache ihm ſehr angſt / daß ſich das Erdreich auffſchwinden und durch alle Lufft fliehen / auch in die höchſte Höhe deß oberſten Himmels erheben muß. Aëre ergò opus: Et ſine Jove nulla ſanitas; nulla vita. Unde & in illo eſt ſpiritus vitalis omnis creaturæ, ut non ſolùm animalia, ſed & mineralia & vegetabilia exinde vivant. Imò, nihil in orbe creſceret, ſi non eſſet vis aëris penetrantis & alterantis, attrahentisque ſecum nutrimentum multiplicativum. Hic nempe eſt ille Monarcha, qui ornare ſolet habitacula ſua, id eſt orbem univerſum, primùm virore lætiſſimo, dein mille variegatis coloribus. Idem experimentum ſuccedit in deſtillatione ſanguinis humani. Optimè itaque conſulerent Medici

dici ægris ſuis, imò omnibus ſanitatem æſtimantibus, ſi illis, Sole Arietem ingreſſo, Taurumque, & inprimis Geminos peragrante, ſuaderent matutinas deambulationes; ſiquidem, eo tempore, copioſiſſimè ſpiritus ille mundanus ab æthere defluit, rerumque omnium reſurrectionem, quæ hyemali tempore fere demortuæ jacebant, procurat. Namque & hoc pacto non ſolùm ob nitroſam aëris ſubſtantiam volatiliſarentur plurima excrementa; ſed & ipſe magnes vegetabilis in nobis confortaretur attracto ſuo ſimili. Ad plurima alia extendere hîc materiam hanc poſſem, niſi me hominum abſterreret malitia, quorum animus eſt, ſemper contradicere veritati. Sed præſtat ſilere. Quid verò paſſim dixerim, judicabunt illi, qui Cimmerias tenebras, ſubminiſtratâ Cleantis lucernâ, ſuperârunt, & ex antro Trophonii educti, in lucem prolati ſunt. Siquidem veritas arcaniſſima Philoſophici operis, innumeris aliâs ambagibus & mendaciis tecta: omnibus mundi nominibus appellitata: raris per libros habita: tamen ſemper adamata: rarioribus per Præceptorem præcepta: nihilominùs non derelicta: rariſſimis per revelationem infuſa, non tamen deſperata, neſcit ſui indagatores deſerere, ſarcaſmis licet undiquaque impetatur. Sapientia in occulto poſita eſt. Sed tempus Deus poſuit tenebris, & univerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis & umbram mortis, quod Lutherus ita vertit: Es wird ja deß Finſtern etwa ein Ende / und jemand findet ja zu letzt den Schiffer tieff verborgen. Sapientia verò non invenitur in terra ſuaviter viventium, uti idem *Hiobus* diſſerit c. 28.

Videbor fortè hîc excitare velle Medicinæ Cultores ad inſuetos hactenus medendi modos, aut medicamina Pergameni temporibus incognita, laboreſque intricatiſſimos & inventu difficiles. Non improbo antiquorum inventa, quorum quàm plurima, temporis injuria hominumque malitiâ, vel interiêre, vel corrupta ſunt. Invaleſcens hominum libido & intemperantia mutavit plurima. Imò, cum aliis ſimplicium virtutibus vel ipſe *Galenus* calcanthum admiſcuit. Quin & ipſe fuit Spagyrus, *l. de Theriacâ ad Piſonem, ubi c. 16. inquit*: Multa ignis commercio meliora redduntur, & latens

rerum

rerum natura in apertum ab igne profertur. Unde & *lib.* 1. *de Antidotis* demonſtravit *c.* 15. Calcitim fieri flavam & ruffam uſtione, cùm anteà eſſet chalcitis candida, ut demonſtret, tincturam ruffam, eamque occultam, in candida chalciti, ignis vi produci ad extra. *Sic Hippocrates*: Aurum operantes tundunt, lavant, molli igne liquant; forti autem non conflatur: ubi verò elaborârunt, ad omnia utuntur. Ob quæ verba admiratur ſolertiam Hippocratéam *Petrus Iohannes Faber lib.* 2. *Secret Chymicorum c.* XI. & quòd myſterium Philoſophorum tegere verbis brevibus, arcanumque ignem nomine ignis mollis prodere voluerit. Quid ergò adeò invehuntur quàm plurimi in artem ſpagyricam, dum ea ne antiquis quidem Medicis, & in quorum fidem vel jurandum cenſerent, ignota & inculta fuit? Si unica eſt natura, quæ tamen in operibus ſuis milleformis eſt, atque cætera omnia ab illâ unicâ matre participant; cur non in matre vires, tanquam in puncto, indagerem? cur centrum dimittendum, & in ſolâ circumferentiâ ambulandum mihi eſſet? Sit verò centrum indagatu & inventu difficile: Attamen difficilia quæ pulchra. Profectò, in centro vita eſt, mors in circumferentiâ. Si ergò morbus omnis vitæ ſucceſſiva eſt deletio, propter elementorum corruptionem; quis non judicabit, vitâ ſolùm opus eſſe ad retinendam vitam, & non illis, quæ in circumferentiâ vitam tegunt & lucem, propterque corruptionem, quibus & illa ſubjacent, pariter & vitam adimere poſſunt. Ut itaque ad centrum clavem quis nanciſcatur omninò allaborandum. Clavis illa Philoſophiæ & Veritatis ſectatorem non minùs informabit, quàm cultelli diſſectorii ſive anatomici ſuos ſectatores. Etſi enim præſtantiſſimum hoc quoque eſt ſtudium, & miram hominis ſtructuram, membrorum conformationem, nexum, qualitatem, figuram, numerum, ſitum aliaque innumera, unde Omnipotentis majeſtas elucet, oculis ſubjicit quærentium, indieſque querentibus nova ſemper obſervantur, atque ſic quaſi impoſſibile videtur ad culmen illius ſtudii perveniri poſſe; quid tamen in cadaveribus obſervamus, niſi abactam vitam? quid invenimus? niſi mortem ejusque fortè cauſas. At in Anatomia ſpagiricâ nil niſi vitam in-

venire licet, utpote, qua ſatis cognitâ, & rejectis per ignem impuritatibus, deficientem vitam vitâ ſanâ reſtaurare poſſumus, id edocti, à ſummo Spargyro Deo, ad cujus operum contemplationem, in Geneſi, unde hæc ars prodiit, aquas ab aquis ſeparamus: aridam manifeſtamus, & ex hâc ignem elicimus, quem deducendo ad lucris claritatem in præſtantiſſimum pharmacum, & in quo omnes naturæ vires latent, arcanâ ratione evehimus, & ſic Solem, Lunam & Jovem antiquorum manifeſtamus, in quibus ſanitas: Jovem inquam, id eſt aërem occultum vitæ cibum: Lunam, id eſt, liquorem vitalem: Solem verò, tanquam calidum nativum & lucem. *Ad ſcribam huc verba, quæ in tractatu de luce naturæ vitaque longâ leguntur:* Certius eſſe nihil poteſt, Solem illum, qui viginti quatuor horarum ſpacio totum orbem circuit, rebus omnibus à naturâ productis vitam influere naturalem. Ergò Sol omnibus ineſt potentiâ & virtute per vitam Solem à Sole genitam. Deinceps, uti Sol idem ſuos influxus ad inferiora mittit per Lunam: haud aliter ignis ille Solaris atque vitalis rerum infundit ſuas virtutes animales, quas à ſuperiore Sole recepit in omnia ſui corporis membra, per ſuam Lunam, id eſt aquam aut liquorem, aut, ſi vis, ſanguinem: Jupiter autem vel aër, qui ventus dicitur, medium tenet inter Solem aut ignem, & Lunam aquam, quo ſine vita medio perſiſtere non poteſt, non magis, quàm extrema ſine ſuis mediis. Sed hæc, uti dixi, per inquiſitionem centri manifeſta fiunt.

Annon ergò ſtultus eſſet, qui, marſupio majoris habito, projiceret margaritas in eo abſconditas, ſervatâ crumenâ? Equidem fateor, feliciùs ſæpe curare mulieres, tutiusque morbos varios tollere uſu crudorum ſimplicium. Quia & antiquior eſt illa curandi methodus, & ens ſpecificum morbis contrarium non poteſt niſi per ignem excitari naturæ convenientem. Quandoquidem plurima medicamina, ex herbis parata, inconvenienti & fortiori igne ſæpe debilitantur, viſque eorum per ineptam extractionem non impetratur: ideò frequentiſſimè deſtillata, extracta, & ſic vocata magiſteria ſine effectu comperiuntur, quia vis morbo contraria vel debilitata vel immutata, vel derelicta ſtetit. Ut neque ſileam,

valdè

valdè caduca interdum in regno animali & vegetabili eſſe elementa, quæ licet facilè ſubiguntur à nobis, citiusq́; centrum manifeſtare poſſunt; levi tamen negotio ab infectis fermentis debellantur & ſuperantur: arctiori verò combinata vinculo in minerali non facilè impreſſam naturam & energeian dimittunt. Hinc rectè *Helmont. in naturâ contrariorum neſcia*: Diſcant prius herbarum ſuccos, itemq; jura carnium abſq; ſale, aceto, melle, ſaccharo & igne condire, atq; à putredine per annos vindicare. Tum demum ſpernent facilè ſtillatitias aquas herbarum nõ minùs, quàm ſyrupos. Aſt, ubi morbus in gradum ſurrexit, nupſitque intimè jacenti naturæ, altiora exiguntur remedia, quàm quæ ſponte natura produxit.

Atque hinc factum eſt, ut in morbo gallico hydrargyrum cum antiquis adhucdum Neoterici cum ſucceſſu adhibeant, neque plurima antimoniata, ſulphurea, vitriolata, nitroſa faſtidiant. Contumaciſſimi enim morbi fortiora & in virtutibus ſuis exaltata requirunt remedia, quæ non ſuperficietenus impuritates adoriantur; ſed radicem morborum, aliâs incurabilium, attingant. Sed hos, uti dictum, ſeculi pejoris mores perperêre.

Utinam itaque non deſueviſſet mortalium conſuetudo tenuiter vivere! profectò, haud futuri eſſent tot morbi, & tot mortes ante diem conſtitutæ à Deo mortis. Siquidem auſim dicere: initium morbi quodcunque abſtinentiâ jugulari poſſe. Neque enim conſilium, quod *in tractatu de luce naturæ vitâque longâ* legitur, adeò negligendum. Suadetur verò ibidem, ut, ſi quis, ob exceſſum cibi vel potus, oppilationem ſtomachi pateretur, ignisque naturalis vires debilitâſſet, à pòtu ciboque tantiſper abſtinere vellet, donec alios ipſamet ſagax natura appetere inciperet. Ipſam enim ſibimet ipſi medicum potiſſimum & præcipuum: ſin autem hoc tardius æquo fieret, paucis admodùm ab initio ad ſuſtentationem ignis vitalis uteretur, iisque præſertim, quæ ſuo temperamento Jovem maximè referrent. Sed methodus hæc, licet Hippocratis genio maximè conveniat; paucos tamen habet aſſeclas. Fuit nempe quidam è mortalium numero, qui per ſexaginta annos inquiſivit hominem abſtemium præmaturè mortuum; ſed non in-

venit, plurimos nactus, qui ex oppletione in ætatis fervore extincti fuêre. *Brachmanes* inde ob frugalitatem longævi facti: & quæ nondum luxuriem experta fuit primorum Patrum ætas, ad quam, obſecro vos, ætatem aſcendit? *Hippocrates* Medicorum Princeps, quam aliis præcepit inediam, in ſe incredibili pertinaciâ obſervavit, unde quintum ſupra centeſimum attigit. *Samius ſenex* jam quinquageſimum annum natus, cùm uti cœpiſſet aceto ſcilliſtico, ad centeſimum decimum ſeptimum vitam produxit integer, & nulla unquam adversâ valetudine tentatus fuit, ſed non omiſsâ diæta. *Galenus* centum & viginti explevit annos in hâc vitâ. Si quæritis, quâ ratione? In promptu cauſa eſt: Nihil unquam hic crudi, aut fructuum deguſtavit: de mensâ nunquam ſatur ſurrexit. Sed ætas Parentum, pejor avis, tulit nos pejores, mox progeniem vitioſiorem daturos. Siquidem, uti ſemen, ex corruptis elementis productum, durabile eſſe non poteſt, quæ verò corruptio per elementum aquæ potiſſimùm fit, quia omnis corruptio fit in humido: ita quoque ex corrupto ſemine ſemen aliud corruptum vix durabile eſſe poterit; imò tantò minùs durabile, quantò elementum humidum ex continuo ebrietatis diluvio ferocius incrementum ſumet. Sic nimirum noſtrates temerè gulâ & inordinata vitâ ad corruptionem feſtinant, ignorantes: vitam conſiſtere in elementorum puritate & ſi virtutibus in æqualitate conjuncta ſint, qualia in ſe continet Philoſophorum lapis: unde ille incorruptus eſt, quemadmodum & aurum. Conſuetudo nempe eſt altera natura, & uti M. Alexander in inceſſu & moribus vix carere potuit Pædagogi ſui vitiis: ita neque mortalium ſeges imbribus adſueta ebrietatis, vix carebit hujus productis. Si tenui ratione vivendi uterentur mortales, an exiſtimatis in pretio futuros Medicos? Imò, ſibi ipſi ſic quiſque futurus eſſet Medicus, dum fugeret fugienda, & frueretur fruendis. Sed audiuntur podagrici, qui bibere malunt generosè, & patienter deinde ſuſtinere, quàm abſtinere. Pluresque ideò in urbibus mortes, quàm in agris, ubi non adeò lautè, ſed tenuiter vivitur & laboratur. Poſſent illi convenienti parcimoniâ ciborum plus efficere, quàm omni pellis laceratione,

aut

aut truculentâ ignium ambuſtione, vel lignorum barbararumque radicum potu. Surdis narratur fabula. Malunt plures poſt lautas epulas tot deglutire catapotia, ſive pilulas: tot lambere ſyrupos: tot ſecare venas: tot haurire pharmaca, & penè tota evacuare pharmacopolia, quàm ſine Medico ſolâ abſtinentiâ curari. *Sinarum* inde *populi in Nanking* longè vivaciores nobis ſunt. Et Medici ibidem venæſectionem graviſſimum meritò autumant errorem; unde jejunio potiùs, aliisque refrigerantibus ſanguinem ad debitam temperiem reducunt, quàm ſanguinis depletione, dicuntque: non ideò, quòd ferveat in ollâ, effundendum juſculum; ſed ſi compeſcere velis, ignem ſubducendum. Intereà, qui de venæſectionibus multa commentantur, ab unico animali Hippopotamo, (dum alia hoc longè vivaciora ſine laceratâ per ſpinas & vepres cute, & ſic educto tanquam per cucurbitas ſcarificatas ſanguine, inveniuntur animantia) edocti, videant & judicent, annon ſanguis ſit humor ille, in quo defertur ſpiritus vitalis, ad omnes omninò corporis particulas omnibus momentis deferendus? & annon ante phlebotomiam inventam per aliquot mille annos homines ſalubriori conſtitutione vitam exegerint, noſtrâque hâc ætate, verbis utar *Guilielmi Mennens Antuerpiatis in aureo ſuo vellere*, qui venarum ſectionem negligunt, ut ruſtici, Weſtphali & alii, non ſint vegetio ſaniori & robuſtiori corpore, vitamque ad cervorum penè ætatem prorogent. Nemo eſt, qui hæc non perſpiciat: ſuntque mihi decrepitæ ætatis ſenes, octuagenarii & ultrà noti, qui nunquam venæſectionibus uſi ſunt, vegetiores aliis quinquagenariis. Nempe, vitales non minuêre ſpiritus, calidumque innatum & humidum radicale unâ cum ſanguine non emiſerunt. Cujus me docuit certitudinem vitis aliæque arbores, quæ ad radices vulneratæ, emiſſoque ſucco in naturam ſuam convertendo, multùm deperdidére. Verùm enimverò, exanimationes hodie in uſu ſunt, & educi conſuevit ſanguis, ad libras integras, ſæpe ad deliquium, etiam in ipſis acidulis nonnunquam, ubi paucæ ſic dictæ indicationes occurrunt, ad eam, ſecundùm *Galenum* inſtituendum. Refectio animi & converſatio, ut & victus tenuioris ratio & exactior

diæta, quam juxta deambulationem injungunt melioris induſtriæ Medici ad acidulas properantibus, in cauſâ eſt, cur plurimi in acidulis agentes curentur, qui domi vix obtemperâſſent. Si abſtinentia in vigore eſſet, ubi invenirentur podagrici? ubi chiragrici? ubi arthritici? Refert *Ludovicus Granatenſis*: Virum quendam, in Italiâ, chiragrâ & podagrâ mirè divexatum, quin & cæterorum omnium membrorum uſu deſtitutum, ab inſidiatore hoſte in carcerem conjectum fuiſſe. Victum illi quotidie parciſſimam panis bucellam & aliquid tepidæ fœtentis aquæ porrectum. Sed poſt exactos quatuor annos, mutatis rebus, ex ergaſtulo ſanum, ſoſpitem, vegetum, ſine chiragrâ, ſine podagrâ, colore vultus commendabili emiſſum. Qui volet, ex Schenkio, Sennerto & aliis alia quærat, & inveniet: Medicinam optimam eſſe abſtinentiam, atque in ſicco habitare animam ſapientem. Quò enim quis plus detrahet corpori, tantò plus adjiciet ſpiritui, id quod in volatiliſatione ſalium, tàm communis quàm aliorum opus eſt. Ubi enim terrena potentia eſt ſuperior, ibi, ob pondus terræ excedens, ſpiritualis natura vix obtineri poteſt, niſi prius reductio fiat in aquam, & ex hâc in aërem, ſicque cum hoc ignis vincat terræ potentiam, aliâs vix ſuperabilem.

Magni hîc rem dixi momenti. Grave corpus nunquam volabit ſine alis: alas ſubminiſtrat detractio ciborum. Sic itur ad cælum: ſic reditur ad paradiſum, unde nos ejecit luxuries. Vigor corporis, languor animi; neque tamen è contra: vigor animi languor corporis; ſiquidem animi vigore & corpus viget. Neque enim corpus ſaginatum & quotidie optimo nutrimento in athleticum habitum evectum vigore præditũ dici poteſt; ſed cui mens imperat, ut corpus ei tanquam ſervus obedire diſcat, ſecus animus ſub imperium actus cum ſervo mediis ſubmergitur undis. Ubi enim plus ſpiritus, ibi plus lucis: ubi plus lucis, ibi plus vitæ. Imò, ibi res eſt chara, res rara & res præclara. Abſtinentia enim eſt res chara pietati & Deo: res chara menti & rationi: res chara corpori actionibusque omnibus. Res rara magnatibus & aulis: res rara nobilibus & doctis: res rara plebi & vulgo: Res denique præclara,

quia

quia claros reddit oculos & intellectum, auroramque orientem ſemper videre facit, quam ebrioſi, propterea, quòd in multam lucem dormiunt, rariſſimè aut nunquam conſpiciunt, ſicque deſtituuntur parte temporis aut diei, quæ virium cæli profuſiſſima eſt, inſervire parata doctis pariter & indoctis. Unde proverbium Latinorum: Aurora Muſis amica: Et Germanorum: Die Morgen-Stund hat Gold im Mund.

Proſtant apud Hiſtoricos rejuveneſcentiæ exempla. Natura beneficium præſtat venenoſo ſerpenti,

Ut poſitis novus exuviis nitidusq; juventâ
Lubrica convolvat ſublato pectore terga,

prout *Maro docet l.* 2. *Æneid.* Divino Hymnographo aquila renovari dicitur. Sunt, qui putant, Medeam Æſonem rejuveneſcere feciſſe, herbis Medicis, dum.

——— Barba, comæq;,
Canitie poſitâ, nigrum rapuére colorem.

Petrus Maffeus, *Hiſtoriæ Indicæ l.* 11. Virum Cradezani quartam hominum ætatem in optimâ valetudine viventem ter ſenuiſſe, tertióque rediiſſe ad florentem ætatem: tres uxores ſenio confectas ſepeliviſſe: filiam nepotesque habuiſſe nonagenarios: ejus regni 18. reges ſibi ſuccedentes vidiſſe. Noſtri temporis hiſtoriam qui deſiderat, legat *Dn. Ioh. Petri Lotichii*, Viri, de Medicinâ & Hiſtoriis hujus temporis meritiſſimi, olim Soceri mei, quem honoris causâ hîc meritò introduco, obſervandiſſimi, nunc ἐν ἁγίοις *Obſerv. Med. lib.* 4. *obſ.* 3. In cauſas rejuveneſcentiæ inquirant, qui voluerint, variasque pro lubitu adducant. Mihi veriſimile videtur: idoneam abſtinentiam, uti vitæ longæ patrona eſt, & rejuveneſcentiæ idoneam & primam eſſe poſſe cauſam. Abſtinentia ab ingluvie vigorem addit animæ, quæ in corpus ab ingluvie imperium amiſit, ut imperare denuò poſſit corpori, idque tantò vegetius & alacrius reddere. Abſtinentia in vigore & flore pulchritudinis conſervavit *Danielem* cum ſociis. *Moſes* & *Elias* ad quadrageſimum diem jejunium protraxêre. Unde illi ſplendebat facies, purificato jam corpore: & iſte levi & igneo curru ſubvectus eſt. Et etſi hiſce in exemplis

plis aliquid extraordinarii deprehendatur; non tamen ſine cõnſideratione ipſorum abſtinentia dimittenda. Siquidem & divino favore & perſpicaci prudentiâ, quâ homo appetitus corporis moderatur, corpus ad ſpiritus velut ſymbolum educatur. Quàmplurima quidem in aprico ſunt remedia, quibus alia animantia bruta defectibus ſuis medentur, ut vulneratæ capræ Cretenſes dictamno: cervæ, paulò ante partum, herbâ quæ ſeſelis dicitur. Corvi quercu: bufones ab araneis icti plantagine. At in homine, mente donato, nihil præſtantius abſtinentiâ, ut propterea multi medicamenta extrinſeca renuerint, ſicut *de Aſclepiade Plinius* commemorat: qui omnibus medicamentis abjectis, & totâ Medicinâ ad caſum revocatâ, quinque res maximè communium auxiliorum profeſſus eſt: abſtinentiam cibi, & vini, frictionem corporis, ambulationes geſtationesque, utpote quæ unusquiſque ſibi præſtare poſſit. Atque hinc *Plato* videns pericula medentium: Morbi inquit, *in Timæo* (niſi periculoſiſſimi ſint) pharmacis irritandi non ſunt; ſed diligentiâ corrigendi & gubernandi, prout cuique datur otium: ideòque motum ſummè laudat. Cæterùm, uti omnia ſunt facta, in numero, pondere & menſurâ, à ſapientiſſimo Creatore: ita quoque in tantum abſtinendum, in quantum id harmonia corporis & mentis requirit. Magna enim hic prudentiæ indago exigitur, ut veluti bonus Muſicus trahat & aptet quisque chordas omnes, juſto modulamine, ne plus aut minùs quam deceat, tenſis, conſonantias potiùs abducat, quàm adducat. Addo alterum rejuveneſcentiæ remedium, deambulationes, Aurorâ, unde aurum nomen mutuâſſe ſuum videtur, Phæbi præambulâ, in cælo comparente.

Namque vigil nitido quando patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena roſarum
Atria, diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer & cæli ſtatione noviſſimus exit,

Tum ſuccedentes ſtatim Solis equi, velut ambroſiæ ſucco ſaturi, *Naſonis* verbis utor, nectar ſuum copioſè fundunt, præcipuè primis à menſibus anni, materiam inquam, unde aurum generatur in terræ cavernis; id eſt, humiditatem roridam, quæ in terræ matricibus

deco-

decoquitur in groſſitiem, ut inde evadat argentum vivum, quod ex pinguedine terræ ſuum quoque ſulphur nactum, ſi purum omninò eſt, decoquitur continuo calore in aurum. Imò *Borellus* ait: auri arenam roris guttis adhærentibus nutriri. Et rorem illum coctione longè ab hinc nigrum, albiſſimum & citrinum reddi. Quod ſi itaque, aureâ Aurorâ ſurgente, Phæboque ſuccedente, & cubile ſuum linquente, tanta ſuo tempore cæleſtis benedictionis copia deſuper mundò inferiori communicatur, auri inprimis rorida materia, quæ & Iridis tempore obſervanda: aurum verò in ſe aliquam habet virtutem, rejuveneſcentiam procurandi; quis non & matutinas ſub auroræ ortum deambulationes, cælo favente, adderet priori cauſæ rejuveneſcentiæ. Eſſe verò talem vim in auro, confirmat *Paracelſus*, lib. 2. *Manualis ſui*, dum ſic ſcribit: Factum eſt temporibus meis, in Alemaniâ, ut quidam Alchimiſta faceret ſpiritum vini, & cum hoc aurum potabile. Et cum illa medicina fecit ſe quidam Alchimiſta 50. annorum in formâ 20. annorum, tam in fortitudine, quàm in pulchritudine. Capilli ceciderunt. Dentes perdebat & omnia rurſus creſcebant. Quo in loco & alia adducit remedia, inprimis aliquod ex auri mercurio paratum. Neque ſine conſideratione eſt, quod circa finem libri primi, ſui manualis, ſcribit: Ex Candida, auro foliato, perlis orientalibus & Rhabarbaro ſimul tritis ſummam parari contra lepram medicinam. Candidam verò parandam eſſe docet, ex mercurialis, & ſacchari partibus æqualib⁹ miſtis ad 9. dies: pòſt in oleum deſtillatis: & oleum quidē illud rejuveneſcentiam in facie procurare, etſi homo ſit centum annorum, ſi de eo quotidie bibatur: item epilepſiam curare & aſthma, nervosq; reſtituere & contracturam abigere, neq; admittere, ut homo ſit triſtis. Fortè verò Candidam appellat ob ſaccharum: dum verò aurum admiſcet & perlas, pro robore & humido conſervando toti⁹; mihi non incongruum eſſe videtur, ſi quis continuò utatur auro in liquorē reſoluto, vel tincturâ ex auro paratâ.

Cùm verò varii ejus tincturæ ſive eſſentiæ aureæ parandæ modi ſint, ptæter eos, quorum mentionem fecimus, in tractatu de Auro, Saccharo & Spiritu vini; non minor videtur deberi laus illi,

quæ beneficio mellis paratur. Siquidem in melle quoq; magna vis latet, dicitque *Aldrovandus*: neminem infirmari facile, qui quotidie horâ ante paſtum melle utatur, *lib.1. de inſectis*, ubi latè perſequitur hiſtoriam mellis, ejusque ad omnes morbos fere utilitatem longo ſemone pertexit. Quo pacto autem illa parari debeat, facilè quilibet judicare poteſt, qui novit, vel ex *Mizaldo*: Favum mellis cum totâ ſubſtantia cum aqua vitæ rectificatiſſima digeſtum adusque reſolutionem ſui, aquamq; inde prolectam, rectificatamq;, & novo favo affuſam, iterumque digeſtam & deſtillatam, & hoc aliquoties, earum eſſe virium, ut aurum in liquorem reſolvere poſſit. Id quod etiam de Manna aſſeveratur. Dum ergò auro vis renovativa adſcribitur à *Paracelſo*, quis, ſi mellis beneficio recludatur, aut hoc per digeſtionem in ſummam puritatem evehatur, beneficio circulati, non & vim eam adſcriberet illis? Eſt enim in melle cæleſtis vis & naturæ potentia inenarrabilis, cùm à putrefactione exanima corpora & viva mirè cuſtodiat & in æternitatem proroget. Hinc vel odor mellis *Democritum* morti vicinum ſervavit, donec Teſmophoria Cereris ſacra finirentur. Et vita apibus longiſſima teſte prænominato *Portâ*. Mella verò ſint ab apibus collecta in locis montanis ſalubribus, ſerpillo, thymo & rore marino refertis.

De auro verò potabili, aut ejus tinctura, hic notandum judico: reperiri nonnullos, qui affundant aquam ex argillis quibusdam aëre imprægnatis deſtillatam auri foliis, ut per aliquod tempus digeſtione ea reddatur rubea, ſine tamen auri reſolutione, ejusque coloris diminutione, reſiduamque poſt aquæ abſtractionem rubeam mellaginem extrahere ſpiritibus vini, atque ſic deinceps hoc compoſitum pro tincturâ auri venditare. Imponere verò hos viris credulis, omnique plebi, exinde manifeſtum eſt, quòd vera Solis tinctura nunquam fieri poſſit, ſine ejus recluſione, colorisque Solaris extractione, remanente corpore albo & mortuo. Namque & ipſe reperi, cùm aliquando deſtillarem ex terrâ Saturninâ ſpiritum, eundem ultrò, poſt breve tempus, rubicundiſſimam tincturam, ſine additione Solis, induiſſe, cùm anteà eſſet vel margaritâ

clarior. Provenit nempe ille color à digeſtione, quam tempus promovet, & ſalium extraverſione. Ut proinde rectè ſcripſerit Autor Fili Ariadnæi: Es ſind ihrer viel/die bald die Eſſentias der Letten/ bald deß Kupffers / Eiſens und Weinſteins / öffters nur ein ſchlecht von der Natur gefallenes Regenwäſſeriges Menſtruum, ſo auff einem Goldkalch geſtanden / und doch nichts extrahiret, und per ſe, vi putrefactionis roht worden/ vor ein aurum potabile außſchreyen / und umb groſſes Geld den Leuten anhencken / da man/ ſo es zur proba kompt / hernach fein im Außkehricht findet/ was ſolche extractiones vor einen fixen ſolariſchen Sulphur in ſich halten. Sed mundus vult decipi; plusque ſæpe tribuitur Agyrtis, non ſolùm plebis, ſed & magnatum animos oculosque ſeſquipedalibus verbis faſcinantibus, quàm veritati. Eſto verò, ejuſmodi medicinam ob menſtrui ſalisque extraverſi conditionem, aut fidem facilè credentium, plurimis prodeſſe; non tamen auri potabilis nomine, aut tincturæ Solaris encomio inſignienda, dum aurum ab ipſo nihil patitur, immuneque ex lavacro illo exit. Sed ſatis de auro.

Commendat verò etiam ex herbis *Paracelſus*, Meliſſam & Valerianam, quarum quinta procul dubio eſſentia ſæpiùs ſumpta rejuveneſcentiam procurabit. Ego hîc nolo omittere Ellebori nigri folia, de quibꝰ grandia & vix audita ſcribere poſſem. Sunt enim Ellebori folia, folia tam mirè decantatæ Dauræ, *de quâ Paracelſus in tractatu de vitâ longâ*, cujusq; ego virtutes in me ſtupendo miraculo expertus ſum. Sufficiat me hîc ſubindicaſſe ejus nomen, neque enim tantum κειμήλιον diutius mundo invidere volo, quod hactenus obliteratum eſt oblivione apud plurimos. Compoſitionem ejus qui amat, conſulat prædictum Spagyrum: qui verò eâ ſimpliciter aut cum ſaccharo ſolùm ubi voluerit, & hoc ſine noxa præſtabit: Conſulatur & ejus *Manuale lib.* 2. Sed de eâ in ſequentibus plura.

Ad renovationem redeo. Fortè inquis: renovatio non promittit longævitatem vitæ. Multis ſiquidem renaſcuntur dentes, qui tamen illo aut ſubſequenti anno intereunt. Renovantur ſingulis annis arbores, in ſuis frondibus; neque tamen ideò pyrus lon-

gioris vitæ, quàm Cedrus, prout idem argumentum proponit *Helmontius, in Arcanis Paracelſi.* At verò, quod homines renovatos concernit, in illis certé renovatio magnæ depurationis ſignum fuit, fieriquè facilè potuit, ut illi novo ſe impuritatis inquinamento tantò citiùs deinceps à ſolio ſanitatis dejecerint, quò feliciùs illud aſſecuti fuêre. Intereà Cervus ſe renovans ſingulis annis longævus eſt. Unde non contemnenda ex Cervo facta medicamina. Ut enim jam ſileam, ex Cervo fuſco medicamina parari contra melancholiam, & quia ingenioſus eſt, ad ingenium valere: ob purgationem quam habet poſt partum, ad menſtrua: ad febres, quia febre caret: & quia venenis paſcitur, contra venena: & quia magno corde eſt, ad cordis pollere vitia, & quia citò parit ad partus facilitatem commendari, imò & ad cutis mutationem, quia pilos mutat, quæ hinc inde ſparſim tradit, *Ioh. Baptiſta Porta, in ſuis libris phytognomicis*; dicam ſolùm, non leve ad vitam longam & renovationem porrigere indicium, quia cornua rènovat & longævus eſt. Dicunt verò Cervum eſu ſerpentum renovari. Et novit quaſdam principes fæminas *Plinius*, quæ omnibus diebus cervi carnibus veſci ſolitę longo ævo febribus caruiſſent, unde & carnes cervi præcipuè juvenis ad longitudinem vitæ pollent. Ego hoc addo: præſtantius ex Cervi Cornibus vix impetratum iri remedium, quàm ſi ſal ejus volatile oleumque & ſpiritus conjungantur, & beneficio ſpiritus vini in formâ rubicundi ſpiritus aſcendant ſimul unita per alembicum. Habet enim ſal Cornu Cervi ſe inſtar ſpiritus microcoſmici coagulati, vel ſalis illi⁹, qui in arteriis oberrat, & unde vita: Oleum verò inſtar ſanguinis craſſi & venoſi: Spiritus verò ſale adhuc turgidus, arterioſi: & ſpiritus vini inflammabilis ad modum bilioſi fermenti. Uti ergò oleum non miſcetur intimè ſpiritui vini, niſi medio ſalis Cornu Cervi; ſic neq; ſanguis venoſus commodè transibit in arterioſum, niſi beneficio ſalis microcoſmici, per ſpiritum fermentatorem, unde tum illa ſubflava volatilis & vitalis ſanguinis rubedo. Accipe ergò; quisquis es hujus ſecreti amator ſal volale Cornu Cervi puriſſimum, atque hoc impaſta cum oleo Cornu Cervi, & paulò pòſt adde ſpiritum vini. Hinc moderato calore

evocà

evoca è cucurbita tria illa, & roſeum, qualis eſt arterioſus ſanguis, habebis ſpiritum, ſale prægnantem & ſic oleum in ſpiritum redactum. Si verò quippiam reſidui fortè in cucurbitâ relinquetur; novo ſale id impaſta & ſpiritu vini, & ad novum volatilitatis gradum aſcendent reliqua. Quæ ſanè encheiria, uti ſatis apprimè mutationem ſanguinis venoſi groſſi & maximam partem fixi in arterioſum, & ejus, qui abhoc in venas regreditur, de novo circulandi & volatiliſandi modum ob oculos ponit: Ita vel hoc ipſo medicamine, microcoſmi aliquod compendium, & ipſum quaſi vitalem ſive arterioſum ſanguinem, ſive ſpiritum repræſentante & continente, quis non ſibi magnum in vitæ renovationem & conſervationem promitteret remedium? Uti enim ſine mercurio Philoſophorum nemo ab auro tincturam eliciet, aut in ſpiritualem ipſum mutabit naturam: ita neque ſine hoc artificio, quod in corpore natura patrat nullus erit ſpiritus vitalis: nullus aureus imber: nulla fontina aurea: nullus orbis aureus: nullus ſanguis arterioſus: nulla denique vita. Sic ergò vitam vitâ reſtaurare licet.

Poſt Cervum longævæ ſunt quoque nonnullæ arbores, & imprimis Cedrus, arbos corruptionis expers, de quâ, tanquan arboris vitæ ſuccedaneâ, inſignia prodidit præmemoratus *Philoſophus*, *lib. de Arbore vitæ*: quæ huc traducere nolo. Addam ſaltem, quæ ille vel omiſit, vel nondum invenit. Scribit *Iohannes Baptiſta Porta l.* 5. *phytognomiæ c.* 1. Cedrum maximè æternam putari, idque claro de omnibus materiis judicio, in templo *Dianæ Epheſiæ*. Hoc enim, cùm, totâ Aſiâ extruente, quadringentis annis peractum ſit, convenit tectum ejus eſſe è Cedrinis trabibus. Addit: Memorabile & *Vticæ* templum Apollinis, ubi Numidicarum Cedrorum trabes durant, ita, ut poſitæ fuêre, à primâ ejus origine, annis mille centum octoginta octo. Et quia materia ejus æterna erat, ſimulacra Deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus eſt *Romæ* in delubro Apollo Soſianus, Seleucia advectus. Et *Tripoli, Syriæ* civitate, in radicibus Libani montis ſita, in cacumine adhuc durant, in quincuncem, Cedri, Salomonis manu plantatæ. Libri, qui ejus oleo perfunduntur, à tineis non attinguntur. *Numæ* libros repertos poſt

annos 535. Cedratos fuiſſe, memorant: propterea arbitrarer, tineas non attigiſſe, in quibus ſcripta erant Philoſophiæ Pythagoricæ arcana. Ob hanc materiæ æternitatem, *Pythagoras* monebat: Deos honorandos Cedro, Lauru, Cupreſſo, Quercu & Myrto, uti habetur ex *Iamblicho*. Cedriæ vim tradit *Dioſcorides*, quòd defuncta corpora conſervet, ex qua causa mortuorum vitam aliqui eam appellavêre. Non itaque ſine ratione ex Cedro medicamentum petendum duxit ad vitam longam, cùm ipſa mori neſciat, & omnis corruptionis expers ſit, cujus præparationem verò per liquorem *Alcaheſt* docuit. Cæterum, cùm ex Syria & Libani montis vertice difficulter petatur arbos iſta. Hinc de ſuccedanea planta meritò ſoliciti eſſe poſſumus, quam ego, pietate motus, libenter hîc revelo, dum adfirmare non dubito: eſſe eam Juniperum, de qua idem *Baptiſta Porta, l. 3. phytognomiæ, c.* 39. quòd Cedri formam & vires habeat, dum ait: Juniperi & Cedri non diſpar forma, & præcipuè in baccis, ad amolienda venenatorum animalium nocumenta: tuſſi, leproſis ruptis & convulſis auxiliantur. *Lib. verò* 5. *c.* 1. *ſic ſcribit:* Junipero eadem virtus, quæ Cedro, & ejus medulla ſolidior, quàm Cedrus. In Hiſpania *Sagunti*, ajunt, templum Dianæ à Zazintho advectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Trojæ, ut auctor eſt *Bochus*, infraque oppidum id haberi, cui pepercit religione inductus *Hannibal*, Juniperi trabibus etiam nunc durantibus; ubi & de Cupreſſu non abſimilia tradit. Ceterùm, approbat & confirmat hanc meam de Junipero opinionem, vis ejus contra Lepram. Tradunt enim: Leproſum quendam ſingulis diebus manè 9. grana Juniperi aſſumſiſſe & à Lepra immunem tandam evaſiſſe. In quam rem quoque videatur. *Theophraſt. Paracelſ. l.* 4. *in Archidoxis* & *Medulla deſtillatoria Cunradi Khunrad. art.* 1. *tract.* 20. Siquidem hujus plantæ vires nimium, quantum ibi extolluntur! neque myſterio carere nonnulli ajunt, in qualibet Juniperi bacca reperiri tres lapides triangulares. Haud itaque dubiè credendum *Helmontio ſcribenti, c.* 6. *de Febrib.* Quòd ſi, poſt deſtillationem aquæ & olei eſſentialis, itemque aquæ ardentis, reſiduæ baccæ per ſetaceum transcolatæ coquantur in electuarium, hoc ſit ſolutivum omnibus Of-

ficina-

ficinarum compoſitis prælucens. In modo ſolùm præparandi lignum Juniperinum ad vitam longam, ſecundùm *Helmontii* inventum difficultas, ob paucitatem eorum, quibus liquoris Alcaheſt compoſitio cognita. Quod ſi verò ſunt, qui ejus conſtructionem noverunt, atque ignem gehennæ debitè admovere poſſunt, illi experiantur in Junipero, meo monitu, quod in Cedro, ob raritatem ejus, ipſis denegatum eſt. Dicitur enim Juniperus, quaſi juniores pariens: Germanis verò **Wachholder / oder Weckolter** / quaſi **Wachſamhalter / oder Weckalter / oder Wackeralter.** Nunquam enim juniperus, qui non habeat grana virida juxta cum maturis nigris, ad modum Cedri, indicio, nunquam ipſi deficere humidum radicale cum ſuo calido. Sic in Junipero tempore Maij invenitur ejus flos & eſt pulvis niger, qui cum æquali portione cum flore Cynosbati, in vitro poſitus & addeſtillandum in pane, convertitur in oleum, quod ſec. *Paracelſum* ſuper omnem materiam (naturam) ſummum eſt arcanum ad ſervandum ſenes. Gummi ejus laudatur ad quartanam. Cæteri verò dextrè adhibeant Tartarum, & ſuo labore dignam quoque adipiſcentur mercedem, uti idem monet *Helmontius.*

Audio jam nonnullos: dubiam eſſe renovationem: fruſtrà eam quæri ab hominibus: ſchema ſolùm eſſe eam & palliationem ſenectutis, non veram juvenilium virium reſtitutionem? Hâc enim datâ ſecuturum: hominem in æternum per artem vivere poſſe, quod in *viridario ſuo Mendoza* pro ſuæ opinionis ſtabilimento adducit. At verò, uti in præcedentibus per exempla hujus opinionis contrarium apparet, quorum ſimilia & ipſe *Mendoza* adducit: ita non verebor quoque huc adducere integram hiſtoriam, quam ex relatione Illuſtriſſimi Domini ſui conſignavit *præmemoratus D. Lotichius*: l. ſuprà citato. Erat Vir, *inquit ille*, octogenario etiam major, qui priori conjugi defunctæ aliam, & quidem juvenculam, annorum, ſi bene memini, viginti quinque, ſuperinduceret: hic quidem amoris, illa verò pecuniæ & lucri causâ, nubens. Cùm itaque ambo per annum in conjugio convixiſſent, Vir, & quidem valdè ſenex è gravi periculoſoq; morbo affigitur lecto, de eju-

de ejuſce reſtitutione deſperantibus penè omnibus. Tandem, cùm ex eo emerſurus eſſe videretur, ſolùm non comam capitis, imò verò barbæ decus, tametſi caneſcentis, per defluvium (prout haud raro in morbis epidemicis capillos cadere, barbæ verò caſum rarius accidiſſe, obſervare eſt) deperdit, tuberi, ſicut ajunt ſimilimus. Epidermis etiam (quod aliâs quoque notavi) totius decidit. Intereà (quod admiratione non caret) ſenex ille novam comam, barbamq; novam, eamque non canam, albamque, ſed fulvi aut flavi coloris, tanquam rejuveneſcens adipiſcitur: color faciei cutisque reliquæ evadit floridus: corpus omne, antè è morboſo iſto ſenio, elanguidum ejuſdemque vires, tanto robore atque incremento confirmantur, ut verè è ſene, veriusque, quàm fallax iſta Ovidiana Medea recoxit Æſacum, juvenis, inſtar anguis alicujus evaſiſſe ſenectamque omnem depoſuiſſe tantùm non videretur; ſed reipsâ exiſteret: veritatem rei eventu comprobante. Convixit enim inſuper aliquot per annos mulierculæ juvenculæ ipſe tanquam juvenculus, & præterquàm, quòd diſtinctos numero filios procreavit deinceps, tam libidinoſus etiam fortisque ea parte fuiſſe dicitur, quâ viri ſumus, ut mox Achillem æquipararet, uxorique vix ferendus, etiam *Proteſilao*, quod ajunt, exhiberet ſe gratioſiorem. Hactenus *præfatus honorandus Dominus Socer meus, nunc inter Divos, D. Lotichius.*

Ubi verò ſimul quæſtiones inſtituit, 1. quæ ratio fuerit iſtius rejuveneſcentiæ, tantumque non barbæ flaveſcentis, canis deperditis, quàm totius corporis novo colore novoque rubore effloreſcentis? 2. maximè verò, unde illa in opere uxorio, præſertim, malâ hâc ætate, incredibilis & excedens fortitudo? 3. & an certis fors, licet inſcius, herbis remediisque, ſenectutem tollentibus, aut differentibus, is uſus ſit? quomodò aliquando ſibi relatum meminerit, *Iohannem Matthæum Wakerum à* Wackenfelß / nominatiſſimum illum Auguſtiſſimi Imperatoris *Dn. Rudolphi II.* nuper conſiliarum, quotidiè familiariter comeſtâ carnis ſerpentinæ præparatæ & toſtæ particulâ vitam firmam vegetamque ſummam ad ſenectam provexiſſe.

Sed

Sed, cùm ad harum quæſtionum enodationem alterius Medici reſolutionem expectârit, nihil verò retulerit; non verebor hîc pro viribus nonnulla reſolutionis loco adjicere.

Eſto verò *præprimis* certum: vitam noſtram ſanam conſiſtere in integritate ſpiritus vitæ, flammæque vitalis puræ, neque tetris fætidisque fumis aut vaporibus ſive inquinatæ, ſive deficientis, ob juſtum, quod ſibi depoſcit ex aëre, ciboque & potu denegatum alimentum. Habet enim ſe vita noſtra inſtar lampadis ellychnio inſtructæ & accenſæ. Quemadmodum verò lampas, ut clarè & ad votum ardeat, ellychnio ritè præparato *primò* inſtructa eſſe debet, quod ratione ſtaminis, unde præparatur, neq; ſit rarius, neque denſius: *Dein* ellychnium è ſtaminibus factum, oleo imbutum ut ſit, neceſſe habet: ſive, ſi eſt candela, ſævo: quorum hoc non adeò fluidum eſſe debet & facili combuſtioni ſive diſperſioni obnoxium, prout aliâs eſſe conſuevit, quod ex ovibus depromitur; ſed debitæ conſiſtentiæ & puritatis, uti eſt vaccinum, vel cera depurata: illud verò, ne ſit impurius, uti oleum lini, & quod ex raparum ſemine paratur; unde tetra & nigricans flamma cum atro fumo emergit, & hypocauſti parietes contignationesque nigro colore inficit, imò cerebro & pectori nocens eſt; ſed clarum, purum, defæcatum, prout eſt oleum olivarum, ſine tamen admixtione aquæ. Ita &, ut vitæ noſtræ flammula ſive biolychium noſtrũ ſine nævo & defectu ſit, aut ne nimis, quàm par eſt, cum conſumptione humidi noſtri radicalis, ardeat, neceſſe eſt, ne humidum pingue ſive oleum vitæ noſtræ ſeu frigidius ſit, & ſic luculentam non edat flammam extinctioni vicinam: ſeu rarius, & ſic flamma citiùs illud abſumat: ſeu impurius, ne inde in microcoſmo tetri malique moris morbi, ut horrores, melancholiæ, deſperationes oriantur, aut flamma etiam ſuffocetur. Conſiſtit enim individuorum vita in rationali, juſtâ & ſtrictâ materiæ & formæ unione; utriuſque autem naturæ nodus copula & baſis, in forti caloris ſive ignis innati humidique radicalis amplexu latet. Ignis enim ille formalis eſt cæleſtis radius, qui humido radicali unitur: iſtud autem eſt materiæ portio puriſſima & maximè digeſta, ac veluti

oleum per organa naturæ, quaſi per alembicos maximè defæcatum, exuberatum & in naturam ſpiritualem quodammodò converſum, *uti habetur, in Enchiridio Phyſicæ reſtitutæ* §. 213. Unde, ut rationalis, juſta & ſtricta ſit utriuſque devinctio, & conjugalis, neq; facilè ſolubilis amicitia, proportio cujusque & qualitas debita requiritur, ut unio eorum fiat per minima, in debitâ, neque diſſolutioni facilè obnoxiâ conſiſtentiâ & aliquâ fixitate, quæ ſanè ad æternitatem nobis neceſſaria eſſet, uti perhibent de lucernâ in agro Patavino repertâ, urnæ figulinæ inclusâ, *Petrus Appianus, Bartholomæus Amantius & Cœlius Rhodiginus*, & perpetuâ flammâ ardente, cujus procul dubio oleum fuit & fixum & incombuſtibile, per longam digeſtionem & intimam unionem volatilium partium cum fixis ſic paratum, quod & inſcriptio inſinuare viſa eſt, per ſequens hexaſtichon:

Platoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hâc quod in urna latet.
Namq; elementa gravi clauſit digeſta labore,
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olibius.
Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Ajuntque nonnulli: & noſtrâ ætate tales urnas fictiles inventas, cum ardente adhuc ſtamine incombuſtibili, quod ex asbeſto, ex auro alii paratum fuiſſe autumant; ſed attactu aëris flammam deſiiſſe. quorum incombuſtibilium luminum conficiendi ratio à multis tanquam ſecretum ſummo labore quæritur. Sed habito immortali latice, aquâ cæleſti, quid ulteriùs opus eſt?

Deinde, certum quoque eſto: Flammam vitalem deficientem & jam ad interitum vergentem, ob humidi oleoſi conſumptionem, alio ſubminiſtrato oleo, prout in ellychniis oleo deſtitutis fieri aſſolet, reparari poſſe; & quidem feliciùs, quo illud erit depuratius; quo pacto videmus, homines ex morbis bilioſis jam reconvaleſcentes, ejecto humore bilioſo vitellino vel æruginoſo, dum ceteroquin febribus, colicâ, vomitib⁹, iſchuriâ, laterum doloribus &c. laborârunt, meliùs vivere, & rectiùs munia ſua exerere ſpiritum vita-

lem,

lem, quàm anteà quaſi ex hoſte timidum aut exorbitantẽ: & quaquâverſum liberiùs ſuos ſpargere radios, quàm nuper contractum.

Sit ergò: ſenem illum octuagenarium febrium fervoribus decubuiſſe: magnam bilis partem cumulâſſe: cephalalgiâ laborâſſe: & hinc ignem vitalem vel impuriùs luxiſſe, vel exorbitâſſe, vel ſimul frigidiorum humorum cumulo, quales bile digeſtionem impediente facilimè cumulantur, & cum illâ ſimul ejiciuntur, parùm de ſe luminis propagâſſe; & ſic magnam partem his in anguſtiis ſive frigidioris humidi ſive olei vitalis conflagrâſſe; fieri tamen potuit, ut relicta humidi illius quædam portio, ſiquidẽ illud ſe etiam in cineribus tuetur, & non raro ignis tyrannidem fugit, niſi à volatilibus ſuperetur, ejecto vel extincto incendio, majorem deinceps puritatem acquiſiverit, quopacto videmus in deſtillationibus oleorum, & horum depurationibus per Cornu Cervi uſtum, vel per cineres elixiviatos, vel per arenam, repetitis hiſce laboribus, vel, uti loquuntur Chymici, factis cohobationibus, ea fixiora purioraque fieri, luculentiùs lucere accenſa, atque aërem feliciùs in ſui nutrimentum attrahere. Hinc enim coctiones meliores redditæ, ſanguis depuratior factus, magnesque vitalis ad attrahendum ſui nutrimentum, polum arcticum obſervavit rectiùs. Ut enim calor non omnis, ſed qui naturalis eſt debitè coquit, & ſpiritus vini non omnis, aut ſal omne extractionibus & diſſolutionibus rerum apta ſunt, niſi ad ſummam perducta ſint puritatem: Ita neque oleum vitale magnetiſmo ſuo ſe conſervare, aut quâqua verſum ſuo calore ſe diffundere poteſt aut lumine, niſi ſummè depuratum & exuſtis obſtaculis, quopacto per repetita incendia ſal depuratur, aut aër per tonitrua & fulgura. Cùm itaque, his ita conſtitutis, magnes magnetem facilè trahat, & ſal ſali tum facilè jungatur, atque ſic per exuſtiones in corpore humano etiam depurationi ſalium vitalium locus detur & fuliginum depaſcentiæ, aliarumque impuritatum, ut & frigidiorum humorum incaleſcentiæ; (nam & ipſe Hippocres dicit: Febribus apoplexiam & tetanum ſolvi:) Non impoſſibile eſt per naturam, rejuveneſcentiæ quoque dari locum, ſuperſtite humido: exuſtis impuritatibus: recalefactis ſe-

nilibus ſpiritibus & humoribus; reſtitutisque magnetiſmis, per attractionem novorum ſpirituum vitalium & ſic luculenti ore factâ ut in juvenibus, flammâ.

Quibus ſic ſe habentibus, non difficile quoque eſt reddere rationem novæ in generationis negotio fortitudinis, ex lumine vitali jam depuratiori facto, flammâque vitali liberiùs agente & quaquâverſum in omnes corporis partes ſe diffundente, quo pacto videmus veris tempore omnia de novo repullulaſcere à Sole per novam ſalium volatilium communicationem, & arbores nova germina novaq; protrudere ſemina novę generationi apta. Et meminit *Triſmoſinus*, quod Medicinâ aliquâ vetulas ſexaginta & ſeptuaginta annorum adeò renovârit, ut denuò conceperint & peperint: Imò ſenem Virum, octuaginta annorum, quoad omnes corporis partes, etiam cutem & pilos prorſus innovaverit, propter ignem medicaminis, quod habuerit vim renovādi hominem è fundamento, & reſtaurandi humidum radicale. Diſpiciant jam Medici, an humidum radicale reſtitui poſſit, in eâ quantitate & bonitate, quâ fuit ab initio. Mihi id creditu difficile non eſt, dum conſidero varietatem ætatum, & quàm ſæpenumerò homines in juventute miſerè viventes & ſemper fere ſanitatis erroribus correpti, in virili aut ſenili rectiùs vivant. Et, ſi vera eſt Hiſtoria, cujus meminit *νῦν ἐν ἁγίοις Dn. Riſtius in deſcriptione Menſis Martii*, quam de *Paracelſo*, à quo Virgo Ingolſtadienſis Senatoris filia ab utero paralytica intra paucas horas reſtituta fuit, ſub finem illius libelli conſignavit: quis dubitare vellet? Qui *Paracelſi, Lullii, Treviſani, Samuelis Triſmoſini* ſcripta evolvere voluerit, omnium horum unanimem fuiſſe ſententiam inveniet: Humidum radicale reſtitui & meliorari poſſe. Sed audiamus ipſum *Paracelſum*. Dicit ille in Apocalypſi Hermetis, dum cognoſcendam exhibet materiam Philoſophorum, ſecundùm quatuor naturas, quòd, ſi ad igneam uſque naturam ejus decoctio perveniſſet, hanc habeat virtutem, ut ex ſenibus juvenes reddat: & ſi pondere grani hordei in vino exhibeatur, ita ut per gulam tranſire poſſit ad uſque ſtomachum, agonizantes reſtituat: imò, quod cor quaſi novum & corpus novum

vum ſenes hâc medicinâ recipiant. Verba ejus linguâ vernaculâ quâ ſcripſit, hæc ſunt: In ſeinem vierten Weſen erſcheinet er in einem feurigen Cörper/der doch von allen ſeinen Gebrechen noch nicht gar erledigt / ſondern noch etwas wäſſerig und nicht genug außgetrucknet iſt / in dem er viel Tugend hat/würckend: macht auß Alten Jung/und wann einem in deß Todes Zügen võ dieſem Feuer eines Gerſtenkörnleins ſchwer in Wein eingeben wird/alſo/daß es durch den Hals den Magen erreichet/ ſo wird derſelbe wieder erquicket/erwärmbt und gehet ihme biß zum Hertzen / und überwindet alle überflüſſige Feuchtigkeit: vertreibt Gifft/ macht die natürliche Hitz wieder lebendig in der Leber; und wann alte Leut diß Feuer in kleiner Quantität gebrauchen / ſo nimmet es hinweg die Kranckheit deß Alters/ alſo/daß ſie jung Hertz und Leib bekommen / und darumb wird es genandt Elixir vitæ. In ſeinem fünfften und letzten Weſen erſcheinet er in einem glorificirten und erleuchteten Leib / der keinen Mangel hat / und wie Sol und Luna ſcheinet / in welchem er hat alle obbeſagte Kräfften und Eygenſchafften / die er in den andern Eſſentien beſitzet: jedoch ſchöner und wunderbarlicher / dieweil er die alten abgeſtorbene und außgedörrte Cörper revivificirt, der Baum / dem er in ſeiner Wurtzel applicirt wird / der wird lebendig / blühen und Frucht tragen. Wann auch ein Lampenöhl mit dieſem Geiſt vermiſchet wird/ ſo verleſcht es nicht / ſondern brennet ewiglich / ohne Abgang / und macht auß einem jeden Cryſtall die edlen Geſtein von allerley Farben/ die ſo gut und edel ſeynd/als die/ ſo auß dem Bergwerck kom̃en/und thut viel andere Ding/die ungerechtẽ Leuten nicht zu offenbaren ſeynd/die für unmöglich gehalten werden. Dann er heilet alle todten und lebendige Leiber/ohne Zuthuung anderer Artzney. (intellige paralyſi tacta.) NB. Daß Chriſtus mein Zeug ſeyn ſoll/daß ich nicht leug/ dann aller him̃liſchen Cörper Einfluß/die ſich in ihnen allẽ forſchen/ uñ die in ein jedes Ding inſonderheit gegoſſen werden/ſind in ihm allein zu finden/ꝛc. Conteſtatur autem eo in loco adhuc pluribꝰ, quòd puram veritatem ſcripſerit, atq; experientiâ dictorum veritatem deprehenderit. Neque tamen, quia *Paracelſus* ad longam ætatem haud pervenit, reprehendendus eſt, tanquam falſitatem ſcriptorum proprio exemplo comprobâſſet. Reſponſionem ad hoc opprobrium qui vult, legat *Helmontium in*

A canis Paracelſi. De *Artephio* cæteroquin legitur, *in Secreto ipſius libro:* Ego verò *Artephius*, poſtquàm adeptus ſum veram ac completam ſapientiam in libris veridici Hermetis, fui aliquamdiu invid⁹, ſicut cæteri omnes. Sed cùm per 1000. annos, aut circiter, qui jam tranſierunt ſuper me, à nativitate meâ, ſolius Dei omnipotentis gratiâ & hujus mirabilis quintæ eſſentiæ uſu, cùm per hæc, inquam, longiſſima tempora viderem, neminem Magiſterium Hermeticum obtinere poſſe, propter obſcuritatem verborum Philoſophorum, pietate motus & probitate boni Viri decrevi, in his ultimis temporibus vitæ meæ omnia deſcribere ſincerè ac veraciter, &c. Quare laudetur Deus altiſſimus, qui poſuit in animâ noſtrâ hanc benignitatem & cum ſenectute longiſſimâ dedit nobis veram cordis dilectionem. Sed hactenus de poſſibilitate reſtaurandi calidum nativum & humidum radicale. Fortè verò etiam ulteriùs progreſſus eſt *Paracelſus*, dum *liquori ſuo Alcaheſt* attribuit virtutem novum hepar ſubſtituendi in locum deperditi & corrupti, dum ſcripſit *in libro de viribus membrorum c. 6.* Eſt etiam liquor Alcaheſt magnæ virtutis in hepate, ad cuſtodiendum illud ab hydrope, & omnibus ejus ſpeciebus, quæ ex hepate veniunt. Proceditur autem ſic: Alcaheſt poſt ſuam coagulationem reſolvatur, & poſteà coaguletur in formam tranſmutatam, ut proceſſus ipſius monſtrat de coagulando & reſolvendo. Et tum, cùm ſui ſimile vincit, medicina eſt hepatis ſuper omnes alias medicinas. Et etiamſi hepar eſſet fractum, ipſe eſt loco ejus totum hepar, ac ſi nunquam fractum eſſet. Magni ſanè res eſſet momenti, ſi hæ vires eſſent in liquore Alcaheſt, de quo verò conſulatur *Ludovicus de Comitibus.* Dicitur ille *Helmontio:* Mercurius præparatus pro hepate. Sæpenumerò ſollicitatus ſum à Viris Doctis, ut aperire vellem, quid eſſet liquor Alcaheſt, eſtque mihi adhuc eum in finem epiſtola à *celeberrimo Lipſienſium D. Profeſſore & Medico* Dn. D. Michalis, nunc p. m. in promptu. Sed, cùm difficilius ſit hunc ſecundùm multorum opinionem præparare, quàm Sophorum magiſterium; attentare opus nunquam volui. Exiſtimo tamen myſterium latere in his verbis, quæ ſcripſit *Paracelſus in clave Archidoxorum*: Du muſt

nehmen

nehmen das vornembſte offenbahre Metall / dem ſie allein der Natur verwandt ſeyn / daſſelbe in ſeiner matrice, ſo im Waſſer lieget und eine Mutter aller Metallen liegend wird / corrumpiren von ſeinen ſuperfluis elementis, und in primum ens liquidum reduciren / id eſt: Oportet, ut accipias principale & apertum metallum, quo cum cætera in natura affinitatem habent, idque in ſuâ matrice, quæ in aqua jacet, materque metallorum per moram fit, corrumpas à ſuperfluis ſuis elementis; & in primum ens liquidum reducas. An verò novum hepar parare poſſit liquor ille, hoc credat qui volet. Mihi cognitum eſt: bovem, cùm tabe & phthiſi laboraſſet, neglectiùs verò habitus fuiſſet, ut fere intra tres quatuorve dies nulla aqua ipſi daretur, & ſolo fœno ſicco viveret, ad habitum rediiſſe: & cùm tandem poſt annos aliquot mactaretur, loco pulmonis deperditi, cujus reliquiæ adhuc ſupererant, novum & ſuccedaneum ſubnatum oſtendiſſe, quod magnæ conſiderationis eſt. Namque & memini, me hydropico deſperato conſilium dare aliquando, ut per aliquot dies abſtinere vellet à potu, & convaluiſſe.

Sed redeo ad quæſtionem tertiam, ſuprà memorati ſenis renovati causâ inſtitutam, & an fortè medicamentis vel herbis aſſumptis ea facta fuerit? Dico itaque: difficile hoc eſſe determinatu; dum in hiſtoriâ allegatâ nullius medicaminis ſive herbæ facta mentio. Fortaſis melle ſæpius uſus eſt, prout in iſtis Weſtphaliæ partibus in frequentem id uſum venit, ubi & mulſa uſitatiſſima eſt. Quid verò mel & ei affinia poſſint, id in præcedentibus tactum. Cæleſtia dona ſunt mel, cera, ros & manna, & à Deo ordinata in veris delitias, novique & verè repueraſcentis anni in ſingulos annos, incunabula fovenda. Vel, cùm febre procul dubio laboravit, gelutta ipſi data fuit à Medico: eſt verò *Gelutta*, *herba Carlina*, de quâ, ut & Meliſsâ ſcribit *Paracelſus in libro de vitâ longâ*, quòd habeat virtutem renovandi, & transferendi morbum ſine omni virtute graduum, in reparationem videlicet & renovationem priſtinæ virtutis. Serpentinæ quidem meminit carnis hujus hiſtoriæ nomenclator, in quodam à Wackenfels / & non malè quidem, ſerpentibus vel ipſis ſui renovationem, & ſic quoque nobis velut ad rejuveneſcentiam

neſcentiam ſui ſignaturam monſtrantibus, quod *Galenus* ex viperinis factum carnib⁹ memoriæ prodidit, diffugatâ inde leprâ. Hinc fortè non malè hodiè ſal viperinum vel ſal ſerpentinum in uſum venire poſſet. Neque enim myſterio caret, ſerpentem ſub arbore ſcientiæ boni & mali delituiſſe. Mihi jam in memoriam revocatur hiſtoria *Immortalis Iudæi*, de quo *Dn. Iohannes Cluverus ſub Rudolpho II. Cæſare*, & *alii*, emiſſis particularibus de eo in publicum ſcriptis: quòd, cùm Dominus JESUS extraheretur prætorio, ipſe pugno eum impuliſſet irridensque dixiſſet: Vade JESU citiùs, vade quid moraris? reſpiciens ſevero vultu Dominus reſponderit: Ego vado, & tu expectabis donec veniam. Itaque exactis centum vitæ annis gravi perculſum ægritudine & ecſtaſin paſſum, inde velut redivivum integris planè viribus, queîs Chriſto patiente fuerat, reſtitutum fuiſſe, & centeſimo quoque anno in eandem valetudinem revolvi. Digna memoratu, ſi vera eſt, hiſtoria, cui & noſtrâ ætate non pauci fidem adhibuêre, ut editis ſingularibus ſcriptis & circumſtantiis eam confirmare non dubitârint. Hoc unicum notandum exiſtimavi, quod multoties quoque à prælaudato *Dn. Socero meo* audivi, atque alibi etiam legi: ſingulis ſeptimanis ſeptem illi ſive Joſepho, ſive Ahasvero aut Cartophilo panes, mannam ſapore referentes offerri, unde vires ſuas ſervet: prætereàque, quòd non niſi centenario exacto rejuveneſcat. Raro enim, aut pauci, poſt Moyſis tempora, centenarium ſupergreſſi ſunt mortales. Et ſi vel maximè ad ſeram hanc ætatem perveniant nonnulli, & ultrà: ſemper tamen prius criſin aliquam experiuntur, naturâ vel per ſcabiem, vel morbos alios ſe exonerante; quos ſi prætergrediũtur ſeu vincunt ſenes, jam velut juvenes de novo facti vitæ amplioris & melioris ſpem ſibi faciunt. At, dum paucos invenire licet, qui ultimam hanc vitalis flammæ perfectam depurationem ſuſtinent; hinc, prognoſticum, ſi ſenes tententur inſolitâ ſcabie, non raro fallit, proximè ſecuturam mortem, quàm & ipſe obſervavi, & prædixi aliquoties, eventu ſubſequente certiſſimo. Exempla non adducam, quæ multis adhuc viventibus obvia eſſe poſſent, amicorum & illuſtrium quoque perſonarum. Dicam ſolùm, quid mihi conti-

contigerit: Cùm enim ante paucos annos ſæpiùs morbis tentarer ferinis, vehementiſſimâque tuſſi tandem laborarem, & adhibitis medicaminibus plurimis nihil relevaminis invenirem, jam ad phthiſin etiam oculis cum reliquo corpore properantibus: *Paracelſum* denique conſulerem, forteque inciderem in ipſius, *de vitâ longâ tractatum*, neque quid *Daura* eſſet, cui multùm ipſe tribuit, invenire poſſem; commodè incidi in ejus de Helleboro ſcriptum, libratisque hujus virtutibus, eſſe eum *Dauram* cognovi. Non ceſſavi proin ex hellebori foliis conficere medicamen, & quantum quidem potui, ſecundùm *Paracelſi* deſcriptionem, ſed cum addito ſaccharo in formâ electuarii: quo equidem hoc obtinui, uti non ſolùm priſtinę ſanitati reſtitui cęperim, ſeparatis ab impuriori ſanguine, ſine ullâ difficultate, fæcibus; ſed & cum epidermidos per univerſum corpus multiplici ſæpiuſq; repetitâ ſeparatione: neque tamen more cæterorum purgantium, cum virium detrimento; ſed refectione & ſublevatione totius, ut proin gratias laudesque dignas DEO, pro hactenus mihi indultâ & benigniſſimè conceſsâ ſalute ſufficienter haud perſolvere poſſim, ſemper manſurus indigniſſimus decantator & cliens beneficiorum DEI humilimus, quoad mihi licuerit lingua uti & vitâ hâc caducâ frui.

Mentionem hujus medicaminis quidem etiam feci, in Eucrene Theoſophicâ & ſuprà, hâc *ipſa in Chryſogoniâ meâ*. Sed, cùm invidus eſſem, ſi non id in afflictorum ſolatium integrè publici juris facerem; candidè hîc illud propalabo, prout id confeci: *Recipiat itaque, quicunque volet*, foliorum *Dauræ*, ſive hellebori nigri, uncias quinque, collectorum circa ſolſtitium æſtivale: florum ſectarum, id eſt macis, unciam unam: Eſſentiæ auri & perlarum, uniuscujuslibet unciam dimidiam: Quintæ eſſentiæ croci, chelidoniæ, meliſſæ, ſingulorum drachmas quinque: ſacchari ℔. diſſoluti in Aq. chelidon, meliſſæ & ſpiritu roris Majalis, triplum ad omnia, f. inde ſecundùm artem electuarium. Ubi notandum: me loco eſſentæ auri interdum ſubſtituiſse auream antimonii eſſentiam, & loco eſſentiæ perlarum, unicornu verum vel confectionem alkermes; licet melius ſit ipſam perlarum eſſentiam, per vini

quintam eſſentiam parare: quintam autem eſſentiam chelidoniæ & meliſſæ confeciſſe ad mentem *Fernelii*, cujus methodum in libro de abditis rerum cauſis deſcripſit: licet *Paracelſus in tractatu latino de vitâ longâ*, adhuc alio modo eſſentiam quintam ex herbis elicere doceat: Et pro eſſentiâ denique croci ſubſtituiſſe aliquoties Elixir proprietatis *Helmontii*.

Hoc nempe eſt remedium, ad mentem *Paracelſi*, conſervationis ad duas vel tres ætates in viris & mulieribus. Nam de *foliis Dauræ* ait *Paracelſus*; quòd non ſinant hominem mori ante 120. annum: item de floribus ſectæ Croæ, quòd vires ſuas ad centeſimum annum communicet utenti & ultrà. Ignoſcant verò mihi hîc Medicorum filii, quòd arcanum experientiâ mihi comprobatum tam cordatè revelem. Non mihi natus ſum, ſed proximo; & ſi quid ad Rempublicam medicam à me redundare poteſt utilitatis, id lubens communico. Eſt verò uſus ejus ad ea, ad quæ valent aurum, perlæ, meliſſa, crocus, chelidonia: quæ omnia cordialia ſunt. De foliis verò *Dauræ* & ſectæ Croæ, quam aliqui etiam florem anthos eſſe exiſtimant: ego verò flores nucis myriſticæ; idem *Paracelſus* prodit, quòd helleborus niger vel ſenior curet antiquatam epilepſiam, icterum, podagram, lepram, apoplexiam, & hydropem: quid verò flores nucis myriſticæ poſſint & valeant, id ex herbariis notum eſt. Quid denique eſſentia antimonii valeat, id per tot ſudores chymicorum jam innoteſcere cæpit, vel ipſo *Paracelſo* præeunte, *capite ſexto, fragmentorum tertii libri, de longa vita, tom. ſexto.* Neque enim tam difficilis eſt methodus extrahendi antimonii eſſentiam, dummodò ſerius aliquis ſit rerum naturalium indagator, & manus carbonibus admoveat, clavéſque neceſſarias ad manus habeat intrandi ſaturnia regna. Siquidem multi viri cordati memorant, quòd in ſe contineat antimonium renovationis veriſſimum remedium in tincturam & eſſentiam elevatum ritèq; depuratum, adeò ut etiam lepram facilimè curet, de quo, qui volet, conſulat part. 2. *Iohannis Agricolæ Commentariorum in Iohannem Poppium, ſine meritò à nonnullis multoties vapulantis*: & alios.

Neque tamen, ſi renovationi locus datur, exinde æternitas homi-

hominis metuenda. Non ſufficit habere in promptu oleum, quod priori deficienti ſuccurrat, & ſic metum defectus auferat. Plus ſæpe olei habent pueri octo annorum, qui tamen mox intereunt, quàm ſenes, qui adhuc diu vivunt. Namq; & lampas plurimo oleo turgida ſæpe extinguitur, & fax multâ candidâque cerâ veſtita non ſemper durat ad extremam ceræ atomum. Etiam aurâ leni, decentibusque & non facilè perituris filis aut goſſipio congruo opus eſt, quibus ſe flamma ſuſtentare valeat: lignoque abietino poroſo & proportionato ad ceram. Unde, ut homo perpetuò vivat, impoſſibile eſt; dum & mortem intra nos fovemus, & cum cibis potulentisque eam nobis ipſis propinamus. Imò, uti patebit in ſequentibus, plura requiruntur ad vitam perpetuandam, quàm quæ intra nos ſunt. Moriendi neceſſitas nobis impoſita, licet per diætam & medicamina, diutiùs vitam ſervandi nobis ſit relictum arbitrium, concurrentibus DEO, Angelis, aurâ cæli propitiâ, ſeminio, loco, nutritione, aqua, innumerisque aliis. Corpus noſtrum autem, quod inſtar ſtaminis ſe habet, aut fili ardentis, aut ligni cerâ obducti, dum id ex elementis factum eſt, atque ſic elementorum corruptioni ſubjacet, quàm facilè cum flamma deficiat, aut etiam ipſam flammam obtundat, id in confeſſo eſt. Neque enim flamma nutritur ſolo oleo; ſed ſi cum oleo ſimul ſtamina ſolida perdurent, qualia extitêre in longævis Patriarchis, ante diluvium, & cùm perimentibus imbribus terræ vires nondum adeò ſuffocatæ fuêre, aut exhauſtæ, auraque levior mortalibus ſpiravit ad nutum verbi DEI. Sic enim adhuc hodie ſunt certa quædam loca, ubi vivaciores homines inveniuntur, quàm in aliis. Sunt qui teſtantur, in India Inſulam quandam fuiſſe repertam, nomine *Bonicam*, in qua fons ſcaturiat, cujus aqua vino pretioſior epota ſenium cum juventa commutet. Neque lectu indignum eſt, quod *Toparcha Merodenſis* ſcripſit de monte Domini. Imò, ut & ego aliquid in laudem Patriæ meæ dilectiſſimæ, *Wetzlariæ* adducam, adeò ſalubri inibi fruuntur aurâ cives, ut non ſolùm multi ſine ægritudine ad extremam perveniant ætatem: ſiquidem & Parens meus b. m. ad annum 84. pervenit, nullâ unquam adhibitâ venæſectione, aut phar-

maciâ cujuscunque ordinis; ſed & multoties per integrum annum ne unicus tumulo inferri compertus ſit. Beatus cui ARBORE VITÆ frui datur! id eſt, qui ſapientiam quærit & amat, utpote cujus negotiatio melior eſt negotiatione argenti, & auro effoſſo proventus ejus. Pretioſior eſt carbunculis, & omnia oblectamenta tua non poſſunt æquari ei. LONGITUDO DIERUM IN DEXTRA EJUS EST; IN SINISTRA EJUS DIVITIÆ ET HONOR: Viæ ejus ſunt viæ amænitatis; & omnes ſemitæ, ejus, pacis: ARBOR VITÆ eſt prehendentibus eam, denique tenentium eam beatus quisque. JEHOVA ſapientiâ fundavit terram, ſtatuit cælos intelligentiâ: Scientiâ ejus abyſſi diffiſſæ ſunt & ſuperiores nubes deſtillant rorem. Fili mi, ne decedat ea ab oculis tuis, cuſtodi eam, quæ verè eſt ſapientia, & ſolertiam. Eruntque VITA ANIMÆ tuæ, dicente ſapientiſſimo mortalium, in Proverbiis cap. 3. Per ſapientiam, inquit idem, MULTIPLICANTUR DIES tui, ET ADJICIENTUR ANNI VITÆ. cap. 9. & cap. 10. Reverentia Jehovæ adjicit dies: anni verò improborum decurtantur. Item c. 15. Curatio linguæ ARBORIS VITÆ eſt, id eſt, medicina ſalutaris atque vivifica. Item Eccleſiaſtici c. 27. v. 28. Vita cujusque continetur numero dierum. Sed dies Iſraelis ſunt innumerabiles; quod Lutherus ita vertit: **Ein jeglicher hat eine beſtimpte Zeit zu leben / aber Iſraels Zeit hat keine Zahl.** Dum ergò hactenus de renovatione & vitâ longâ diſſerui, eaque magni æſtimanda eſt; nemo quoque negligat ANIMÆ SUÆ rejuveneſcentiam; ſed omni conatu in id ſuas intendat vires, ut innocentiæ moribus in puerum reformetur, monente Chriſto, qui verus eſt lapis Sapientiæ; verus fons vitæ: vera petra ſpiritualis, in quo renovatur ut aquilæ juventus noſtra, cujus qui manducat carnem & bibit ſanguinem, habet vitam æternam. Rectè enim renovatur, qui de tenebris peccatorum in lucem virtutum mutatur & gratiam: ut qui in tetra prius colluvie ſordebat, ſupra nivem albenti nimis fulgore reſplendeſcat, monente *Divo Ambroſio.*

Atque hinc jam patet ratio, cur, dum de lapidis Sophici ſecreto

multa

multa locutus ſum, in renovationem tandem inciderim, longumque ſermonem de eâ pertexuerim. Eſt enim LAPIS PHILOSOPHORUM nihil aliud, niſi microcoſmus per regenerationem factus, in quo eſſentia perfecta ſuperiorum & inferiorum velut in centro convenêre, per remotionem impuritatem, dum in novam & immortalem vitam evectus eſt. Siquidem regeneratio philoſophica nihil eſt aliud, quàm ſeparatio corruptionis, & reſtitutio indeſtructibilitatis: ablatio mortis, & reſtitutio vitæ: Remotio virium elementarium & reparatio cæleſtium: Denique eradicatio mali, & reſuſcitatio eſſentiæ ejus, quæ utilis & bona eſt: imò mors, & ſuppreſſio regnantium infæcundorumque elementorum, & vita occultarum cæleſtiumque poteſtatum & fortitudinum. Prout enim in veteri corpore naturali ſola corruptio mors & impuritas dominium ſuum exercuêrũt, animamq; cum ſpiritu velut incarcerârunt, atque ſub poteſtatem ſuam redegerunt: Ita in renato & per virtutem clarificato corpore dominium animæ ſpirituiq; redditur, in quibus vita. Hinc enim illuminatur corpus & in gloriam exaltatur adeò, ut jam cum animâ & ſpiritu velut in trinitate unum ſit, poteſtatesque ſuas ſimul cum illis exerceat. Accipe itaque corpus, quod ſcis, ſepara ſpiritum à corpore, purifica corpus, & ſpiritu purificato à corpore extrahe animam. Si enim corpus primò per ſpiritum animâ ſuâ privatur, & hæc dein purificata conjunguntur, tum id, quod primò mortuum erat, fit regeneratum novum & vivificum corpus, quod in omni claritate reſurgit albiſſimo nitore ſplendens, nulli corruptioni aut mortalitati ampliùs obnoxium: verùm immortale, cæleſte & clarificatum exiſtens, plenum virtutibus & dotibus ſuis fructus fert millecuplos. Breviter: Philoſophorum opus nihil aliud eſt, quàm novum cælum, novamque terram manifeſtare: cælum de cælo trahere, & terram in cæli ſublimitatem evehere, prout etiam in creatione mundi à DEO factitatum legimus. Siquidem in principio, cùm DEUS crearet cælum & terram, aquæ ſub larvâ aut vaporis apparuêre omnia, quæ etiam prima fuit cæli terræque cum univerſo eorum exercitu materia, è quâ deinceps ſeparatione levium à groſſis, ſub-

 tiliumque

tiliumque à ſpiſſis, per verbum DEI, ſingula velut è tenebris emerſére, & ſubtilia quidem ſumma, groſſiora verò pedetentim decliviora occupavere loca. Imò, uti in Creatione mundi DEUS Spiritus ſanctus naturam humidam velut ales ova verbi fovit calore, undeque emanârunt elementa quæque: Sic, cùm finis erit omnium, quod per maledictionem naturæ hactenus acceſſit inconveniens, tandem DEUS in extremo judicio comburet in favillas, atque inde velut novum cælum & novam terram nulli amplius corruptioni obnoxiam; ſed in quibus habitabit pax & juſtitia, & cujus nomen erit: CÆLESTIS HIEROSOLYMA, auro unionibusque clara, ſi modò ſic philoſophari licet, *ſecundùm Coſmopolitam*, efficiet. Dixit enim, qui ſedit in throno: ECCE FACIO OMNIA NOVA. Qui plura, eaque ſatis myſtica deſiderat, conſulat *Cabalam myſticam*, & ſuo ſcopo inſervientia cætera, quæ hîc fortè deſiderantur, inveniet. Tempus enim adeſt, cùm

Omnia in primam faciem reſurgent:
Nam DEI regnum, prece quod vocari
Juſſit, en præſtò eſt, properat venire.
Laus ei, virtus, honor & triumphus,
Gloria & regnum, decor & poteſtas.

Monendum hîc ſolùm operæ pretium judicavi, dum ſumma claritas in niveo candore repræſentatur per ſtolas albas electorum & piorum in cælo; vix eam in lapide Sophorum ſperandam eſſe, tanquam ultimam ejus perfectionem. Etſi enim *Augurellus* canit:

Inprimis niveo ſparſus candore lapillus
Quæritur, aut longo contritus tempore pulvis,
E niveo in liquidum verſus candore ruborem;

tamen, uti ibidem innuitur, niveus ille candor ſolùm ad argentum deducit mercurium, neque ultima eſt lapidis perfectio; ſed rubedo, ad quam denique albedo deducitur. Cujus hæc ratio eſt: quia lucis natura ſine veſte, quæ ignis eſt, non facilè eſſe, neque per artem in hâc mortalitate ſeparari poteſt. Si enim quis hoc præſtare poſſet, jam candorem perlarum incomparabilem haberet. Sed ob amorem, quo ſe ignis & lux devinxerunt, vix utriuſque ſeparatio

paratio poſſibilis. TU, ô DOMINE JESU! FAC, UT IN LUMINE VERBI TUI VIDEAM TE LUMEN MEUM, LUMEN DE LUMINE, DEUM VERUM DE DEO VERO, ET NE UNQUAM IGNIS DESIDERANTIS ANIMÆ MEÆ SE à LUMINE TUO ET CANDORE AMORIS TUI SEPARARI PATIATUR; SED UT ARDEAT JUGITER, LUCIS VERO TUÆ CANDIDIORIS AMICTU DULCESCAT MIRABILITER: SAPIAT DELECTABILITER: DELECTET DENIQUE FELICITER. Intuitu enim hujus lapidis, qui JESUS eſt, & in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter, cæteri lapides omnes nugæ ſunt. Neque quiſquam exiſtimet, me inveſtigatione lapidis mundi elementaris, hodie Philoſophorum dicti, tantoperè mihi gratulari, aut inventione ejus plurimùm præ aliis mortalibus gaviſurum, tanquam de invento centum boum mactatione digno. Nunquam ſatiatur mens veritatis cupida, quàm diu hæret in terrenis: Nunquam requiem invenit, quàm diu abeſt à ſuo principio. Quocunque loco fuero, JESUM meum deſidero: quàm lætus cùm invenero: quàm felix cum tenuero! Hujus dulcis memoria dat vera cordi gaudia: Hic ſpes ſuſpirantis meæ animæ, quem quærunt meæ lachrymæ clamore mentis intimæ. Hic amor miſſus cælitùs hæret mihi medullitùs, ut donet me cæleleſtibus cum ipſo frui ſedibus. Hic ſolus mihi via, veritas & vita. Ergon hic ergò eſt meum; cui tamen non contrarium eſt parergon, quod hactenus deſcripſi, & quod invidi

invidi perſequuntur. Cum rerum naturalium ortu incepit Moſes Biblia: & per naturalium rerum imagines ſapientiſſimus Servator nos duxit ad æternorū & inviſibilium contemplationem; In deſcriptione novæ Hieroſolymæ, & Naturæ veluti reparatæ & in priſtinum vigorem reſtitutæ finivit Scripturam *Divus Apocalypticus Theologus Iohannes*; ut ſic manifeſtum ſit: nihil eſſe, quod nos ad DEI cognitionem ducere non debeat aut poſſit.

Suggeſſit ſiquidem Geneſis nobis materiem rerum, ejuſdemq; diſpoſitionem, nec non mundanarum rerum varietates, ſeu ſuperiorum & inferiorum commixtiones & harmonicas conſpirationes; & denique *Apocalypſis* & *alii* libri perfectionem & magnificentiam futuri ſeculi, cum plenitudine infinitæ perpetuitatis & glorioſæ poſt reſurrectionem corporum noſtrorum clarificationis; & hujus corruptibilis vitæ in incorruptibilem & ſpiritualem converſionem & transfigurationem, quæ omnia in lapidis ſui Geneſi Philoſophis oſtenduntur; ut proinde *Coſmopolita* haud malè ſcripſerit, contemplādo lapidis ſui ortum, progreſſum, perfectionem & multiplicationem, in præfatione *ad ænigma philoſophicum, ad filios veritatis:* Futuræ vitæ meliora præ oculis video: hiſce gaudeo. Jam non miror, ut anteà feci, cur Philoſophi, habitâ tali medicinâ, non curârint abbreviare dies ſuos; quia omni Philoſopho ita eſt præ oculis vita ſequens, ſicut in ſpeculo apparet tibi tua propria facies. Haud pauci proinde ex Chriſtianis fuére, qui ad multorum divinorum myſteriorum illuſtrationem progreſſi ſunt, ex lapidis philoſophici Theoriâ, imò omnium fidei articulorum, quod & mihi haud difficile eſſet futurum, neque enim peccarem, dum Theologorum plurimi hodie ad exemplum Chriſti parabolicis aſſueſcunt ſermonibus & per cognitas res naturales illuſtrant tam quæ ad fidem pertinent, quàm quæ nobis ob oculos ponunt futuri ſeculi glo-

riam,

riam, de quâ *Paulus Rom.* 8. Reputo ſiquidem, quòd non ſint pares præſentis temporis afflictiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur erga nos, in quam etiam ipſa creatura liberabitur à ſervitutem corruptionis, quæ nobiſcum congemiſcit & ad hoc uſque tempus parturit. Nam & Sophorum lapis primò vilis eſt & abjectus, & poſt multas afflictiones & depurationes exaltatur, moritur, ſepelitur, reſurgit & corpus clarificatum nactus tanquam léo fortis trium in naturâ regnorum Dominus fit. Sed lubens hîc abſtineo manum. Qui de hâc materiâ plura deſiderat, ille conſulat, *Arnoldum de Villa novâ*: *Libavium*: *Dominum de Nuyſement*, *præprimis Petrum Johannem Fabrum in Alchemiſtâ Chriſtiano.* Et notabilia ſunt *Cornelii Drebbelii verba, in præfatione ad librum de Elementis*: Cùm animo mecum perpenderem, quàm miſerè hominē ad peſſima quæq; deducat deſidia, viamque illi intercludat, quò minùs intelligere valeat DOCTRICEM NATURAM: Cùm itidem viderem, quàm magnos ſæpe labores impenderent mortales rebus, vel parvi, vel nullius momenti; tum profectò magnifacere & amare cæpi doctricem naturam, Deumque perfectè agnoſcere ex creaturis, quas non ſine admiratione & ſtupore animi intuebar. Pervolvere verò cæpi elementa, quæ mihi quaſi digito monſtrabant TELLURIS naturam, cujus ſpiritum cryſtallinum in modum nebulæ alicujus contemplabar: animam verò tinctam quaſi ſanguine: corpus denique ejuſdem ſtabile & indomitum inſtar cryſtalli. Hîc cernere erat ſpiritum militantem adverſus corpus, quod cùm tandem ſuperâſſet, ex ambobus factum fuit unum. Corpus ſerviebat animæ, erátque illi pro ſtabili domicilio: Spiritus ſublevabat corpus & animam, non ſecus ac cœlum cryſtallinum: Anima ornamentum addebat tum ſpiritui, tum corpori colore ſuo roſeo & fere dicam, cæleſti. Hîc interitum, reſurrectionem atque immortalitatem oculis meis notabam: Unde non poteram non gratus eſſe ergà creatorem meum, & magis magisque amare ſapientiſſimam naturam.

Cùm itaque hactenus dicta vera ſint, DEUS verò omnis veritatis autor ſit, quid ergò artem hanc tanquam Diabolicam multi

S vitu-

vituperant? cur vel nihil perſpicientes & cæci, vel paucis ſaltem perſpectis ferunt ſententiam? Dicebat olim *Apelles*: Ne ſutor ultra crepidam. Diſcant, ut cum *Mirandulano* loquar, apud Jureconſultos improbari ut inciviles, qui judicant totâ lege non perſpectâ. Diſcant, vehementer damnari ab *Annæo* & irrideri *Claudium Cæſarem*, qui lites dirimeret, unâ parte tantum auditâ, & ſæpe neutrâ. Si illi in veritate innutriti eſſent & veris naturæ principiis, & herbarum, fruuctum, metallorum, lapidum, horumque poteſtatum & commiſtionum & converſionum eſſent gnari potiùs, quàm quòd philoſophicæ auſcultationis nonnullos libros vidiſſent & legiſſent, meliùs fortè judicarent, juſtiusque illis competeret nomen & appellatio Philoſophi. Siquidem, qui res primùm generatim noverit, deinde per partes ſublunarium, ſubterraneorumque germinum vires percalluerit, ut hinc rerum inferiorum concordiam & litem, ſubindeque generationem interitumque mente percipiat: conſcendatque in admirationem divinæ Majeſtatis, & quanta homini donârit, ut res abditas & in viſceribus terræ concluſas agnoſcat, & porrò domi eas conſtruere queat munere & adjumento naturæ, & ſic multis nominibus juvare mortales, multis ille garrulis anteſtabit diſputatoribus, & tantum quidem, quantum umbræ corporis corpus. Turpe ſit veritatis Profeſſori loqui aliquid contra veritatem. Fallor, ſi Hermeticum ſtudium non eſt ſtudium ad veram *Cabalam*, quâ homo à ſenſualibus progreditur ad inſenſualia, &, uti Cabaliſtæ volunt, per ſcalas quadraginta novem ad ipſum DEUM אחד principium & unum, ſive Enſoph quod infinitudinem notat. Quo enim plus ſe abſtrahit à mundanis, eò receptioni magis fit aptus; de quâ *Reuchlinus* & *Galatinus* ſcripſêre. Dum verò nihil eſt, ſive jacens, ſive pullulans, ſive vivens, ſive loquens, quod non modo quodam cælo intentum ſe erigat, ut conſpectu ejus quaſi quendam virtutis uſum hauriat & mores fingat: Videmus enim altiſſimos terræ montes cælum verſus ab imis vallibus exurgere: Juxta Pſaltæ carmen: *Pſ.* 104. Aſcendunt montes & deſcendunt valles: Cernimus & experimur, in altum procellas maris erigi: *Pſ.* 106. Sentimus flatus aëris è caver-

cavernis proſilire. Et omnia denique ignea ſurſum levari. Cur ergò Viri præſtantes ad adeptionem, quàm vulgarium eſt hominum, ſublimiorem non adſpirarent? ceu granum frumenti jactatum in terram, quod non quieſcit, donec glebæ viſcera frangat, & extra telluris meatus ſuſpiciat, cæleſtiq; aurâ fruatur. Nam & eadem eſt ratio in metallis, dum id quod generoſius eſt, in altiores ſpiritus poteſt ab alchymiâ ſublimatum evehi & ſublimius reddi. Sic & credimus, apud inferos lurida & ſqualentia omnia eſſe ſordibusque depreſſa: apud ſuperos verò candida & illuſtria, incredibilique decore ornata. Cur, inquam, homo, animal decorum & venerandum, animal nobiliſſimum, cæteris præfectum, non modò prudens & ſapiens; verùm & contemplativum & religionis capax, quo melioribus & ſanctioribus ipſum dotibus ornavit Creator clementiſſimus, eò majori deſiderio, quibuscunque poſſet viribus, ad ſumma & optima tenderet? Hinc enim factus eſt ex duabus rebus homo: ex limo: ut, quæ in his terris ſunt, ſuique ortum & materiam diſcat cognoſcere, & corpora prudenter curare: & ex ſpiraculo vitæ, ut ſapienter amet divina, & humanâ cogitatione agnoſcat, ſe hujus mundani regni, ſive elementorum participem ad altiora adſpirare debere, & in his terris quidem cum brutis ambulate pedibus, erecto verò capite cum Angelis in cælo converſari; & manibus porrò victum ſibi quærere ex parte in terram eas inclinando & laborando: ad cęlum verò etiam eas levando pro æternarum rerum conſecutione: oculos denique prò corporis tutela in terram demittere: pro animi verò ſalute in cælum attollere: Sed compedibus hodie retinetur virtus, & metitur quisque eruditionem pro ſuo modulo ac pede. Unde veritatis amatoribus vel deliteſcere neceſſe eſt: vel convitiis onerari: vel tacere: cæteris ſaltare ad lyram. Aliter Heroës, Patriarchæ & Prophetæ ſui renovationem æſtimârunt, qui quod bonum tenuêre, ut integer eſſet ſpiritus eorum & anima & corpus ſine querela, prout *Theſſalonicenſibus* bene precatus eſt *Paulus*. Ne verò quis exiſtimet, hæc omnia viribus noſtris fieri poſſe, & proprio arbitrio noſtro; lumine divino opus eſſe dico. Ut enim Solem non aſpicimus, niſi

Sol etiam nos reſpiciat: ita myſteria ſuperioris & hujus mundi videre non poſſumus, niſi DEUS labores & conatus noſtros dirigat, ſerioque nos ſapientiam quærentes adjuvet. Si ad montes oculos noſtros attollimus, è montibus viciſſim nobis auxilium promittitur, id eſt à Domino, qui cælum & terram creavit. Ipſum penes & per ipſum omnia ſunt luminoſa: *Pſ.* 139. Per ipſum ſunt & renovantur omnia: *Pſ.* 104. Ipſius eſt renovare juventutem noſtram ut aquilæ: *Pſ.* 103. Et dum renovatio & ſenium non ſemper ſe mutuò ponunt, rectiùs dicimus: DEI eſſe opus & renovari & ad longam pervenire ætatem, qui, ubi vult, porrigit remedia congrua, per varios licet caſus, iis, quos ſuæ beneficentię vult eſſe participes. Plura enim eſſe, quæ ad vitæ longævitatem ſpectant, in ſequentibus patebit. Intereà prædicta remedia non negligenda, miſericordiæ utpote divinæ dona, inprimis quæ ex auro depromuntur.

At hîc nonnemo objicere poſſet, quod & *Helmontius* tetigit: paucos adeptos perveniſſe ad vitæ longævitatem, & hoc indicium eſſe, ex lapide Philoſophico neminem ſibi promittere ſenectam poſſe. In arboris itaque vitæ ſuccedaneâ plantâ ſtatuiſſe *Helmontium* ſolamen ſenectutis quærere & vitæ longævitatem. Sed ad hæc facilis eſt reſponſio, ſi attendatur, uti in præcedentibus ex *Sendivogio* allegatum, *primò*, multos adeptos longævitatem vitæ non curâſſe, quod futuræ vitæ meliora prætulerint terrenæ felicitati: *deinde*, ignem illum adeptum ſe habere inſtar Solis cæleſtis. Prout verò ille Juventutis & vitæ longævæ aſſertor eſt, ſi temperatè in hæc inferiora influat, neque nimio æſtu torreat mortales: ita quoque ſe res habet cum lapide Sophico, qui ultra, quàm par eſt, adhibitus etiam occidere poteſt. Intereà dicunt alii: nonnullos Phyſicorum per eam tincturam annos centum & quinquaginta vixiſſe: aliorum vitam prolixiorem fuiſſe hoc medio; ſed doſin ejus eſſe exiguam, operationem potentiſſimam, per quam *Paracelſus* curaverit lepram, hydropem, caducum, veneream luem, guttam, colicam, item lupum, cancrum, noli me tangere, fiſtulas & genus omne morborum internorum & externorum, ipſe licet, ob neglectius vitæ genus, anno 47. ætatis extinctus. Namque ex Solis pu-

riſſimi

riſſimi in aquam redactiſonte, *teſte Gratarolo*, confortatur & excoriatur cutis, imò & innovatur: neque hoc ſolùm facit; ſed alopeciam quoque & tyriam curat, & immutat corpus humanum, & ſincerat & innovat ipſum. Sol ſiquidem, qui verus Philoſophorum *Baſiliſcus* eſt, eſt res illa, quæ à quatuor non corrumpitur elementis, & eſt humanæ complexioni conveniens, nec calefacit, nec infrigidat, nec deſiccat, nec humectat: ſed eſt temperata, temperamento excedens omnem rem hujus mundi, in ſuâ temperantiâ & perennitate, quia eſt temperata in ultimo gradu, & gradus habet cujuslibet quantitatis, nec eſt aliqua res quæ huic rei aſſimiletur, aut loco ejus ſtare poſſit. Habet proprietatem ſubveniendi defecto ſtomacho: timoroſos audaces facit: cardiacos confortat & curat melancholiam, alopeciam atque tyriam, & calorem naturalem temperat; & virtus ejus in ſuâ manifeſtatur ſubſtantiâ. Quia in eâ eſt claritas, ideò clarificat: in eâ eſt magna temperantia, ideò multùm temperat, cujus temperamentum tranſit ſuper omnem rem: in eâ eſt perennitas, ideò conſervat corpus humanum: in eâ eſt aſſimilatio humanæ complexioni, ideò incorporatur ei, ſi præparetur ut oportet: & in ejus præparatione eſt totum ſecretum, quod ſapientes occultavêrunt: Et eſt, ut de auro illo, quod eſt de 24. granis, ſeu krattis accipias, & combure ipſum in furno combuſtionis, dein lava ipſum bene, & tere donec ſit pulvis, ut atomi radii Solis: dein ſolve in aquam & congela, & ſolve cum re, quæ ipſum ſolvit & poſt per ſe ſolve abſque re aliquâ: ſolve in vaſe, quod vas ſit in altero vaſe poſito ſub fimo calido. Hâc aquâ utere, uti ſcis. Scias, quòd omnem commovet ſpiritum & ſanguinem ad cutim: induit eam pulchritudine juvenili, & mundificatione & rubedine, & adjuvat ipſam, & abſtergit abſterſione leni, ponens cutem ſubtiliorem & detergit ab eâ illud, quod eſt mortuum deterſione ſubtili: & hoc faciunt imbibitiones, ablutiones, &c. intellige de auro puriſſimo, diſſoluto in optimâ & rectificatâ quintâ eſſentiâ vini, quæ dicitur à Philoſophis anima vini, ſpiritus aquæ vitæ, aqua ardens. *Hactenus Gratarolus.* Ubi ſimul alium modum rejuveneſcentiæ ponit: nempe, ut per abſtinentiam & ſubductionem convenientem deveniat

quis ad ultimam extenuationem, deinde cum laudabilibus nutrientibus reficiatur. Et hoc,ait, obſervari apud eos,qui boves impinguant,quorum caro,quantò magis macreſcat & deficiat,tantò magis poſteà intenereſcat & juveneſcat. Nam cùm bos, inquit, ſenex eſt macer, impinguatur primò tenerrimâ herbâ in autumno, deinde conſervatur & veluti ſolidatur ejus pinguedo, cum duriori & craſſiori cibo vel pabulo, tribus vel pluribus menſibus, ſicque carnes ejus fient teneriores & juniores, quàm juvenis, qui longo tempore fuit pinguis: Ita ſi homo taliter præpararetur, ut per ſudorem cutis eſſet macra & vacua, deinde paſceretur generantibus bonum ſuccum,acquireret juventutem. Sed mitto hæc, ſemper reputans,quod *Avicenna,in libello de viribus cordis: capite* 2. ait: Vita & quæcunque perfectio & omne bonum, quibus res diſtinguuntur, non niſi à primâ veritate ſunt, quæ omnium bonorum prima eſt & uniformis manatio, quod idem eſſe videtur cum eo, quod *Divus Iacobus inquit: c.*1. *v.*17. Omnis donatio bona & omne donum perfectum eſt à ſupernis, deſcendens à Patre luminum: Et optimis medicinis ſemper ſecurrere debere bonam diætam. ſedulóque cavendum, ne etiam præſtantiſſimæ naturæ pondere ſuccumbant injuſto ſuppreſſæ, vel juſto denegato deficiant. Ubi tamen ſemper videndum, uti cuique ætati, quod ſibi congruum eſt, detur. Aliter infantes, aliter pueri, aliter Viri, & ſenes aliter cibandi. Neque cuilibet ſexui omnia indiſcriminatim conveniunt. Multùm enim facit ad robur corporis, ſi omnia in principio noſtri ortus ritè obſerventur, & genuina noſtri nutritio inſtituatur. De quo legi poteſt *Eruditiſſimus Montuus de Salubritatis tutela cap.* 8. ubi & *Galenum* in eâ fuiſſe ſententiâ *ex lib. de marcore* teſtatur,ſenectutem remorari & arceri poſſe; variaque recenſet juventutis conſervandę remedia. Inprimis v. meminit trochiſcorum de ſtella, quas *Avicenna deſcripſit lib:* 1. *Sum* 1. *tractatu* 8. *in initio*, & dixit: quòd non permittant vitam recedere: & Myrobalanorum chebulorum, quòd juventutem tueantur, quod & *Celſus* fatetur, nec non Ellebori nigri, quòd temperamentum faciat melius, & ob hoc ipſum mores quoque probatiores reddat, & corpus incolume

lume ac velut juvenile efficiat. Sed de eo ſatis in præcedentibus. Locum ſolùm hîc inveniat, quod *Ovidius canit*:

Temporibus medicina nocet, data tempore prodeſt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Sic verò etiam fieri debet in compoſitione & regimine laboris Sophici. Naturæ naturis miſcendæ ſunt. Vir propriam ſibi ducat uxorem, quorum nuptiæ in domo naturæ celebrari debent. Cognoſcere inde quilibet debet, quæ res in natura ſint ſibi propinquiores. Aliter *deinde* in initio & velut infantili ætate lapis regendus: aliter poſt Saturni diſceſſum: aliter in fine. Ut proinde in *Apertâ arcâ Naturæ parvus Agricola moneat*: probè attendendas eſſe quatuor anni partes, pro operis Sophici directione. *Poſtremò* probè obſervandum, quod *Avicenna* ait, *in libello & loco ſuprà citatò*: Receptibilia ſunt carentia diſpoſitionis ad receptionem ipſorum. Et idcircò quodlibet ſuſceptibile non eſt diſpoſitionis cujuslibet receptivum. Id eſt, receptibilia quandoque ſunt vacua à præparationibus ad receptionem ipſorum, cùm non quodlibet receptibile ſit receptivum cujuslibet rei. Quapropter nequit lana in quantum lana, *pergit Avicenna*, recipere formam enſis, nec ſimiliter aqua ſub forma aquæ recipere virtutem humanæ naturæ. Nam & in metallis ſequioribus ſive leproſis emendandis quædam diſpoſitio prærequiritur. Fæces primùm removendæ, & ſcoriæ ſequeſtrandæ: Imò, niſi etiam ipſum aurum & argentum ad ſummam ſuam puritatem prius deducantur, vix poterunt reliqua metalla ad perfectiorem evehere ſtatum. Medicina ſemper potentior ut ſit morbo opus eſt: neque morbi cedent, niſi ſqualidis rerum humoribus & poteſtatibus mortiferis ſub obedientiam vitalium poteſtatum redactis. Unde ſanguine ſulphuris philoſophici, quod in auro etiam eſt, & ab auro elicitur ſuaviter, opus habent, qui in utroque regno miracula patrare volunt, minerali nempe & animali, utpote in quo eſt intrinſeca virtus & ſiccitas convertens & congelans argentum vivum in aurum, tum etiam omnia metalla & corpora humana ad ſanitatem. Id verò præſtare nemo poterit, niſi qui ad nemus nymphæ Veneris delatus videat inibi bellum ingens ſalis &

lis & ſulphuris, & poſt varias altercationes, ſal ſulphuri inferre vulnus incurabile, ex quo, loco ſanguinis, aqua, quaſi lac candidiſſimum effluat & in magnum flumen creſcat, princepsque vir fortiſſimus, conſpectâ ex illo nemore prodeunte Dianâ, & ſe in illo flumine lavante, ob ſimilitudinem naturæ ſuæ in amorem illius exardens ſubmergi incipienti Dianæ opem laturus, ſimul cum ipſa ſubmergatur, donec exſiccato flumine & provinciâ illâ ſæpius per aërem & calorem Solis examinatâ, poſt nebulas & tempeſtates, in corporibus clarificatis reſurgant. Teſte *Heliocantharo Boreali, in tractatu de Sulphure.*

Unicum hîc adhuc dijudicandum relinquo, dum nuper Chirurgia infuſoria innoteſcere cæpit, an ſanguinem humanum, ex. gr. pueri aut juvenis ſani, pro reſtitutione virium in ſene, ſive innovatione, adhibere liceat? Hîc ego quidem pro exiguitate ingenii mei me brevibus expediam, judicium tamen aliis doctioribus relicturus. Nempe: non me hîc quærere, an ex. gr. contractura calente ſanguine humano ſolvatur? prout legitur *in libro Biblicarum antiquitatum Philonis Iudæi,* quòd, cùm *Cenez*, (id eſt, *Caleph*) percuſſiſſet de Amorræis quadraginta quinque millia virorum, & in contracturam manus incidiſſet, adeò ut manus indiſſolubiliter adſtricta eſſet manubrio romphææ, ex conſilio Amorræi: ſanguine humano calente & quidem ab interfecto Hebræo id fieri poſſe, ipſum Amorræum talia ſuadentem interfecerit, & ſic manum reſolverit ſuam adſtrictam hujus excepto ſanguine. Neq;, an ex ſanguine humano è vena educto poſſit aut debeat parari medicina, pro multis morbis debellandis? Sic enim ſanguinis humani & inprimis arterioſi ſal volatile multùm commendatur ad epilepſiam: Spiritus ejus à *Borello* ad hydropem: dum ait: Hydropici conclamati & deſperati curantur elixire ſive quintâ eſſentia ſanguinis humani, ſi per tres dies detur uncia ſemis. Et proſtant hinc inde apud quàm plurimos modi, ſanguinem humanum in ſua principia reſolvendi aut deſtillandi, prout & nos ſupra ex *Nortono, Deano & Richardo Anglo* adduximus, quòd lapis animalis magnæ æſtimationis inde parari poſſit. Neq; hîc inquiro, an rectè faciant,

qui

qui ſive epileptici, ſive ſimilibus morbis affecti, hauriunt ſanguinem adhuc calentem, exceptum à capite plexis, quod mihi videtur barbarum, Chriſtiano indignum, & legi divinæ prorſus contrarium. Neque mihi jam res eſt cum illis, qui pro leproſis & elephantiacis curandis olim adhibuêre in balneis ſanguinem humanum, de quo remedio conſulatur *Plinius l. 26. c. 1.* quod utpote multis exitioſum extitit, licet balneum primogeniti, in quo nonnullæ reliquiæ ſanguinis, mansêre, teſte *Cardano*, multis profuerit, *lib. 12. de ſubtilitate.* Sed, an homo ſanus, bonâ conſcientiâ, & ſine ſui incommodo, ſanguinem à venâ ſuâ eductum alteri communicare, & quidem ægrotantis venæ infundere poſſit, ut ſalvus inde fiat & incolumis? Aſſerit hoc *Marſilius Ficinus, in libello, de ſtudioſorum vitâ prorogandâ, capite* 11. *ubi de uſu lactis & ſanguinis humani pro vitâ ſenum ita diſcurrit*: Sæpe, poſt decimum ſtatim & nonnunquam nonum ſeptenarium, arbor humana, arefacto paulatim humore, tabeſcit. Tunc primùm humano juvenilique liquore irriganda eſt hæc arbor humana, quo revireſcat. Eliges ergò puellam ſanam, formoſam, hilarem, temperatam, & famelicus lac ejus ſugito, creſcente lunâ, ſtatimque comedito marathri dulcis modicum pulverem, ſaccharo rite confectum. Saccharum quidem lac in ventre cogi, vel putrefieri non permittit: marathrum verò, cùm & ſubtile ſit & lactis amicum, dilatabit ad membra. Quos hectica ſenilis exedit, Medici diligentes liquore humani ſanguinis, qui arte ſublimi deſtillavit ad ignem, reficere moliuntur. Quid ergò prohibet, quò minùs ſenio jam confectos interdum hoc etiam potu reficiamus? Communis quædam eſt & vetus opinio, aniculas quaſdam ſagas, (quæ & ſtriges vulgari nomine nuncupantur) infantum ſugere ſanguinem, quo pro viribus juveneſcant. Cur non & noſtri ſenes, omni videlicet auxilio deſtituti ſanguinem adoleſcentis ſugant? volentis inquam adoleſcentis, ſani, læti, temperati, cui ſanguis quidem ſit optimus, ſed fortè nimius. Sugant igitur, more hirudinum, ex brachii ſiniſtri venâ vix apertâ, unciam unam aut duas. Mox verò ſacchari vinique tantundem ſument, idque eſurientes & ſitibundi facient, creſcente Lunâ. *Hactenus Marſilius:* ubi & fovere

ſtomachum jubet ſanguine ſuillo calente, & docet: quo pacto & quâ ratione morſus canis rabidi ſanguinis canini potu curari queat, *teſtibus Serapione & Galeno*; & tandem concludit: ſanguinem potari poſſe & quidem ſalubriter, atque in ſanguine humano virtutem eſſe, quâ humanum ſanguinem attrahat & mutuò proſequatur, dicitque: Nec fortè diffidas, juvenilem ſanguinem à ſene bibitum trahi ad venas membraque poſſe, ibique prodeſſe quàm-plurimum. Hiſce præmiſſis facilis futura eſſet concluſio ad Chirurgiam infuſoriam. Si enim per *Ficinum* licet ſanguinem humanum ore haurire, ſive coctum, ſive crudum; cur non & per infuſionem hoc liceret in apertam venam, educto prius exinde impuriori & corrupto latice?

At verò, quantum ad lactis uſum attinet, jam ille comprobatiſſimus tum aliis, tum mihi eſſe cæpit. Dum enim ex acriori ſanguine ferini multoties laticis errores in nobis ſuſcitantur, quos defluxiones appellant, atque inde tuſſes, diarrhϾ, dyſenteriæ, artuum dolores, rheumatiſmi, podagræ & ſcorbutici morbi, imò & contracturæ & immobilitates membrorum, ut in pareſi & paralyſi contingit, nec non totales nutritionis defectus & tabes oriuntur; jam compertum eſt, lactis genuinum uſum multùm his prodeſſe vitiis, inprimis in iis, qui à lactis uſu non abhorrent. Sic enim aliquando DEUS per me curavit *Quæſtorem, in Comitatu Niddano, Bredovv*, qui, cum totali contracturâ laboraret, poſt toties recurrentes arthriticos morbos, adeò, ut ne manum quidem ori admovere aut pedibus incedere poſſet per totum annum, fruſtraque in remedium balnea artificialia & naturales thermas, cum plurimâ remediorum farragine, adhibuiſſet, & jam non aliter ac infans alterius obſtetricante manu tractaretur; DEO ſuggerente conſilium, ſuaſi, ut dum ad infantilem ſtatum redactus eſſet, neque manibus, neque pedibus ſuum peragentibus ampliùs officium, lacte uteretur cum ſaccharo & ovi contentis temperato, eo, quo præſcripſeram ordine, quo ipſo præter omnium hominum ſpem totus convaluit.

Quod verò ſanguinem humanum concernit, equidem, res illa mihi videtur eſſe periculi pleniſſima, tam ex parte ægri ſanguinem

nem ſuſcipientis, quàm ſani ſanguinem exhibentis. Si enim magna ſanguinis humani eſt cognatio, adeò, ut duo fratres, vel frater & ſoror, vel pater & filius, vel mater & filia, vel quocunque modo cognatione hi ſe contingunt, in locis etiam remotiſſimis, quaſi ſenſum quendam habent mutuæ ſive felicitatis, ſive infelicitatis; quid fiet, non de cognato, ſed proprio ſanguine in aliud corpus vel transmiſſo, vel aſſumpto? Si dein magna eſt carnis humanæ affinitas, adeò, ut prout in *Cheirurgiâ Curtorum* habetur, naſus alterius hominis carne reſtitutus, putreſcit, homine, à quo caro reſarciendis naribus mutuata fuerat, mortuo; quid de ſanguine fiet humano? Et, ſi in animantis ſanguine vita eſt, & de quo JEHOVA *Gen.* 9. *v.* 4. præcepit *Noacho* & nepotibus ejus: ne carnem reptilis ullius cum animâ ejus, ſanguine comedant: & poſtmodùm per *Moyſen* Iſraelitis omnibus edixit: *Levit.* 17. *v.* 10. 11. Quicunque è familiâ Iſraëlis, vel advena, qui inter eos habitat, veſcetur ULLO ſanguine, utique illi ipſi obvertam faciem meam iratam, qui comederet ULLUM ſanguinem, & exſcindam illum è medio populi mei. Nam anima cujusque carnis in ſanguine eſt; ego verò deſtinavi vobis eum in altari ad expiationem faciendam pro animabus veſtris: *legantur & v.* 12. 13. 14. & in hanc ſententiam adhuc plura: *Lev.* 3. *Deut.* 12. & repetitio hujus legis *Actor.* 15. *v.* 27. quid fiet de ſanguine humano? Quod enim ſanguinem animantium attinet, equidem non nego, in brutorũ ſanguine, quæ vitâ longâ fruuntur, magnum latere arcanum ad vitam longam; ſed hîc præparatione opus eſſe dico, per reductionem nimirum ſanguinis putrefacti in ſua tria, & ut planè à ſuâ natura immutetur in medicamentum, prout de cornu cervi in præcedentibus diſſerui. Ubi verò crudus, calidus, & adhuc in naturâ ſuâ exiſtens aſſumitur, non vacat periculo, qui eum intra ſua admittit viſcera. Hinc aliqui, aſſumpto felino ſanguine, felinos induêre mores: alii caprarum lacte nutriti, illarum more ſemper alta petiére. Aut itaque ægri ſanguis ſuperatur à ſanguine ſani, aut hujus ab illo: Scitum enim eſt, fermenta rerum diverſimodè ſe habere atque potentiora ſæpe eſſe in his: infirmiora in aliis. Si ægri ſanguis ſuperatur à ſanguine ſani,

intenta quidem inde reſultat ſanitas infirmi; ſed non ſine hujus fermenti commixtione, & quod, dum planè annihilari non poteſt, ſolùm ſub obedientiâ ſani ſanguinis occultatur ad tempus, neceſſitate moriendi ſemper nobis adhærente; fieri poteſt, ut ob cognationem ſanguinis dein quoque ſani ſanguis corrumpatur: de quo latiùs diſſerui, in *Eucrene Theoſophicâ: capite* 14. *pag.* 129. Sin ſani hominis ſanguis ſuperatur, à vitioſo fermento ægri, cui infuſus fuit, jam non mirum erit, ſi & ſanus infirmetur: Imò, fortè moriente alterutro, ſive, qui acceperat eum, ſive, qui ſuum ſanguinem communicaverat alteri, non levem corruptionem patietur ſuperſtes. Scripſit *Robertus de Fluctibus* experimenta nonnulla de ſanguine humano, quibus, præter alia, demonſtravit: non leves pati anguſtias, quorum ſanguis è venâ miſſus deſtillationi ſubjiciatur, ſi adhuc ſint in vitâ. Et jam innotuit per univerſum orbem, quòd, ſi in cognatione aliquâ contingat quendam mori etiam alii in illâ cognatione vel infirmentur, vel moriantur, ob contagium ſanguinis & amicitiæ, non ſtatim ſaturatâ mortis in eâ familiâ crudelitate, ex unius internecione. Compertumqne eſt, quòd, ſi fortè in familia quâdam variolæ graſſentur, etiam ii, qui familiæ illi ſanguine juncti ſunt, licet in Galliâ, aliisque regnis degant, variolis non rarò corripiantur, ob ſanguinis paritatem. Ut neque ſileam ea, quæ *Erneſtus Burggravius* ſcripſit, de lampade vitæ & mortis, quorum dijudicationem tamen aliis relinquo. Magna certè rerum eſt ſympathia & antipathia, ut ſi vites floreſcunt, ebulliant in vaſis vina. Et etſi quidem difficilis eſt horum effectuum rationem reddere, quis tamen ab ignoratione cauſæ ad rei negationem argumentabitur?

Sed regerent fortè hîc plurimi: Nugas eſſe illas ſympathias, & ſolido nullo niti fundamento? Non nego, plurimos operosè ſe exercuiſſe in hâc materiâ. Sed, cùm mea intentio non ſit, quenquam lædere velle, & cuiq; facilè ſuas linquam opiniones; dum & ego non volo, ut quisquam in mea verba juret, neque ipſe in ullius verba jurare conſtitui, niſi ſufficienter penſitatis rationibus; proinde dicam ſaltem hîc, quid in hâc materiâ aliquando obſervaverim.

Obam-

Obambulam manè ante annos circiter, 14. cadente æſtate, Darmſtadii, in muſæo meo, de itinere Giſſam verſus ſolicitus, poſt peractas preces, & ecce! ſubitò dextra inſonabat auris, tanto tinnitu, ut, cùm, poſt inquiſitas à *Galeno aliisq;* rationes, nullam invenirem tantæ campanulæ cauſam, cogitare inciperem, an fortè mei deſiderio nonnemo tangeretur, vel de me ſermones haberet, neq; enim gravedine, neque capitis imbecillitate, neque vaporibus aut flatibus me diſtentum ſentiebam, ad omnes functiones athleticum gerens animum, per diem integrum. Sed ecce! Horâ ſextâ veſpertinâ, cum cœnandi gratiâ menſæ aſſidere inciperem, recurrebat ille impenſiſſimus auris dextræ ſonitus. Aperiebam tum rem hanc aſſidentibus, additis his verbis: Nî fallor, impensè deſideror, aut hinc avocor. Vix hæc elocutus eram, cùm ecce fores pulſantur, occurritq; cum literis, ab illuſtriſſimo Dn. Comite Erpacenſi, nunc inter Divos agenti, ad me perſcriptis homo, nuncians: Dominam Comitiſſam lethaliter decumbere, atque impenſiſſimo mei deſiderio urgeri, ut in caſu, ut videbatur, deſperato, ſucurrerem. Rident omnes aſſidentes menſæ prognoſticum meum. Ego intereà me itineri accingo, impetratâque veniâ à Sereniſſimo Principe ac Domino: Domino Georgio II. Haſſiæ Landgravio, Principe Hersfeldiæ &c. ac Domino meo clementiſſimo, beatiſſimæ nunc recordationis, ſequenti die, ſummo diluculo diſcedo. Ubi ad montana Ottonis Sylvæ cum rheda pervenio, tertiâ vice inſonat auris dextra inſtar campanæ, unde nactus occaſionem philoſophandi, varia mecum acriter volvere ac revolvere cœpi. Furſtenavium ergò delatus expono ordine illuſtriſſimo Dn. Comiti, in Philoſophia ſecretiori exercitatiſſimo, repetitum illum tertiâ vice auris tinnitum inſolitum, & ab ipsâ Dn. ægrâ Comitiſsâ ſedulò quæro: annon præteritæ diei diluculo, ſive manè circa horam ſextam, dein ſub veſperam hora ſexta, iterum præſentis diei hora 8. me impenſiſſimè deſiderâſſent, aut de me ſermones habuiſſent? Illis annuentibus, materia differendi exorta eſt inter Illuſtriſſimum Dn. Comitem & me, de re hactenus incognitâ, & unde auris tinnitus indicare poſſit alterius hominis deſiderium? Cumq; hæc quæſtio

implicet illam de actione in diſtans, unam ſine alterâ explicari haud poſſe exiſtimavimus.

Primò verò dixi: me hîc non quærere velle; an omnis auris tinnitus ſit præſagus, vel oriatur ab alterius ſermone ſeu deſiderio? Sed, an notabilis & aliâs inſuetus, aut ſonantior, quàm aliâs fieri conſuevit, tinnitus non poſſit eſſe præſagus?

2. Me non unâ illâ vice; ſed multoties veritatem ejus expertum, adeò, ut non rarò profeſſus ſim inter amicos, ad cœnam forte aut aliam converſationem vocatus, non licere mihi liberiori potui vacare, quòd adhuc ſint, qui me expetant, ob prævium illum tinnitum, quod etiam ex ſternutatione aliquoties prædixi. Inſtituta ergò quæſtio: quo pacto, (neq; enim, ſive apud Angelos bonos, & an illi operoſi ſint deſiderii noſtri nuncii, ſive Dæmones, cum quibus homini Chriſtiano nihil negotii, rationes inquirendas judicavimus) per naturam hoc contingere queat?

Diſſerendi itaque mihi factâ licentiâ, ita ſermonem meum exorſus ſum.

Illuſtriſſime Dn. Comes! ut rectiùs de hâc re diſſerere valeam, detur mihi primò hoc præſuppoſitum: Diverſimodè elementa, quæ appellamus terram, aquam, aërem, ignem, moveri ab impetum faciente aliquo, & pro loco impulſus.

De terrâ hoc mihi videtur certum eſſe, in ejus motu præternaturali. Poſito enim, terræ aliquem tremorem aut motum cauſari, ſive à batillo *Helmontiano*, campanæ inſtar, ſive ab incenſo aliquo ſulphure aut igne erupturo, aut aëre incluſo, aut aquâ, certè eouſque ſe motus ille propagabit, quouſque metu penetrationis dimenſionum cedere cogetur terra, ut credam, ſi ejuſmodi accenſio fiat in centro globi, totum globum motum iri: motus verò ille ob terræ reſiſtentiam & gravitatem & tremulus & tardus quodammodo, imò per vices ſæpè obſervabitur.

De aquâ id apparebit evidentiùs: Si enim lapillum vel minimum injicias mari aut fluvio, jam ex circulo minimo fient majores & maximi, quàm velociſſimè.

In aëre, quanta ſit velocitas propagati ſoni, extra controverſiam & jam deciſum eſt, ex exploſis tormentis bellicis & tonitru.

Ignis

Ignis, cùm ſit omnibus illis ſubtilior, ſi modò datur elementaris, ſub concavo Lunæ, nam eſſe eum non dubito, de peculiari ſaltem loco ſub Lunâ res videtur heteroclita, citiùs ſe propagat, nihil obſtantibus ventis, nihil aquis deſuper imbrium more ruentibus: &, ſecundùm SERVATORIS NOSTRI effatum, fulgur ab ortu uſque in occaſum momento citiùs propagatur; unde, quo elementum ſubtilius, eò majorem habet activitatis ſphæram, ut verè, ſecundùm Chriſti effatum, fulgur ab ortu in occaſum citiſſimè vergat, dum adventum ſuum fulguri, quo comparituris eſt omnibus Gentibus, comparat.

Hæc autumo vera eſſe, niſi quis datâ operâ ſcirpum quærere & altercandi animo potiùs, quàm veritatis gratiâ aliud cenſere & ſtatuere velit.

Progredior ulterius: Lux elementa ſuperat, & momento fit dies, ſtante ſupra horizontem Sole. Quanta Lucis ergò ſit activitas, patet. Non illam impediunt pulveres in præliis, non atomi, non venti, ut videre quoque eſt in Iride, quæ immota manet vento flante, & ſic immediatè in loco eſt, non in aëre, tanquam ſubjecto, teſte erudito *Helmontio.*

Altiùs ire jubeor ad lumina vitalia, quorum DEUS Pater eſt, animas noſtras: Quæ verò harum ſubtilitas ſit ultra ignem elementarem? quàm ſublimi lucis gradu polleant? nemo ignorare poteſt, niſi qui neſcit, quid ipſe ſit.

Cùmque animæ noſtræ locum habeant inter res creatas, & haud pertineant ad mortis ſcalam, erunt in cenſu vitarum, caloris, lucis, motus, diffuſionis &c. DEUS Lux eſt æterna, immenſa, infinita, incomprehenſibilis: de vitâ illâ eſſentiali participant animæ noſtræ cum Angelis, ut mirer, nonnullos Lucem, tanquam principium formale rerum rejicere, de qua verò alibi ſcripſi in diſputatione: cui titulus: Lux mundi vita & ornamentum. DEO, ſcio, ſphæram activitatis nemo attribuet, utpote qui eſt benedictus, ſuper omnia non excluſus, intra omnia non incluſus. Indulgebit ergò mecum animabus noſtris ſphæram activitatis quisq; cordat' & ſincerè philoſophaturus,

non

non infinitam quidem; ſed tamen ſatis magnam, inprimis, ſi ſunt in exaltatione. Quæ verò ſit animarum exaltio, ſi quæritur, reſpondeo: quòd intelligant illam homines ſopitis ſenſibus futura in ſomniis prævidentes, moribundi, ecſtatici & ubi ingens deſiderium aliquod eam evehit ad objectum aliquod. Anima enim ſenſibus immerſa velut velo eſt obnubilata, quo velo retracto, velut ſubtracto tegmine lucerna, aut nubibus Sol undiquaque ſuos ſpargit radios. Quo pacto autem in moribundis illa animæ exaltatio fiat, id expoſui, *in Oratione, pro Sereniſſimâ Principe, Saxoniæ Electrice, Dominâ Magdalenâ Sibyllâ, Giſſæ* publicè habitâ, circa finem.

Pergo. Harmonia eſt ſuperioris & inferioris mundi, ut, quod eſt ſuperius, ſit ſicut id, quod eſt inferius. Hinc mira chordarum in mundo conſonantia. Sit, exempli gratiâ, ab ortu in occaſum, craſsè jam propono exemplum hoc, ab aliis quoque allatum, chorda extenſa, quod ſi in ortu eam tetigeris, in occaſu ejus trepidatio perſentietur. Chordam illam experiuntur patres & filii, matres & filiæ, fratres, ſorores & conſanguinei, quorum uno vel per mille militaria ab altero diſtante &, ſeu morbo, ſeu morte, afflicto, nonne ſæpè nares ſanguine ſtillant, cor trepidat alteri conſanguineo eoque adhuc ſano, aut alio ſe prodit, mediante deſiderio, ſigno? Negare hoc nemo poteſt, niſi cui ſaxeum cor ſit factum.

Novi Ludimagiſtrum, qui quoties homo in civitate, quam incolit, moritur, tantâ narium titillatione corripitur, ut vix illam tolerare queat, ut qui ad leſſum jam invitatur cantandum. *Intenſum ergò deſiderium impellit chordam multoties*, ut ſonum edat in objecto deſiderato, vario modo: ſeu campanulam illam in auribus, loqui mihi ſic liceat, trahendo, ſeu nares titillando, ſeu inſolitas ſternutationes movendo, aut aliter agendo: motus enim naturæ nemo accuratiùs, niſi ipſa natura novit: Unde, cur modò ſternutationem velut fulgura immittat, modò tonitrua & ſonos in auribus, nemo explicabit. Mirumque, naturam etiam rectitudinem obſervare, & ſiniſtra, & inauſpicata & tetra ſiniſtris, dextra & auſpicata dextris exhibere partibus. Homo momento citiùs cogitationibus ſuis eſt inter aſtra, Romæ, Conſtantinopoli, extra mundum, neque tamen

ſemper

ſemper illæ cogitationes ſunt operativæ, vel ob defectum deſiderii intenſioris, vel ignorantiam objecti deſiderabilis, vel quia anima ſpiritusque vitales immerſi ſunt ſenſibus ſine exaltatione ſui. Spirituum verò liberiorum, ipſiusque animæ in excentricitate ſui aut exaltatione conſtitutæ maximam eſſe activitatem, patet ex natura ſpirituum, qui non ſunt in loco circumſcriptivè; ſed definitivè, ad modum Angelorum: unde his præcisè nullus terminus certus ponendus, velût rebus materialibus, cùm & in his ſphæræ activitatis majores minoresvé ſint.

De Conſanguinitate in præcedentibus dictum: in qua nullus certè contactus mediatus aut materialis eſt neceſſarius; ſed ſufficit contactus per deſiderium, quod & adæquata omnis melancholiæ cauſa eſt.

Adderem hîc narrationem hominis, nobilis genere, qui mihi ſanctè affirmavit: nôſſe ſe quendam, qui, quoties vellet, poſſit ſtigma, einen Nachtgriff alicui inprimere, etiam à ſe remotiſſimo, per fortem imaginationem. Sed in hoc exemplo ſuſpendo judicium meum, cùm & magi per fortiſſimas imaginationes, multa incondita producant. Quid verò deſiderium in mulieribus prodûcere poſſit prægnantibus, id in confeſſo eſt. Intereà abuſus naturæ nihil præjudicat innocuæ animæ & ſine malitia ſive medicum, ſive amicum, ſive opem deſideranti. Quid verò ſit contactus phyſicus, nemo ſatis adhuc explicuit. Si materialis, ſenſitivus, & corporeus contactus tantùm eſt contactus phyſicus, equidem nimis ſtrictis contactus phyſicus coercetur limitibus. A negatione deinde modi, ad negationem rei, non valet conſequentia. Extrema ſæpe ſunt ſenſibilia, mediis inſenſibilibus.

Hæc tum diſſerui, quibus & facilè ſubſcripſit illuſtriſſimum pectus, hactenus ex prǣmaturâ morte multis deſideratiſſimum. Unum dicam, ſublato contactu phyſico materiali, actione nihilominus ſalvâ, perit omnis labor contradicentium: nollemque ego adſcribere malo Dæmoni, jam tum ſatis ſuperbo Spiritui, ea, quæ naturæ DEI filiæ, mirabilis in ſuis operibus ſunt, ne ſibi gratuletur de poteſtate ſuâ, quam ipſi adſcribunt mortales: Dann er doch ein armer Teuffel iſt/wann ihm Gott nichts verhengt.

Hactenus itaque de renovatione & reſtitutione periculosâ, ex ſanguine, ob contagium.

Rectiùs egit *Conſtantinus Magnus*, qui, devicto *Maxentio*, crucis ſibi cælitùs oſtenſæ ſymbolo, cùm *Maximinum* quoque, Chriſtianis infeſtum opprimere cogitaret, & ſubitò elephantiaſi corriperetur, jamque Medicis omnibus deſperantibus *Græci* aſſererent: in *Capitolio* lacum ex puerorum ſanguine fieri oportere, ut in eo Imperator ablut⁹ certò valetudinem priſtinam recuperaret, & nunc convocatis pueris carnifices edictum expectarent, non tulit matrum lachrymas; ſed pueros ſuis matribus ſalvos & incolumes donavit: ipſe verò baptiſmate lotus, ex labro, divinæ cujusdam manus contactum ſentines, ſalvus & ſanus egreſſus eſt, teſte *Nicephoro l.* 7. *c.* 33. Egregium nempe & optimum malorum remedium eſt, CHRISTUM ducem ſequi & ſalutaribus baptiſmatis undis fretum vel ejus carne & ſanguine paſtum ab eo ſanitatem expectare. Sic enim etiam *Carthagine, ethnicus quidam Medicus*, extremè podagricus, licet diabolis ipſum ſeriò dehortantibus, cum comminatione & inflictione ſæviſſimorum dolorum, à podagrâ per omnem vitam liberâtus eſt, accepto baptiſmatis ſacro, quod *in Titio continuato, ex D. Daniele Cramero* allegavit, *loco* 17. *de Baptiſmo, Dn. M. Daniel Sneider* Eccleſiaſtes Dreſdenſis. Horridos itaque & periculoſos illos ſanguinis luſus facilè linquo, dum cæteroquin natura non eſt depauperata in aliis remediis ſubminiſtrandis; ſed ubiq; divite penu gaudet. Simus verò contenti ſanguine JESU CHRISTI, qui inſtar pientiſſimi Pelicani, aperto pectore, emiſſoque inde ſanguine nos emortuos reviviſcere fecit, ſolusque à peccatis nos emundat. De cætero, quam litem venæſectionibus moverit *Dn. Andreas Cnefelius*, Poloniæ Regis Caſimiri Archiater, legi poteſt in methodo ejus medendi febres epidemicas & peſtilentiales, exercitatione primâ & ſecundâ.

Siſterem hîc pedem, loquendo de renovatione, iisque, quæ ad vitæ indemnitatem pertinent, niſi mihi ulteriùs ſcribendi anſam daret *Conſilium*, nuper per Germaniam Daniamque notiſſimi, nunc in Italiam reverſi, *Equeſtris Viri Burri*, quod in dentium lapſu

carieque

carieque & eorum renovatione aliquando ſcripſit, mihique communicavit. Cùm enim non pauca lectu digna in illo Conſilio contineantur, præcipuè quæ renovationem concernunt, totum, prout id mihi communicavit ipſemet, hic publici juris faciam: ſiquidem renovationis modum & leges apprimè, & prout erat ingenio ſubtiliſſimo, & judicio acutiſſimo, in eo pulcherrimè adumbravit. Spero verò, epiſtolam illam haud fore Lectori ingratam, à multis utpote expetitam: paucis verò viſam.

Os, *inquit ille*, ſpongioſum cranii habet maximam duritiem, in calvariæ ſummitate, quæ ſenſim mollis fit in maxillis, palato & gingivis: & quia unumquodque perfectum alimentum in naturâ animantium claudi debet ſuis terminis duris, derivatis ab expulſione excrementorum, ideò dentes eorundem qualitates indicantes, non tantùm ut contuſores ciborum à Philoſophis conſiderandi veniunt; ſed & ut nutritivæ facultatis limites, ex omnibus minutis cartilaginibus & oſſibus mucaginem quandam per proprios poros exſugentes, quæ facilimè transmutetur in conſervativum quoddam tartarum vegetativum, ut reparentur atomi illæ, quæ quotidie in attritione eduliorum ex eis diſpereunt. Quod ſi fortè labefactiva quædam inviſibilis caries, in parte aut in toto, capitis oſſa corrumpit, viſibiliter vel occultè; aut omnes dentes eruuntur, aut aliqui ex ordine illorum. Et nota, quòd in omnibus animantibus, donec oſſa firma non ſunt, in pueritiâ, ipſi non apparent, vel mutantur, ut non impropriè à me nominentur, hâc de causâ, oſſium omnium ultimæ teſſeræ, ſicut ungues ſunt omnium nervorum & carnis extremæ coagulationes. Qui autem circunductos cretaceo quodam tartaro, friabili & mucosâ ſubſtantia, ſeſe ad gradum vegetationis ſublimandi ſpoliato, oppreſſos dentes & ſepultos exhibent, in iis ſtatuendum eſt, calorem eſſe disgregativum, urgente intemperie alicujus manifeſtæ vel deliteſcentis putredinis. Et hâc de causâ, deficiente nutritionis fine in eo, nec perſpirari, nec tranſmutari poteſt putrefactivus & terreſtris ille liquor heterogeneus: unde variæ ſpecies morborum, ſecundùm qualitates complexionum ſuboriuntur. Mirum tamen eſt, quòd unicus dens dolens uni-

verſum afficiat corpus, & in eo accendat febres: nam ipſius corruptio, per unum nervum ipſum circumambientem, qui cum aliis nervis à capite deſcendentibus integram ſervat correſpondentiam, poteſt quaſi per manicam vel digitatum filtrum Hippocratis humores attrahere, attractos & infectos deturbare, ad viſcera & muſculos omnes infeſtandos. Et hâc de causâ, in cephalicis affectionib⁹, maximi *Lucretii* ſemper memoriâ erit tenenda ſententia: Principiis obſta. Nam, cùm idem habeat in ſe magnetem per nares attrahendi purum vel impurum aërem, ſecundùm fermentum ſuæ pravæ vel bonæ nutritionis; attractos aëris vapores mundos coinquinare & coinquinatos mundificare poteſt, unde propago ſpirituum inde bene vel malè ſe gerat, in omnibus humanæ vitæ actionibus. Nihilominùs, aliquando dantur ſpecies quorundam morborum, quæ opitulari videntur aliis incommoditatibus valetudinis, ut v. gr. ſtomachi firmus appetitus, qui etſi fortaſſe laudandus erit ab ægroto, nihilominùs ſuſpectus eſſe ſemper debet Medico, quia ex illis ſpuriis erit, qui ab inſpiratâ aliquâ acidâ putredine proventus ſibi acquirat: & oris habitus tunc erit examinandus, adeò, ut non incongruè præſcribendæ medicinæ ventriculo dicandæ ſint. Nam carnis nutritio in homine hâc celebratur ratione: Alimentum pituiteſcit in ſtomacho: bileſcit in inteſtinis: chylificatur in meſaraicis: ſanguificatur in cavæ & portæ majoribus vaſis: in viſcerum parenchymaticis ſubſtantiis ſpiritualiſatur, & in capite iterum reincrudeſcit, ita, ut nova ibi fiat pituita ex ſanguine: ex pituita bilis tenuior priori: ex iſta ſubtilior chylus & ſpiritus. Et hâc de causâ per ſternutationem & ſalivationem, & per narium defluxiones microcoſmi compendium caput expurgat ſordes, piloſque abjicit omnes diffuſos in corpore in unum globum ſuorum oſſium collectos: cartilaginum v. poroſarumque omnium partium concluſos ſpiritus per ductiles & vegetantes crinium fuligines coërcet & renovat, & ideò de illo dixit *Poëta*: Os homini ſublime dedit cælumque tueri, quia ipſum eſt cælum humani mundi, per quod in ſubjectam materiam infelicis & propitiæ valetudinis impreſſiones defluunt. Quâ de re, cùm in eo fiat ſumma eſſentia

omnium

omnium humorum humanorum ; ideò ſyderei radii gignuntur in oculis : ignes ſpirituum purpuraſcunt in genis & labiis plus, quàm in cæteris aliis molis corporeæ partibus. Hinc poterit æger dignoſcere mentis meæ ſententiam.

Jam in ærariis divinæ miſericordiæ medicinalibus erunt indaganda appropriata aliqua ſanationis myſteria, quæ affinitatem habeant cum limitibus dentium, ut ipſos confirmare valeant, cum capitis totali ac eſſentificâ humorum omnium reincrudatione & transſubſtantiatione novâ, ut totum iſtud corpus plethoricum malè affectum, favente DEO, renovetur. Hæc igitur deſumantur à magicis quibuſdam alimentis ovorum. Accipe igitur gallinas fæminas 24. mares duos, claude in magno aliquo cubiculo aëreo, clauſo, feneſtrato, ale cum hoc alimento: Rec. alimenta excrementitia ſimilia à ſimilib⁹, num. 40. Coq. ad duritiem, à corticibus munda, & tunde induratam ſubſtantiam, ſuperadde myrrhæ, thuris, benzoini, garyophyll. cinamomi, macis, cubebar. an. ℥j, moſchi & ambræ, an. gr. ij. croci orientalis ℈j. diſſolve cum aquâ communi majoranæ, rorismarini, ſalviæ, hyſſopi, menthæ, origani an. ℥j. Milij tantum, quantum ponderat tota hæc maſſa, & pro potu ipſorum da aquam, in quâ decocta fuerint ſem. coriandrorum unc. 1. liquirit m. j. rad. Angel. ℥ij. Jam collecta per menſem, (mundificando cubiculum à ſordibus, ſervandis, pro eradicandâ ſcabie) alimenta illa excrementitia quæ continent centralem virtutem alimentorum veniant in uſum, in initio prandii, & mirabiliter intellectivos motus exacuent: manducandorum verò numerus non excedet tria. Poſt quinque dies ſuprà illa tria quæcunque colliges indurabis, & ex vitellis per torcular oleum anodynum extrahes, cum quo in unge caput & totum corpus, quod ab hâc unctione mirificè confortabitur, exſiccando unctiones, poſt quadrantem horæ cum panno lineo, & fiat inunctio in cubiculo tepido, oleumque erit præſtantiſſimum ad oſſa confirmanda, ut cortex eorum oſſeus ſatis docet, quod non eſt acre; ſed ſolari pollet dulcedine. Fæces poſteà exime & iterum contunde cum induratis albuminibus: & ut magis molleſcant, injice ſufficientem quantita-

tem aliorum crudorum agitatorum, & procede, ut ſuprà, in cibatione, & videbis mirabilia: mutabunt veſtes intra menſem, & tunc cubiculum debet eſſe tepidum, & ſe iterum exornabunt venuſtiſſimè, indicio, quòd ſe ipſas etiam renovârint, & intereà oleum, quod colligetur, ſervandum erit in vitris optimè clauſis ſigillo *Hermetis*. Et hâc internâ & externâ applicatione inſenſibiliter morbus eradicabitur & devoratæ carnes magis, quam viperinæ depaſtæ humidum noſtrum radicale aëreum, lucidum, mundum, vegetum & rotundum reddent.

Hactenus præfatus *nominatiſſimus Burrus*, qui, uti erat ingenio perſpicaciſſimo in rerum naturalium cognitione: ita non rarò ex facie de totius corporis conſtitutione plurima vaticinabatur. Hinc enim in conſilium medicum vocatus icones magnorum Principum & virorum ſibi depoſcebat, ut tantò rectiùs in conſtitutionem eorum penetrare poſſet, & quopacto interiora viſcera ſe haberent, inquirere. Uti enim macrocoſmi compendium homo eſſe exiſtimatur: ita, ajebat ille, hominem ſive humanum mundum in ſe quoque habere proprium compendium in vultu, & corporis noſtri imaginem eſſe faciem. Oculos proinde appellabat cerebri renes, quòd natura ſe per eos mundificet à ſeroſis humoribus: & humidum radicale partium omnium tenuem unctuoſitatem lacteam eſſe, extractam ab humoribus putridis, quibus enutriatur corpus humanum, ſtatuebat; atque ideò errare omnes, qui omnem è corpore humano putredinem delendam exiſtimarent. Quin & fugiebat depuratiſſima chymicorum arcana, alimentitios humores attenuantia, & inprimis vitæ elixiria, ſulphureis ſpiritibus vini compoſita, & uti dicunt, ſpiritualiſata, palatum comburentia & mordicantia, & noſtram viſciditatem vivificantem velut interficientia: hæc, inquam, proſcribebat à ſuis præſidiis, inprimis in naturis gracilioribus, ne, uti verba ejus ſonabant, ex nimis ſubtiliato medicamentorum uſu, aut etiam ſtrictiori diæta, citiùs ad ſanctum triangulum homines promoveret, & quidem, quòd ſciret, elementorum qualitates continuò concurrere, ut ſeſe conſervent, & omnia in eis degentia proportionentur cujuſcunque individui

dividui vitæ. Laudabat tamen medicinas ex aëre cum Philoſophis adeptis, propterea, quod in eo occultus ſit vitæ cibus, quique, cùm neque ſit dulcis nec amarus; ſed verè inſipidus; nihilominùs omnia amara & dulcia tanquam actus naturæ ſecundarios alat multiplicet & continuò ſuppeditet animantibus vim attenuandi vitalem illorum ignem circa objecta alimenta. Ideòque medicinas illas, quæ aſtraliter ex aëre eſſent captæ & cum auro gemmisq; pretioſis maritatæ, citra mordacitatem & aliquam cauſticam deleteriamve facultatem, tanquam omnium ſemina rerum in ſe concludentes magnifaciebat & propinandas ſuadebat. Æruginoſorum humorum, à *Galeno*, propter ſimilitudinem, quam cum ære habent, ſic dictorum genealogiam deducebat ab aciditate, & non ob ſimilitudinem; ſed reverâ eſſe æruginoſos, & minerales ſuccos pronunciabat, propterea, quòd, cùm aliquādo anatomiam celebrâſſet humorum, verbis ipſius loquor, deprehendiſſet, eſſe metalli ſimiles & ſuſtinentes ignis fuſiones. Naturam verò metallificantem in corpore humano extirpari poſſe cenſebat medicinâ ex auro deſumptâ per auram, quæ tamen in ſe (NB.) non habeat illam viſciditatem cum tali igneitate permixtam, acſi eâ vellemus ſanare aliquod corpus metallicum, à ſuâ leprâ naturali. Nam, ſubinferebat, quamvis mundificatio metallorum fiat, cum omnium atomorum à centro ad ſuperficiem revulſione, quâ indigemus etiam in ſanandis corporibus humanis & animalibus; nihilominùs illâ glutinoſitate omnes atomos in unam tantùm rem conſtipandi, quâ egemus in transmutatione metallorum, non egemus in transmutatione humorum in corpore humano. Quia ſpiritus ſuffocaretur ex condenſatione totius liquidæ ſubſtantiæ. Ideóque in auri tinctura parandâ requirebat talem, quæ dulcis eſſet & emolliret mercurioſitates virtute ſpecifica tali, ut ad naturam alimentitii humoris animalis perducerentur. Porrò, humores aſſimilabat, in vegetatione quidem, herbis: in ſpiritibus verò, animantibus, videlicet piſcibus & inſectis, quibus non tantùm venæ fluminum; ſed carnes etiam provinciarum hujus magni mundi, quas terras appellamus, repleantur: ratione verò viſcoſitatis te-

nuis

nuis & mollis, ductilitati metallorum ſymbolizare eos aſſerebat, quo pacto videamus quotidie, arbores habere ſignaturam nervorum, venarum, & medullarum, & ex ipſis fructibus gigni quotidie varia genera inſectorum. Imò confirmabat: ipſa quoque metalla transmigrare in herbas & animantia, ſi ritè alterentur, & hoc quidem neceſſariò requiri à metallis, ſi eſſe debeant medicinæ propinandæ hominibus, aliâs ſaxis exhibendæ. Et eduxiſſe ipſum è plumbo, per aërem corrupto, muſcas plumbei coloris, habentes alas & mucoſitatem ſuam metallicam in ſuo ventre, miraculoſiſſimam in extirpandis omnibus fiſtularum generibus. Itaque auri tincturam rotundam, (ſic enim appellabat perfectam) dulcem & ſuavem, quæque in animalem facultatem commigrare poſſit, requirebat contra malas renum impreſſiones, propterea quod terreſtre elixir illud ſi exaltatum ſit ad qualitatem ſanguinis, ſimul unâ eâdemque vice immutet nephritica excrementa, ut ex terra aſcendant ad naturam elementi, per cæleſtem illam vim deliteſcentem in eâ balſamicâ terrâ medicinali, quæ fermentum etiam calculorum terreſtre & acidum elevet, ad ſuſcipiendum formam nutritionis, citra tamen deperditionem illius putredinis, in qua omnes vivimus. Aërem appellabat cum Philoſophis cibum inviſibilem, & ſi oſſis ſpongioſi aliqua extaret ſive compreſſio, ſive obſtructio, atque ſic ſpiritus aëris non debitâ quantitate hauriretur, lactei humoris lapideſcentiam in orificiis magnarum arteriarum, præcipuè pulmonis, quem follem nominabat ſtomachicæ culinæ, derivabat. Et pulmonem quidem flamine ſuo ignem cordis agitare: frigiditate verò ſui ſpumoſi alimenti æſtum ejus blandè demulcere ſtatuebat. Cùm aliquando *Argentorati* ad eum accederet Studioſus, ſecreto quodam affectu diu preſſus, & quidem juſſu præclariſſimi, hactenusque in Schola Medica celebratiſſimi Sebitzii ſenioris, & verò Studioſus interrogatus, quo morbo laboraret, ex pudore non ſtatim reſponderet, dubius, quo nomine malum, quo premebatur, appellare deberet; protinùs acceptâ *Burrus* chartâ & ſeriò hominem intuitus, depinxit locum & latens circa anum, hactenusque aliis incurabile malum, quod non crediidiſſem aliis, niſi ipſius *Senis Sebitzii* cordatiſſima relatione id accepiſſem. Alia vice,
malè

malè & cùm maxima difficultate egerentis ancillæ inteſtinorum conſtitutionem, ex diſtortis manuum digitis, adſtanti ſibi Domino *D. Küffero*, *Medico* celeberrimo, amico meo honoratiſſimo aperiebat. Hæc, aliaque, quæ manifeſtabat ſecreta, plurimi ad Diabolum referebant. At prognoſin illam ex naturæ ſignis haud eſſe difficilem neq; impoſſibilem, ille facilè judicabit, cui corporis cum facie cognita eſt correſpondentia. Conſideravimus, *inquit*, *Ioh. Baptiſta Porta*, *lib.* 4. *c.* 45. *de humanâ phyſiognomiâ*, quandam eſſe proportionem, inter faciei & totius corporis partes, & ſibi invicem reſpondere, ut quantitate & qualitate, ſic etiam ſignis. Naſum vidimus præputio reſpondere, ut quibus longus, obtuſus, brevis vel acutus eſſet, eadem & mutonis forma eſſet. Sic etiam nares teſticulis: labia & oris ſciſſio naturæ oſtii liminibus reſpondent: facies imo ventri & natibus, ut, quibus carnoſa & corpulenta, tenuis vel ſtrigoſa eſſet, eaſdem ſimiles habere contingat: collum cum cruribus & brachiis eandem ſubeunt rationem: aures cum coſtis, oculi cum ano: ut ita pars in facie, quæ hujuſmodi ſignis imprimeretur & corporis partes, quæ illis correſponderent, iiſdem etiam ſignarētur. *Vſque huc Porta*: ubi & experimenta ſubjungit. Et hæc quidem ars omninò videtur eſſe cognitu neceſſaria Medico, cui dijudicationes morborum non rarò ſecretorum offeruntur, ut, dum ex aliis ſignis eos cognoſcere nequit, per hanc phyſiognomicam in eorum cognitionem perveniat. Sic enim ſtupenda intelliget, & tanquam aliquid præter naturam ſciret, habebitur. Vituperabitur quidem, ſed ſine causâ & inſons, dum è naturæ penu profert, quæ alii non intelligunt. Sed ad *Burrum* redeo.

Per aërem, uti hactenus memini, voluit ille ſua medicamina parari, præſertim ex regno metallico. Quis verò ille Chymicorum aër ſit, id ex huj⁹ Chryſogoniæ lectione procul dubio noverint, qui me intelligent. Intereà verò, in gratiam eruditorum, non verebor huc adſcribere, quopacto ille aquam ex aëre piſcatus ſit, vel rarefactam in aëre aquam viſibilem reddiderit. Accepit ille vitrũ in ſummitate patulum inſtar pateræ, infrà verò pedetentim acuminatum & clauſum. Indidit a. vitro illi magnam argẽti vivi copiam, inferioriq;

x acumini

acumini ſuppoſuit vitrum aliud pro excipulo, & in æſtate ſummâ in terræ cavernâ profundiori id collocavit, quo factum, ut ex frigiditate argenti vivi calidus aër reſolveretur in aquam, & exterius per vitri latera deflueret in ſubjectam phialam. An verò aëreâ hâc aquâ uſus fuerit in ſuis medicinis parandis, id mihi pro certo affirmare noluit. Mihi intereà deguſtanti aquam, quâ pilulas ſuas catholicas & aureas paravit, ſuſpicio nata fuit, propter acidulum ſaporem phlegmatis vitrioli, ſive, nî fallor, roris mineralis *Mynſichti.* Dictitavit cæteroquin egregia pro magnis Viris, eaque plurima & lectu digna conſilia, quorum publicationem præmemoratus *Medicus inſignis & celeberrimus Dn. Küfferus*, ſi vellet, promovere poſſet.

Mihi verò, antequàm hinc abeam, adhuc meminiſſe liceat herbæ, cujus *Gratarolus* pro renovatione meminit. Dicitur, inquit ille, *in libris Hermetis*, eſſe quandam herbam, vocatam STATU, (metaphoricè intelligunt Philoſophi) & eſt ſimilis majoranæ: cujus folia cæleſtis coloris ſimilia foliis viticellæ. Hæc autem egreditur à terrâ ſine foliis, & unoquoque die Lunæ folium ei naſcitur. Tranſactis 15. diebus abſcedunt ab eâ folia: ita, quòd unum folium per unumquemque dierum reſiduorum aufertur & nuda remanet prout prius exivit: & hæc herba naſcitur in montibus, & in ripis fluviorum, & habet folia rotunda ut denarius: lignum ejus eſt rubeum & flores citrini, & odor, ut muſcus, & lac habet croco ſimile. Et dicitur, quicunq; acceperit de hâc planta, ad pondus unius denarii, cum tantundem (ſiru) puto ſyrupi vel vini unciam unam, & clauſerit in vaſe tribus diebus, & ex ipſo biberit per aliquos dies, ad pondus trium carrubiarum, pili ejus cani cadent, & renaſcentur nigri. Si pro cibo cum lacte vaccæ per tres dies de illo modicum accipiat homo, juveneſcit. Cùm verò, qualis hæc ſit herba, hactenus non legerim, meditari intereà cæpi, de herbâ, lunaria dictâ, de quâ nonnulli ſentiunt, quòd etiam metalla quædam meliorandi poteſtatem habeat. Hoc verò impoſſibile non eſſe, *ex Burrianis* ſuprà innotuit. Si enim metallum in herbam, herba in hominis naturam converti poteſt; cur non retrogrado ordine, & herba in metallum poteſtatem haberet, inprimis, dum nuper ab amico revelata

lata mihi eſt herba, unde vitra queant rubeo colore per minima tingi, cur ergò lunaria non etiam habere poſſet vim metallum unum vel alterum dealbandi, aut etiam hominem in meliorẽ ſtatũ immutandi? Si qui ſunt, qui, quid ſtatu ſit, rectiùs noverunt, gratiam hanc faciant, atque eam herbam tandem revelent. Intereà non pauca nobis promittunt læta & ſalutaria ex lunariâ & rorellâ, herbis, Scriptores, quarum herbarum hæc Solis, illa Lunæ influentiæ ſubeſſe dicitur. Videatur de *Rorellâ Conradus Khunrath p.*171. *& Iſaacus Hollandus tractatu peculiari de Rore Solis.* De Lunariâ verò ſcribit *Carrichter*, quòd temperata frigiditate prædita ratione materiæ, ſed ratione ſpiritus penetrantiſſimæ ſit naturæ, ad delenda ex veneficio vulnera & carcinomata, & aperiendas obſtructiones poroſque, in quibus ſpiritus ſanguinis captivus detineatur. Hinc notavit in antidotario ſuo Medico-Chymico, *Iohan Daniel Mylius Wetteranus: lib.* 1. *p.* 474. *Lunariâ*, quæ habeat ſignaturam cancri, *Carrichterum* omnes mamillarum cancros curâſſe: Et hoc quoque præſtare rorem Solis. Prædicat verò idem *Carrichter Lunariam, contra morſum canis rabidi, lib.* 2. von alten Schåden / *ex ſanguine c.* 5. ubi & ſcribit: Flores ejus nonnunquam rubeos, nonnunquam citrinos eſſe.

Ego ſanè, cum ſucceſſu multoties ejus ſemine, quod eſt inſtar ſeminis lycopodii, uſus ſum contra epilepſiam. Fortè & calculo medetur meliùs, quam lycopodii ſemen, ob ſignaturam renum, quam habent folia. Sed aliam adhuc habẽt *Hermetis* filii Lunariam, de quâ verò in præcedentibus nonnihil actum: unde Lunariæ ſuccum mirè extollit *Roſarium Philoſophorum*, qui verò non eſt ex Lunâ vulgi, ſed ex Lunâ philoſophicâ: teſte *Avicennâ in tractatulo*, qui habetur *in volumine primo artis auriferæ.*

Tandem verò etiam de *Bryoniâ* mihi ſermo eſt inſtituendus, quam, ſi quæ alia eſt, ad vitæ inſtaurationem & conſervationem, imò & ad canos retardandos & plurium morborum curationem à Creatore datam, non levis mihi nata eſt, ſuſpicio. Dum primò ſimilitudinem & ſignaturam ejus ſæpe contemplatus ſum, quam cum toto corpore humano habet. Uti enim totum corpus huma-

num tenuiſſimis pilis veſtitum eſt: ſic hæc herba tota quaſi piloſa eſt & fibroſa, adeò ut contuſa & emplaſtri modo impoſita in pilos omninò reſolvi videatur, pilis ſive progignendis ſive eradicandis idonea. Dein notavi in eâ, recenter in majo collectâ, caput, aures, brachia, pectus, umbilicum cum appendice, pedes, manus, cum digitis, veretrum, & appendicem in inguine, velut funiculum, cui infans materno in utero adhæret, ut credam: non eſſe à vero alienum, agyrtas exinde non rarò fingere mandragoras, easque charo vendere pretio. Hinc comitialibus prodeſſe dicitur & attonitis, à drachma unâ ad duas cum vino data, ac proinde ſenſus purificare: prodeſt aſthmaticis & difficulter ſpirantibus, ſtrangulatu oppreſſis, tuſſientibus, convulſis, ruptis & laterum doloribus: medetur ſcabiei: immundisque vulneribus & ulceribus prodeſt: putrem & malam exeſt carnem: rumpit ſuppurationes: emendat vitia cutis, maculas, varos, lentigines, cicatrices nigras: tollit ſuggillata: extrahit oſſa infarcta & aculeos: lienoſis commodat, ut etiam in ſcriptis multorum reperiatur, triginta ex ordine diebus potam minuere lienem: purgat per alvum pituitam: unde ſenſuum organis convenit, & moratur ſenectutem: hydropem ſanat: trahit ſecundas fœminarum: hyſtericum ſanat morbum & muliebria purgat: & turiones ejus, tempore veris, plus proſunt urinæ ciendæ, quàm aſparagi. Succus radicis collectus ante ſeminis maturitatem, illitusque, lætiori quodam colore & cutis teneritate corpora mangonizat, id eſt ornat. Fructus rubeſcentes pſilothrum ſunt, capillos enim defluere faciunt, imò & ſuccus ejus illitus dolores artuum ſedat: concretum & extravaſatum inque cute hærentem ſanguinem diſſolvit. Si quis tempore Maij, quod experimento certo cognovi, radicem inſtar pateræ in terrâ excavat, eamque pòſt ſuo operculo claudit, colligitur in cavitate ejus humor ex rore fortè inibi collectus per noctem, qui maximam vim habet podagricos dolores ſopiendi, ſiquidem & in doloribus & tumoribus aliis, ubi grangræna aut ſphacelus pertineſcetur mirè officium ſuum præſtat, quod in chariſſimâ uxore m à exoptatiſſimo ſucceſſu deprehendi. Cùm enim, anno 1670. in puerperio, magno corri-

peretur

peretur pedis ſiniſtri tumore, cum tantâ ejus induratione, ac ſi in ſaxum converſus eſſet, doloresque intenſiſſimi, & tanquam extremum frigus, cum extremo æſtu in eo certarent, ad necem fere eam deducerent, & jam gangrænam pertimeſcerem; cum ſucceſſu radicem hanc contuſam cum cerefolio frixo miſcui & calidè impoſui. Cùmque ob adultum autumnum, erat enim magnum tum in Novembri frigus, vix habere poſſem radicem illam recentem & contuſioni aptam; atque eum in finem mihi vicinum Chirurgum, cum filio meo, & alio adhuc, qui jam Laboratoris Chymici in aulâ Sereniſſimi Principis mei vicem ſuſtinet, mitterem extra portas, an fortè eam adhuc dignoſcere & reperire inter dumeta poſſent? commodè accidit, ut, dum aliquam inveniunt, eamque jam parùm circumfoſſam extrahere volunt, coram oculis ipſorum, Sole jam occidente, illa ſe ultrò circumverteret, quod ipſi, cùm veluti attoniti reverſi eſſent, mihi ſanctiſſimâ fide aſſeverârunt, rem ſanè mirandam, à nullo, quod ſciam, obſervatam hacten⁹. Unde Solarem hanc herbam non malè quis augurari poſſet, ac proinde vitæ noſtræ & cordis affectibus maximè idoneam. Et ſpectaculo quidem eo motus radicem illam ſemper potui ipſius deinceps indidi, unde & plenè tandem convaluit, DEO ſic volente & dirigente opus manuum mearum: cui ſit Gloria & Laus & Gratiarum actio in ſempiterna ſecula.

Ne verò adhuc ſit, qui de miro ejus, ad vitæ integritatem & virium conſervationem, imò & canos retardandos, ſive ſenectutem prohibendam, effectu dubitare queat, proinde, qui vult, legat modò, quid de quodam R. C. Fratre, quo cum *Wetzlariæ*, anno 1615. ſibi ſermocinandi data fuit copia, retulerit, in libello, ſpecialiter de eo edito, Imperialis illius urbis Medicus celeberrimus, Dn. D. *Georgius Moltherus*: & deprehendet, Virum illum, *Roris Cocti Fratrem*, qui vultu & corporis conſtitutione quadragenarius vel 45. annorum exiſtimabatur, reverâ tamen octuaginta unum annos, nullos autem canos in capite habebat, neque ullum dentis defectum paſſus fuerat, ſolo Bryoniæ uſu tantum vigorem habuiſſe. Sic enim *præfatus Dn. D. Moltherus*, in ſeiner denckwürdigen Hiſtori

von einem Bruder deß Ordens R. C. *p.* 99: Als wir der Bryoniæ oder Stickwurtz zu Rede waren/aſſe er groſſe Stücke davon/unvermercket einiges Unwillens/ und ſagte / daß er mit ſolcher Speiſe ſeine Leibs-Kräfften erhielte / dergleichen ihm keiner bald würde nachthun können/ von wegen dieſer Wurtzel Artzneyſchen Geſchmacks und Widerſpenſtigkeit/ es ſey denn/ daß einer im Munde keinen Geſchmack / einen ehernen Magen und ſteinerne Gedärm hätte / wie der *Horatius* von dem Knobloch mit dem *Mecænate* ſchimpffet / oder ſonſten ſein Maul zu ſolchem Salat mit langem Gebrauch gewehnet hätte. Solche Wurtzel aber habe er den erſten Maij gegraben &c. Id eſt: cùm de Bryonia nobis ſermo eſſet, magnum de eâ fruſtrum manducabat, ſine ullâ nauſeâ, ajebatque: quòd hoc cibo vires corporis ſui conſervaret. Neminem verò ſe hoc pacto facilè æmulum habiturum, propter radicis illius medicum & ingratum ſaporem, niſi quis ſaporis expertem linguam, æneum ventriculum, & lapidea inteſtina habeat, prout *Horatius* aliquando de allio cum Mecænate luſit, aut os ſuum ejuſmodi ferculo aſſuevisſet. Et radicem illam quidem ipſum Kalendis Maij effodiſſe. Tantum de Bryoniâ.

Uſque huc ergò occaſione renovationis de plurimis variiſque rebus diſſerui, ubi non negligendum: celebrari quoque nonnulla, quæ poſt mortem corporis corruptionem impediant, quod de roſmarino aſſeruit *Fallopius*, ſiquidem ſcripſit: quòd, qui ſæpe utatur vino cum roremarino parato, poſt mortẽ corruptionem non patiatur, quod & de oleo quodam deſtillato affirmat, *in medullâ deſtillatoria Conradus Kuhnrat part.* 1. *p. m.* 380. Sed eò uſque vix progreſſus datur, ut, licet Philoſophi Adepti obſervaverint ab *Halcyone*, è primis entibus ſe nutriente, & quotannis ſuam cutem & plumas poſt mortem renovante, & *in Bombyce* vermiculo abjecto, qui abſoluto functionis penſo, emoritur, & poſt putredinem ſepoſitis prioribus vermiculi repetitis exuviis in vivacem & volantem transformatur & reſurgit papilionem, & in *formicâ*, cui in ſenectute natura alas creat, & ex animalculo repente muſcam volantem facit: ex *ſerpente* verò exuviarum abjectionem, & ex *phœnice*, ſi quis eſt, quique è cinere reſurgere fertur, variæ ſortis tranſmutationes, in-

novationes

novationes & alterationes; etiam didicerint, quopacto hominibus renaſci poſſint artus, ſicut cancris chelæ, niſi fortè contrarium doceat lingua. De cujus reſtitutione poſt corruptionem legi poteſt *obſervatio in omnium ore adhuc poſt mortem viventis Dn. Gregorii Horſtii, quam conſignavit ex ore Patrui ſui Dn. Iacobi Horſtii, olim in Academiâ Juliâ Profeſſoris celeberrimi, in declaratione aliquot problematum ad decados 3. quæſtionem* 8.

Cæterùm, de ſubjectis hactenus variis egi, ut proinde nonnemo, ſicut apud Coſmopolitam Alchemiſta, quærere aut lamentari poſſet, & quis inter tot ſubjecta tandē inveniet aureum & foliis & lento vimine ramum? Reſp. Diſcat, qui dubitat, clavem fabricare & arcas aperire, & inveniet in individui cujuslibet reſolutione aurum Philoſophorum. Una ſiquidem omnium Philoſophorum intentio eſt, rejicere binarium præternaturalem, id eſt, cornu divortii, & ternarium ad unitatis naturam adducure, id eſt: ut per ſeparationem ſubtilis à ſpiſſo, & terræ ab igne, tanquam damnatarum rerum, hæc duo, id eſt, cælum & terra depurata in unitatem indiſſolubilem & fortitudinem rerum fortiſſimam coeant. Etſi enim per diviſionem, in Geneſi, ſuperiora ab inferioribus orta ſunt: non tamen illa effecit binarium contra naturam; ſed naturalem, qui ſub unitatis vinculo concluſus ternarium exoptatum efficit, & in unitatem facilè redit. Binarius verò contra naturam eſt id, quod nonſolùm DEO, ſed & naturæ eſt inimiciſſimum, & quo Diabolus omnia quæ creata ſunt perdere conatus eſt, quodque rebus omnibus, tanquam terra impura & damnata adhæret. In cælo clavis eſt, in terrâ carcer, ubi ſulphur ligatum jacet. Cælo itaque ſulphur libera, & ſulphur ſe cælo maritabit, & cælum cum ſulphure in indiſſolubilem coibit amicitiam. Id quod unicum eſt, quod nobis ſanitatis & felicitatis fructus parit. Sive dein fit in torellâ, bryoniâ, aut chelidoniâ, ſive mannâ, melle, vino, aut ſaccharo: ſive vitriolo, antimonio, nitro aut etiam alibi. Neque enim cælum vel elementa eo carent, quin potiùs ex omnibus rebus, imo & è mari depromi, imis è fontibus hauriri aut à ſcopulis ſaxisq; colligi poteſt. Una eſt natura: una emanatio: Adaptiones ejus infinitæ.

Occul-

Occultum ut fiat manifeſtum, neceſſe eſt. Res invenienda, quæ occulta eſt, ex quâ, miro modo, talis fit humiditas, quæ aurum ſine ſtrepitu ſolvit. Quicquid in conſpicuo eſt, in omni rerum genere, id non eſt illud, quod maximè præclarum eſt. Rident in oculis noſtris arborum flores & folia. Arbos ipſa mole ſe ſuâ latè oſtentat; at ſemen, in quo tota vis latet, abdita res eſt, & minutula, non lenocinans aſpectui, ſed fere deſpectui habita. Aurum & gemmas in altiſſimas terræ latebras recondidit natura. Quo quid præſtantius eſt, ſive elementum, ſive elementatum, eò à ſenſibus remotius eſt. Quod in animalibus optimum, id cerni nequit. In homine quod maximè divinum eſt & immortale, id ſolùm oculis non ſubjicitur. In omnibus pars vilior maximè patet ſenſibus: formæ vis & beneficium utilitate ſentitur, ipsâ licet à ſenſibus remotâ. In corporis phyſici temperatura phlegma & ſanguis ſenſibus familiaria ſunt: ſpiritus, qui ad vitam confert, omninò latet. Denique, in univerſo, quæ maximè ſunt, ea non videntur, veluti ſubſtantiæ, quas ſeparatas vocant. Aſcende igitur ſumma ingenii ſagacitate à terra in cælum, indeque rurſum in terram deſcende, ac vires ſuperiorum coge in unum: prout *Dn. Wilhelmus Chriſtophorus Kriegsmannus, amicus meus honoratiſſimus, & Hermeticæ tabulæ* ſedulus Reſtitutor, ex *Phœnicii* textus proprietate loquitur: Sic potiére gloriâ totius mundi; atque ita abjectæ ſortis homo ampliùs non habebere.

De COLORIBUS hîc mihi quoque agendum eſſet. Siquidem, prout pro Planetarum diverſorum incremento, ſpirituumq; fortitudine & libertate, aut etiam è contrà, homo modò nigreſcit, modo palleſcit, albeſcit, teneréſcit, groſſeſcit, flaveſcit, rubeſcit, & id quidem pro umbræ arctiori vel ſolutiori, majori vel minori cum luce per coctionem mixturâ: Ita etiam opus Sophorum varias ſuſcipit alterationes in coloribus. Saturno dominante, nigredine occupatur opus: Lunâ, albedine veſtitur. Sole, rubedine: prorſus ad eum modum, quo etiam natura utitur, in vegetabilium germinatione. Uti enim in cælo Planetæ ſuum obſervant regimen: Ita quoque in terra operoſi ſunt, & ſe per ſuas exerunt potentias.

Et

Et uti Sol in cælo eſt: ita quoque in quâvis re creatâ Sol ſuas habet proprietates, ſemperque Sol cæleſtis anxiè quærit ſe conjungere Soli terreſtri. Exempli gratia: Cùm germinare incipit in terrâ granum tritici, atque herbula inde naſcitur, tum primò lacteſcit, ſive albeſcit, quæ albedo lucis proprietatem manifeſtat: dein bruneo colore amicitur, qui ex impreſſione Saturni & Martis oritur: poſteà virideſcit à virtute Jovis, & Veneris amabili deſiderio, quo feruntur in Solem, imò cælum, quod ex aquarum centro factum, veſtit eam quoque pro ſtellarum conſtitutione, quæ & ipſæ ſuas vires recens nato infanti ſive herbulæ communicant. His verò in herbulâ adhuc tenerâ combinatis, quædam fit potentiarum concertatio, dum nulla otioſa eſſe, ſed pro naturæ ſuæ proprietate agere incipit, & impreſſiones ſuas inſtituit. Mercurius ſeparat: Saturnus adſtrictione characterizat: Jupiter amoris eſt vis in ſulphure, ſive blanda ſulphuris eſſentia: Mars ignea vis: Venus eſt ſuavitas aquæ: Luna dat corpus, quia eſt mater: Sol cor, ad quod omnes proprietates tendunt. Sol internus excitatur ab externo, & externus intrando centrum, hoc movet ad ſuperficiem. Saturnus acerbitatem manifeſtat: Jupiter ſaporem amabilem: Mars amaritudinem: Venus dulcedinem: Mercurius diſtinctionem ſaporum, ſemper ſeparando, procurat: Luna dat menſtruum, in quo tinctura abſcondita latet, & dum quilibet Planetarum, pro poſſe ſuo, verſus Solem properat, quædam, uti dictum, concertatio potentiarum oritur. At Mars, dum in proprietate ſuâ igneâ ſpiritum urget in ſulphure, Mercurius quodammodo conſternatus ad latera ſecedit: Saturnus verò, pro contractivâ ſuâ naturâ & acerbâ impreſſione, in cauſa eſt, ut luce & igne concētratis, libertatemq; ſpiranttibus, tonitru quoddam quaſi fiat, uti in pyrio pulvere accenſo, in quâ accenſione Mercurius ejus ad latera ſecedens ramos producit: Saturnus verò nodos in culmo. Sed Sol, magis magisque Martis violentiam ſuperans, efficit, ut Mars amaritudinem ſuam amittat, quo facto, Jupiter & Venus in menſtruo Lunæ ſe conſecrant omninò Soli, & tùm Sol externus internum omninò occupat, coquiturque ſic horum virtus in ſummitate in grana aurea, in quibus

bus conjunctio temporis & æternitatis. Mars verò ab infra cum Mercurio urgent culmum in altum. Intereà Sol internus eſt ſulphur in Mercurio.

Non aliter ſe res habet in homine & Philoſophorum opere. Dum enim in hominis quidem ſemine Sol internus ſe promovere cupit, ut homo inde omnib⁹ membris perfect⁹ fiat, excitante Sole externo & matris calore, Mercurius primam experitur actionem, & inde rotam ſuam agitat & ſeparationem inſtituit: Saturnus characterem largitur, ut ex homine fiat homo: Mars animâ ſuâ igneâ vegetationem promovet; ubi tamen Mercurius quoque ſeparat Saturnum à Marte, ut proles pulchra evadat, inque omnibus partibus abſoluta: unde jam Venerea emergit & blanda ſuavitas, corpore per Lunam adæquato, in quo tinctura adhuc latet, donec tandem Sol internus, omnibus ſub imperium ſuum redactis, exhibet microcoſmum perfectum, & luce plenum, qui audiat, videat, odoretur, ſentiat, loquatur, guſtet & rationis ſit denique particeps.

De Philoſophorum opere res quoque haud videtur difficilis. Sulphur in carceribus Saturni occultatum & captivum detinetur. Sulphur hoc, Solaris naturæ, liberandum eſt. Quod verò aliter fieri nequit, niſi per Mercurium, qui artifex eſt & vita captivi & fere emortui Solis. Dum itaque Mercurius Sophorum regimen ſuum adoritur, velle quoddam habet promovendi ſe in Solem, ubi profectò non leve certamen oritur inter Mercurium & Saturnum, donec, poſt nubila, phæbeia proles incipiat paulatim liberari, Saturnique potentiam in tenebroſâ nocte pedetentim ſuperari contingat. Hacten⁹ enim nigredo: quâ diſparente & Jove jam ſceptra accipiente varii colores orientur, & denique albedo ſuccedet, ſubſequentis Lunaris regiminis indicium; quo peracto, etſi *teſtante Philalethâ*, jam Lunaris lapis perfectus ſit; nihilominùs ulteriori, ſed debito ignis regimine mota materia Veneris ſe imperio ſubmittet & virideſcet: verùm, cùm & hæc ſuam abſolverit ſphæram, ſuccedet flavo brunneoq; colore Mars, cum variis intermediis colorib⁹ donec tandem Sol victor evadat. Et ſic ſub Saturno quidē terrena potentia reſiſtat: à Mercurio verò diluatur & vincatur. Sub Jove

aër

aër clavum teneat; ſub Lunâ aqua, cui, ut etiam aëri Venus ſuum debet regimen. Sub marte ignis: Sub Sole verò lux. Cæterùm, quæ de coloribus hinc inde ſcripta leguntur, lætiùs videri, quàm ratione indagari poſſunt. *Hæc itaque ſufficiant.*

Ad IGNEM denique accedo. Ideoque ad unam animi paſſionem laxo ſermonem meum, iram, quæ innumerabilium morborum mater eſt, & ictu oculi celeriùs movet inordinatè vitæ ſpiritum, ut labaſcant genua, appetitus pereat, ſtent comæ, vox hæreat, ſpumet ſaliva, ſudores excitentur & variæ in corpore procellæ ſuboriantur. Vis illa eſt mordens & cauſtica, bilis ſuperabundantis & excentricæ proles, veneni productrix, ut per eam homo eſſe deſinat homo, atque brutalem planè induat naturam, excuſſâ omni ratione. Pediſſequos habet calorem, fulgura & ſcintillationes oculorum, æſtum ſanguinis, præcipitem pulſum cordis. Sagittas fabricat in linguâ: in animo flammas: in mente tenebras: ut neſciat homo irâ abreptus, quid agat, quid videat, quid audiat, quovè denique feratur, & vel imbelli aliâs columbâ mitior jam bella meditetur, & ad prælia concitetur inermis. Refert *Lucianus in Cynico*: equitem, furibundo ac ſternaci equo conſcenſo, præcipiti curſu per avia & devia abreptum, & quò tam concitatè pergeret rogatum, reſpondiſſe: quò illi, monſtrando equum, libitum eſſet. Haud aliter de homine concitatioris mentis ſentiendum. Pergit ille, non quò ratio vult, aut DEUS, ſed quò ira ipſum abripit. Imò in ſcopulos & ſaxa impingit. Et velut undoſis fluctibus agitata cymba, rectore jam ſubter Maris poteſtatem, amiſſo clave, redacto, pellitur, tandemque in voragines abſorbetur: ita præcipitio nemo magis obnoxius, quàm homo iratus, ut proinde *Xenophon* ferociam in equis iracundiæ hominum ſimilem haud falsò pronunciaverit, neque incongruè ideò, vulgari parœmiâ, ubi quis excandeſcere incipit, equum inſcendere dicatur. Non hîc exempla congeram eorum, qui irâ ingens non ſolùm ſanitatis detrimentum paſſi; ſed & planè è vivis ſublati ſunt. *Seneca*, totis tribus de irâ libris, plures nobis commemoravit, quos ira confecit, quàm quos equus contrivit. Proſequantur illa Moralium Profeſſores. Mihi

ſit hoc loco ſatis, indicâſſe, quàm citò, calore aucto præter neceſſitatem, avolet Mercurius, nullum ſui veſtgium relinqens, ſulphurque admoto carbone concipiat flammam, ſicque totum non ſolùm conflagret, ſed & proxima incendio corripiat. *Baptiſta Mirandulanus*, Ferrariæ, in duello, adverſarium equitem aggreſſus territum in fugam converterat, cùm è veſtigio ipſe victor in equo nutare, exanimari, corruere, & ſine vulnere exſpirare, attonitâ ſpectantium coronâ. *Wenceslaus*, quia prægustator minùs ſapida propinârat pocula, ab effræni iracundiâ vivis ereptus eſt. *Simon & Levi* vehemente irâ perciti, propter *Dinæ* ſororis ſuæ raptum, *Sichemitas* interfecêre omnes, nullâ nec periculi ſui, nec innocentium, nec parentis, fratrumque ſuorum habitâ ratione. *David* placidus aliâs, & qui perſequenti *Sauli* parcere noverat, repulſam à *Nabale* paſſus, quid non moliebatur? Habent nempe hoc illæ animi paſſiones, in quibus excentricitatem bilis patitur, aut plus juſto intenditur, ut ſuperato acido, & ſubter poteſtatem ejus moderamine congruo redacto, phrenitides, febres & ſubitam mortem inducere aptæ ſint. Uti voluptas in porcos: ſic iracundia in Leones & Tigrides & his crudeliores plerumque transformat. Deeſt iracundiæ charitas, deeſt juſtitia, modeſtia, patientia, humilitas, quies, magnanimitas, affabilitas, gravitas, miſericordia. Moderata ibi nulla: hinc & virtutes nullæ. In incensâ iracundi domo habitant, ignibus, fumo, vento & flammis undique circumſepti. Ira pleureſis eſt, continuò pungens: Peſtis citò corpus & animam interficiens: cauterium continuò urens: febris, continuò phantaſiam turbans: phrenitis, continuum delirium ſuſcitans: peripneumonia lethalis, ſpiritum auferens: angina fauces præcludens. Saliva virulenta canis, hydrophobiam inducens. Et quid memoro? Crudelius à ſe invicem diſtrahuntur, qui ſubjacent iræ, & vincuntur hoc affectu, quàm *Metius Suffetius*, qui, quadrigis in diverſum actis, corpus divellendum præbuit. *Phaëtonti* ſimiles ſunt, qui incertus, quò equos ſuos dirigeret, ab equis ſuis abreptus penè totum accendit orbem, ſeque ipſum perdidit.

Ut verò de affectu hoc ſerii ubiq; inſtituantur ſermones, non

ſolùm

ſolùm à Theologis & Moralium Profeſſoribus; ſed & Medicis, omninò neceſſarium eſſe duco, ob laxos hominum animos, qui ſive nobiles aut ignobiles, inconſulto errore ad duella, ad bella, ad vulnera, ad cædes, levi ſæpe occaſione, meracioris vini potu feruntur, ut inteſtinum ſanitatis ſuæ hoſtem pernoſcere diſcant non ſolùm; ſed & æquiores in amicos & convictores ſibi comparent ſatellites. Siquidem, dum ſuæ exiſtimationis nimis tenaces, vel ob externum geſtum, vel verbum non apprimè contortum & expolitum, ſubitas concipiunt iræ flammas: dum proximo inſultant, vindictamque moliuntur; illum quidem lædunt: at neminem magis, quàm ſe ipſos, ut ſic verificetur proverbium, quòd nemo magis lædatur, quàm à ſe ipſo. *Galenus*, Medicorum Princeps, in uno oculo centum & duodecim obſervari morbos prodidit. Eſt, qui ad calculum reduxit: In ſolis *Pandectis* novies mille, centum & nonaginta octo leges cenſeri. In *Codice*, quatuor mille, quingentas & quinquaginta quatuor: atque in *Novellis* centum ſexaginta octo, haud numeratis ſtatutis, commentariis, conſuetudinibus, gloſſis, decretis, reſcriptis, oppidatim, pagatim, populatim, ſine numero congeſtis. Imò, neque computatis Doctorum opinionibus, quas inter, ut cum *Senecâ* loquar, haud faciliùs ſæpe convenit, quàm inter horologia. Si mihi ad conſcientiam loquendum, audacter aſſero: pluribus vitiis & periculis obnoxium eſſe hominem irâ abreptum, utpote qui cælum, terram, virtutes, cæteraque omnia oblitus vel ipſum DEUM cum Angelis concutit, atque inſtar ſulphuris mineralis accenſus ad æthnæas ſubitò ſibi viam ſternit paludes. Sed, quis frænum injiciet hominum libidini? quis contentionum rixarûmque cauſas omnes vel cogitatione ſolâ aſſequi poterit? Ubique mœrores ſunt & angores, & legibus optimis in diverſa tractis, ne in foro quidem contentionum finis. Cùm videris forum, multitudine infertum, hoc ſcito, illic tantundem vitiorum eſſe, quantum hominum. Inter iſtos, quos togatos vides, nulla pax eſt. Alter in alterius exitium levi compendio ducitur. Nulli, niſi ex alterius damno quæſtus eſt. Imò, lis aliqua, non de tribus capellis, ut *Martialis* verbis utar: Sed vel de tribus capillis, imò de lanâ

caprinâ, anſerinâ, & leporinâ, uti habetur *in l.* 70. §. 9. *ff. de Legatis.* 3. atque ob cornua bovis in *leg.* 14. *paragr.* 2. *ff. de condiction. furtivâ*, inſtituitur, quæ eouſque multoties excreſcit, de die in diem, de menſe in menſem, de anno in annum, per replicationes, duplicationes, triplicationes, noviterque admotos aut ſuggeſtos à rabulis catapultas, in omnes partes verſatilibus, & vel ipſo Cerbero pejoribus, dum res, æs, ſpes omnis conſumpta eſt. Audivi multoties viros egregios optantes, ut inter Comitia Europæ univerſalia lex aliquando ſtatueretur, contra perpotationes & ingluviem, quibus hodie Germanis, aliisque nationibus nihil familiariùs eſt. Utinam & contentionibus & rixis, quibus plurimi, & maxima quidem mortalium pars pereunt! Verùm enim verò, quod *Tripartita* memorat *Hiſtoria*: Morientem quendam, ſed virum alias bonum confeſſum fuiſſe: Se ne aſſiduo quidem ſtudio, per ſeptem & triginta annos diſcere potuiſſe primum verſum Pſalmi trigeſimi noni: Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Idem ut fateamur miſeri mortales neceſſe habemus, licet puſillanimitatis ſit certiſſimum ſignum, in vindictam protinùs ferri, & ab ira commoveri, dum maximi viri & Principes, & quibus ſat juris & poteſtatis fuiſſet illatas plecti injurias, ſuppreſſâ animi commotione, vel tolerârunt eas, vel risêre. Quale quid egregiè præſtitit, teſte *Plutarcho*, *Philippus Macedo*. Cùm enim in Olympiis convitia jacerentur in ipſum, ac nonnulli dicerent: Græcos dignos eſſe ſupplicio, qui beneficiis à Philippo affecti malè de ipſo loquerentur. Quid igitur, inquit, facerent, ſi illos læderem? Alia exempla, cùm in ſacris, tum prophanis, obvia ſileo.

Sed quò progredior, in delineandis iræ incommodis? Nempe, ut demonſtrem, non æſtuanti affectu iræ regendam eſſe humanam Oeconomiam; ſed igne leni, molli & temperato, non aliter ac etiam in labore Sophico talis Ignis requiritur. Etſi v. in præcedentibus nonnihil IGNIS mentionem fecerim; non tamẽ verebor latiùs eum proſequi, cùm in Ignis notitiâ totum propemodùm negotium conſiſtat, neque omnes eodem modo de Igne loquantur. Quemadmodùm enim, *primò*, in hominis corde creditur reſidere ignis

centra-

centralis, ignis vitalis, Sol microcoſmicus, cujus beneficio univerſa corporis membra illuminantur irradiantur, & vivificantur: Ita etiam in materiâ philoſophicâ ignis reſidet. Siquidem, ut, ex gr. de auro dicam: certè, aurum ipſum totum nil niſi ignis eſt: phyſiognomia ipſius ignea eſt, & igneo impetu rapiuntur omnium mortalium animi ad ipſum hauriendum. Unde fortè aurum ab hauriendo dicitur; quia & ipſum corda haurit hominum, & virtutem in ſe continet maximam, quaqua versùm ſpargendi ſuas virtutes medicinales debitè reſolutum & præparatum, ut ab eo omnia corporis humani languida membra ipſique vitales ſpiritus reſtaurari queant. *Deinde*, quemadmodum ignis iſte microcoſmicus in corde, ut debitè nutriatur, opus habet novorum ſemper ſpirituum acceſſione, qui prævia putrefactione, fermentatione, reſolutione & ſeparatione, à cibis, potulentis, ipſoque ab aëre depromantur, per varias digeſtionum culinas: ita quoque aurum opus habet, ut per aurum ſimile recludatur, fermentetur & confortetur, non in hydrargyricum liquorem, uti nonnulli calumniantur per chryſulcam; ſed in ſuccidam transparentem materiam rori cæleſti ſimilem, & ſic ſimile à ſimili vincatur: ſimile cum ſimili gaudeat, & millecuplos in unitate fructus ferant.

Neque tamen hîc quiſquam objicere poteſt: Aurum eſſe incorruptibile, fruſtra ideóque ejus deſtructionem expectari. Nempe, ignis flamma vix de eo victoriam reportabit. At verò, eſſe illud corruptibile patebit, *ex* 1. *Pet.* 1. ubi aurum & argentum corruptibilia dicuntur. Quid verò ſimile illud aurum ſit, de eo jam ſatis per univerſam hanc Chryſogoniam actum. Eſt nempe ignis Philoſophorum artificialis, rorida illa & cæleſtis ſubſtantia: Eſt aurum Philoſophorum vivum: Eſt humidum radicale naturæ, calido ſuo mixtum, ubi humidum radicale ſe vaſis inſtar habet, calidum verò ignis eſt, in quo lux habitat æthereo corpore puriſſimo velata, quæ lux ſanè vulgari auro longè perfectior eſt, & imperium in ipſum habet; de quâ *Autor Lucis illuminatæ ſuâ ſponte refulgentis* ait: Eſt aurum & ſulphur ejus: Eſt ſulphur & aurum ejus: Aurum incorruptibile, balſamicum, animale, vegetabile & minerale; cælum

terre-

terrenum: aurum Solare, æthereum & legitimus Solis filius, cujus vigore vireſcunt elementa: cujus calore ſpiritus animantur; cujus influxu virtutes rerum oriuntur.

Hæc ita de auro diſſerui, non, tanquàm artificibus omninò opus ſit, aurum vulgi operosè tractare, idque beneficio cæli philoſophici, quod ſimiliter aurum eſt, recludere; ſed, quia in auro vulgi quoque continetur ſemen aurificum, & quidem perfectiùs, quàm in quovis alio corpore: ſiquidem & in quovis alio metallo ſemen aurificum reperitur. Unde *Philaleta ait*: In omnibus metallis vulgi Sol noſter: at in auro, argentóque propinquiùs continetur. Ergò, *inquit Flamellus*, quidam in Jove, alii in Saturno laborârunt, ego verò in Sole elaboravi & reperi. Eſt enim adhuc aliud ſubjectum, quod eſt arboris Solaris ſive ſurculus, ſive radix, quo invento, tot laboribus, ambagibus & ſumptibus vix opus erit. Aurum, *inquit Lucis obnubilitatæ Autor*, aſſimilatur fructui cuidam, qui jam ad perfectam ſuam maturitatem provectus, ab arbore fuit ſeparatus, in quo, etiamſi ſemen perfectius & maturius reperiatur; attamen, ſi quis vellet eum multiplicare, quamvis optimam terram haberet, in quâ hunc ſerendo poſuerit, fructus iſte, nonniſi longiſſimo tempore, & difficulter, multis periculis & impedimentis, opere ſolerti, ad vegetationem promoveretur. Sin verò ſurculus aut radix ejuſdem fructus caperetur, & in terram immitteretur, pauco tempore parvoq; labore ſecuriùs vegetaretur & multum fructum afferret: Ita à ſimili, aurum eſt fructus terræ mineralis & arboris Solaris, imò talis fructus, ut duriſſimæ compoſitionis, & elaboratiſſimum ſit compoſitum in naturâ, propter adæquationem elementorum, in quam non ita facilè cadit corruptio & alteratio ad novam generationem. Unde ſiquis id accipere vellet & ad vegetandum ponere in terrâ, opus ſanè tentaret difficile & quaſi impoſſibile. Verùm, ſi ejus radicem aut ſurculum accipret, facilius intentum conſequeretur & veram ejus vegetationem habiturus eſſet. *Hactenus præfatus autor*. Sufficiunt itaq; denuò hæc cum antecedentibus, in quibus ſufficienter de hujus materiæ veritate dictum eſt.

Intendat modò nunc Artifex in id ſuas cogitationes, ut ignem debitè

debitè regat. Eſt enim *ignis alius naturalis: alius violentus. Ignis naturalis* eſt ignis generationis, blandus & mollis, & fortè clavis: de quo *Hippocrates* dixit: quòd aurũ tundant, lavent, & molli igne liquent, & ſic ad omnia utantur: *Violentus* varius eſt, & varia præter flammam, carbones, menſtrua ſub ſe comprehendit. *Naturalis* Philoſophis omninò ſcitu neceſſarius eſt, dum lento procedit gradu, amorem ſpirat, & per corruptionẽ ad vitam diſponit. *Violentus* verò iras & odia evomit & mortem accelerat, unde ad vitam non datur regreſſus. Alii tamen tres ignes requirunt, ad operis directionem: *Naturalem, innaturalem & contra naturam. Naturalem* vocant ſpiritum igneum, cæleſtem, inſitum, in profundo materiæ cuſtoditum, eiq; ſtrictiſſimè devinctum, qui propter metalli robur hebes ſtupeſcat, donec philoſophico ingenio & calore externo excitatus ac liber factus, corpus ſuum ſolutum movendi facultatem adeptus fuerit, atque tunc explicando, penetrando, dilatando & congelando tandem humidam materiam ſuam informet. *Innaturalem* extrinſecus advenientem: *Contra naturam*, menſtruum: de quorum ignium differentiis verò conſulatur *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ* §. 94. 95. 96. Verùm, alii aliter de ignibus his loquuntur, prout quemq; philoſophandi libido exercet. Hinc *Artephius* tres etiam ignes inculcans vocat *primum* lampadis: *ſecundum*, cinerum: *tertium*, naturalem aquæ philoſophicæ. Appellat autem, uti ego quidem exiſtimo, ignem lampadis primum ignem, non, ob modeſtum calorem, quia lampas plus calefacit, quam cineres; ſed quia ille difficilis eſt inventu, & ſic proportionatus eſſe debet, ne materia per defectum caloris non edat ſigna ſua, aut præ ardore flores auri comburantur, unde deſcribi haud facile poteſt. Ignem verò cinerum, tanquam ſuaviorem, poſtponit igni lampadis, propterea, quòd alia regiminis ratio requiratur cùm omnia ſub nigredine quieſcunt. Ignis verò aquæ noſtræ, ſive ignis aqua eſt, *ſecundùm eundem Artephium*, Acetum noſtrum antimoniale, ſaturniale, mercuriale & ſalis armoniaci naturæ, quod acetum quoque montium appellat, item mediam quandam ſubſtantiam, claram, ut argentum purum: nec non conſimilem cum Sole & Lunâ naturam, ut &

oleum incombuſtibile, item ſalem Solis & Lunæ, cujus proprietas ſit, liquefacere Solem & Lunam & augmentare in eis calorem nativum, convertere corpora à corporalitate in ſpiritualitatem, & in ea immittere fumum album, animam albam, ſubtilem, calidam, multæ igneitatis. Appellat quoque aquam illam, aquam diſſolutivam, vas naturæ, uterum, matricem, receptaculum tincturæ, terram & nutricem, & fontem Regis & Reginæ: Item aquam igneam ſulphuream: Aquam roris Maij, quæ ſit vitæ vegetabilis, & quæ proinde vitam dare & vegetare, creſcere, & pullulare facere poſſit corpus mortuum, ipſumque reſuſcitare de morte ad vitam, ſolutione & ſublimatione. Fortè verò hunc ignem appellavit IGNEM CONTRA NATURAM: quia aqua eſt, quæ videtur, ut ſic, contraria qualitati ignis, & nihilominùs ex auro merum ſpiritum facere poteſt. De hoc ſedulò itaque cogitandum, inprimis, quòd Philoſophi multùm eum celârunt; atque ideò ignes alios fecêre calidos: alios frigidos: ſecundùm illud: *Pariunt quoque frigida flammas*, ſicut ſpecula cauſtica, quæ in ſe frigidiſſima objectum incendunt: alios vegetabiles, animales, minerales & metallicos. Nam acetum deſtillatum etiam vocaverunt ignem vegetabilem, quemadmodum calorem cordis vitalem in animantibus, ignem animalem: mineralem verò dixere ſpiritum nitri, igne frigido præparatum: & denique metallicum fecêre duplicem quoque; frigidum, quem dixêre plumbum: & calidum, cui indidêre nomen argenti vivi, illumque appellârunt aquam infernalem frigidam: hunc, infernalem calidam, imò & antimoniales & ſulphureos & vaporoſos excogitârunt ignes; & cùm dixerit *Coſmopolita*: motu excitari ignem; quidam uſi ſunt motu quodam perpetuo ferreæ machinæ, quo calorem excitârunt: alii didicerunt vaſi includere diuturnum ignem & in ipſo alembico, in quo ignem aluêrunt, pendentia habuêre ova philoſophica cum aurichalci tranſverſis filis; feceruntque ignem in vaſis clauſis, ex ſulphure & tartaro, cum aquâ vitæ mixtis, quæ accenderunt in alembico & clauſerunt, ut ſic deſtillata reponerentur ſuprà feces, uti *Borellus* notavit. Alii calce vivâ & fimo equino uſi ſunt. Sic lixivia nomine

ignis

ignis quandoq; vendiderunt, propterea, quòd apta nata ſint, quædam immatura metalla emendandi. De ſale jam nihil dicendum reſtat, de quo utpote in præcedentibus ſatis. Dum hæc ſcribo, memoriæ meæ ſubit, quo pacto DEUS ſæpiſſimè igne cælitùs delapſo confirmârit religionem, & nonniſi ignem ſuum, remoto peregrino, in altari nutriendum & cuſtodiendum præceperit. Quo pacto Abelis ſacrificium aſpexerit: Caini non item. Quo pacto Diabolus apud Gentiles ignem, ut DEUM colendum præceperit. Et quòd Chriſtianis eadem etiam olim religio fuerit. Sic enim *F. Iohannes Annius, Viterbienſis, in Beroſi Antiquitates, p.m.* 83. *&* 84. *commentatur*: Chriſtianis eadem religio eſt, qui, uti Noa, oppoſitâ cryſtallo, vel phialâ aquæ plenâ, radio Solari ignem cæleſtem, ex parte oppoſitâ conceptum, uti ſacrum in ſabbatho ſancto excipiunt, & ex eo ignem accendunt, quem ſacrant, & ex eo cæreos accendunt, & jugem pro toto anno lampadem ante corpus ſanctiſſimum Chriſti nutriunt, quod jam L. annis in hoc templo ſanctæ Mariæ ad gradus & Conventu meo Viterbienſi obſervatum vidi, & à majoribus traditum audivi.

De Chaldæorum, Perſarumque & aliorum gentium ignibus, dum ſub manu calet ſcriptum *Eruditiſſimi Dn. Kriegsmanni, Philologi, Polyglotti & Hiſtorici, nec non Theoſophi celeberrimi*, nolo hîc diſſerere quicquam. Signa ſolùm ignis adepti huc transſcribam, quę collegit *Autor Africanæ Sophonisbes part.* 1. *p.m.* 398. qui tamen ea mutuâſſe videtur *ex Iſaaci Hollandi* eröffnetem Vatter-Hertz. *Ita verò ad Clitophontem Artephius:* Scito, quòd intentio Sophorum, cùm ignis regimen nos docere volunt, non ſit ea, ut ignem vulgarem probè dirigamus, dum ſatis ſuperque illis cognitum eſt, quòd aliam proprietatem non habeat, quocunque modo inſtituatur, quàm caliditatem & ſiccitatem introducendi, id verò quod ipſi volunt, haud exequendi. Hinc potiùs eò collimant, ut ignem hujuſmodi virtutis conſtruamus, in quo ſimul calor, ſiccitas & humiditas inveniantur, atque ſic, ſine intermiſſione, vera corruptio, miſtio, unioque partium & perfecta coctio fiant. Poſtquàm itaque tibi aſſerui, quòd veri ſapientes manus ſuas vel digitos non adurant, & quòd alium,

quàm vulgarem ignem adhibeant; diſcrimen horum duorum ignium tibi declarabo. *Primò* itaque, ignis communis nihil operatur, niſi aëre gaudeat: contrà, noſter ignis nihil operatur, niſi in vaſe ſuo optimè clauſus. *Dein*, vulgaris ignis calidus eſt & ſiccus: noſter verò in ſiccitate & caliditate ſuâ etiam humiditatem habet, quæ, inſtar roris, in terram decidentis, ſe habet. *Denique*, vulgaris ignis omnia terræ naſcentia & creſcentia devorat, quia & in aquâ tepidâ & ſimpliciſſima ova parvo intervallo coquuntur: noſter verò eâ gaudet facultate, ut humiditate ſuâ id quoque nutriat & multiplicet, quod ſuæ operationi ſubjectum eſt: & quamvis lento modeſtus eſt, ſic tamen operativus eſt, ut intra triduum ex ovo pullum excludere poſſit. Conſidera quoque quas operationes ignis ſive calor in ſtomacho cauſetur: & rorem denique cum æſtu, qui è centro terræ prodit. *Hactenus ille.* Ex quibus, meo quidem judicio, apparet, non omnem ignis externi & vulgaris apparatum rejici; ſed ſolùm non attendi, cùm ille præcipuus actor non ſit, quopacto etiam digeſtionum in corporo noſtro actor non eſt ignis externus, ſive culinaris, ſive flammæ, ſive calefactæ fornacis, ſive Solis ſive arenæ aut cinerum, aut calefacti lecti, aut carbonũ, licet quilibet horum excitare apt⁹ ſit internum latentẽ, & principaliter agentem. Nempe:

Sic ſemina ſicca vireſcunt
Iam mortua, jamq; ſepulta,
Quæ reddita ceſpite ab imo
Veteres meditantur ariſtas.

De cætero, cùm certum ſit, neque lapides pretioſos, neque aurum aut argentum radicitùs diſſolvi poſſe, niſi Igne Sophorum; proinde, ad hujus cognitionem uberiorem, mihi liceat adducere, quod *Philo Iudæus ſcripſit in libro Antiquitatum Biblicarum*: Cùm enim Viri de tribu Aſer ſeptem ſimulacra aurea inveniſſent, apud Amorræos, quæ vocaverant Nymphas ſanctas, easque auferentes cum pretioſiſſimis lapidibus abſcondidiſſent, quæ invocatæ oſtenderant Amorræis per ſingulas horas opera eorum, quaſque adinvenerant ſeptem viri peccatores poſt diluvium, nempe: Chanam, Phut, Selath, Nebroth, Elath, Deſuat. Et verò Cenez, quem Biblia vocant

cant *Kenaſum, Calephi fratrem natu minimum,* interrogâſſet DEUM: Nunquid & libros & lapides illos pretioſos comburere deberet igni? Reſpondit ei DEUS: lapides igne exuri non poſſunt, neque incidi ferro, neque aqua deleri: nihilominùs, ubi homines ex quavis tribu peccatores concremaverit ignis, pones eos in vertice montis, juxta novum ſacrarium, & ego præcipiam nubi, & iens accipiet ros & mittet ſuper libros, & delebit ea, quæ ſcripta ſunt in his, quoniam non delentur ex aliâ aquâ, niſi ex eâ, quæ non ſervit unquam hominibus. Hæc aqua ibidem vocatur ros de glacie paradiſi. Veritas hujus narrationis, quam *Philo* quidam ſuprà citatus conſignavit, ſit penes autorem. Intereà, quæ de nubis aqua & paradiſi glacie memorantur, non ſunt vilipendenda. Ego verò, qualem requirant Philoſophi ignem aquam, jam ſatis ſuperque indicavi. Omnia naturæ convenienter eant. Vidit hanc CUSTOS AD SULPHUR, SED PIO DIVI POCULO; Egoque cuſtodis illius face VIDI, SED PIO POCULO CUSTOS AD SULPHUR. Verùm hîc notandum denique cenſeo: eſſe nonnullos labores, qui aliter aliterque dirigendi ſint: unde in nonnullis ignes requiruntur extrinſecùs adhibiti ſatis fortes, in aliis tales ſolùm, qui frigus excludant, de quibus verò, & quopacto illi labores diſtinguendi ſint & moderandi, videantur *Philaleta & Treviſanus.*

Sufficiat hoc loco demonſtrâſſe: vitalem noſtrum Mercurium, in opere Philoſophorum, coquendum eſſe & maturandum leni, eoque vitali igni, non igni fumi, aut calentis & æſtuantis balnei, aut putridi fœtentisque fimi, aut igni flammæ, ne comburatur tam affabrè diſpoſitum opus. Si enim natura, dum in terræ cavernis vel levem ſaltem, & nobis vix perceptibilem ignem movet, protinùs in montibus nebulas excitat, quibus aër incraſſatur, Sol obtenebratur, tertio demum pòſt die pluviæ cadunt, & imbres: & tempore inprimis æſtivo, calore urgentiore, fulgura & tonitrua de cœlo cadentia tam benigni coqui præcipitantiam & feſtinationem produnt! Quid non feſtinata operis Philoſophici coctio efficiet? Quas tempeſtates, quas pluvias, quos imbres, in microcoſmo,

præcipitis iræ æſtus non molietur? Unde probè notandi etiam in homine ignis gradus, cujus quindecim obſervavit in natura, ejusq; pediſſequâ Chemiâ, *Toparcha Merodenſis, in tractatu: Calor efficienter non digerit, ſed tantùm excitativè*: Dum ait: §. 34. *& ſeqq.* Chymici, Medicorum ritu, in ipſo igne tantùm quatuor gradus fecêre, parùm ſibi curæ aſſumentes, de reliquis qualitatibus elementariis: eò, quòd ſoli pyrotechniæ ſe emancipâſſent. Quos nempe gradus diſtinxerunt, ita, ut *Primus* ſit à tepore, ſub vaga latitudine, uſque in ignem ſublunationis ſpirituum oleoſorum. *Alter* verò abhinc, uſque in ſublunationem ſpirituum ſiccorum. *Tertius* dein, uſque in obſcuram ignitionem. *Vltimus* verò, uſque in extremam flammæ reverberii potentiam. Ego verò, ad clariorem doctrinam, in Chymicis gradus diſtinguo, ut *Primus* ſit, ubi ſumma frigiditas eſt remiſſior. Etenim, qui Chymiam, naturæ pediſſequam & ſimiam æmulatricem fingo, atque ſubinde Magiſtram, totam naturam ſpeculationi Chymicæ ſubdo. *Secundus* ergò gradus in natura ſit calor, qualis eſt aquæ nondum glaciatæ. *Tertius*, ubi remiſsè friget, prout eſt aqua putealis. Alioqui calor abſolutus ad tactum noſtrum (qui tepidus eſt) fallitur, frigereque putatur, quicquid ſe minùs calet. Et cùm plus minúsve tactus caleat, inconſtans facit indicium caloris. *Quartus* demum gradus eſt teporis leviuſculi. *Quintus* jam tepet. *Sextus* eſt noſter. *Septimus* jam febricitat. *Octavus* Solis Majalis. *Nonus* deſtillatorius, & qui jam tactum ſuperat. *Decimus* deſtillat cum ebullitione. *Vndecimus* ſublimat ſulphur & ſpiritus ſiccos. *Duodecimus* liquefacit, & pyritem ſublimat. *Decimus tertius* eſt in ſubfuſca ignitione. *Decimus quartus* eſt ignitio candens. *Decimus quintus* tandem, eſt follium & reverberii ultimatus vigor. Cavendum ergò, ne remiſſiori, opus naturæ & artis finem ſuum non attingat, nulloque motu facto, & ſanguinis generatio, & ignis in aquâ decoctio juſto diutius moram patiantur, ſpirituumq; ſic Reſpubl. otioſa quieſcat; aut intenſiori deſtruatur. Quod ſanè in hominibus iracundis apparet. Hi enim, dum ultrà ſextum caloris gradum ſe promovent, plus ultrà quàm par eſt, incaleſcunt, & jam, tremore & concuſſione factis, in Microcoſmo, febricitant, jam pu-

tredines

tredines ſentiunt: mox reſoluto humido ſudant, mox ebullitionem paſſi intumeſcunt. Quid plura! colliqueſcunt, ſpiritibusq; è fundo ſuo denique ſublunatis ad cerebri regionem, foco urgentiori præmemorata omnia patiuntur. Donec ſpiritibus à ſolio, ad quod æſtu agitati aſcenderant, reverſis ad inferiora viſcera, & aliqualem coagulationem dehinc paſſis, jam labefactatum prodatur totum vitæ noſtræ habitaculum, ſeu conquaſſatis ejus tabulis & trabibus, ſeu ex parte ejus parietibus & feneſtris exuſtis, atque deinceps de deſtillationibus, catarrhis, nervorum doloribus & debilitatibus omnium coctionum, querelæ multiplicentur. Neque enim calor, ut ſic, digerit, aliâs intenſior plus digereret, quàm remiſſior, fierentque in febribus majores digeſtiones, neque in his prodeſſent aut conducerent acida, eſurina, ſulphuris, vitrioli, ſalis, nitri, cujus tamen contrarium multorum jam ſeculorum experientia confirmavit. Moderata durant. Calore excitativo opus eſt, qui in terra vix ſentitur, prodeuntibus nihilominùs floribus ex eâ & fructibus. Si calor ille deficit, vel moderatus ſolùm motus illi excitando ſufficiens eſſe poterit. Agitatione hybernâ caleſcimus, & exercitium pauperi ignis eſt. Hinc exiſtimant nonnulli, calorem ſubterraneum & ignem centralem terræ non provenire à Sole, ſed à motu terræ. A Sole enim non provenire, per varias regiones ſubterraneas manifeſtum reddi: primam que terræ regionem & altiorem quidem, ſeu ejus ſuperficiem à Sole quidem calefieri; ſed ejus radios ne ad ulnam quidem penetrare: ſecundam eſſe frigidiorem: tertiam & quartam ad centrum uſque calidiorem. Quæ quidem relinquo ſuis inventoribus. Satis mihi ſit demonſtrâſſe, calorem moderatum, debitum tamen ſuo quoq; tempore, in Macro & Microcoſmo totam implere & abſolvere paginam, ad reſolutiones & ſeparationes, coagulandorumque coagulationes. Cremor lactis acidulus motu in butyrum concedit, quod nimio motu vel non, vel perperam fit: & pulſus cordis motu ſuo genuino & æquali promovet chyli in ſanguinem digeſtionem, quod inæquali itidem fieri nequit. Motus debitus excitat calorem. Calor facit apparere aërem noſtrum, inquit *Coſmopolita*, id eſt, reddit occultum manife-

manifeſtum, & centrum producit in circumferentiam. Natura enim naturâ convenienti gaudet. Hinc peregrinum omne & quod immoderatum eſt atque ad ſtateram ſive bilancem non appenſum aut trutinatum, naturæ inimicum evadit.

Ubi tamen fateri ſimul cogor: occultum quoddam & arcanum eſſe vitæ noſtræ filum, quod à divinâ quidem ſapientiâ modum & menſuram accipiat, at non niſi à perpetuâ illâ & inſomni providentiâ eôdem perductum abſolvatur. Cui quidem provinciæ adminiſtrandæ non tantùm ſpirituum, ſed & noſtræ, ſed & omnium creaturarum operæ ignotâ quâdam & arcanâ ratione inſerviant. Sunt, qui bellâ corporis valetudine fruuntur. Sunt, in quibus oleum vitæ ad octuageſimum uſque annum ſufficere poſſe videtur, in quibus tamen illud trigeſimo ſæpius extinguitur. Latent nos interitus & ortus noſtri, non aliter, ac antipathiæ & ſympathiæ, licet plurimùm in illis ſeriò inveſtigandis ſudatur à quàm plurimis. Noctu texitur ætatis noſtræ & annorum tela. Noctu perforantur oſſa noſtra, & pulſus noſtri non requieſcunt, teſte *Hiobo, c.30.* Miſero ſæpe data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt, qui expectant mortem & non venit. Alii, è contra, moriuntur robuſti & ſani, divites & felices, viſcera quorum plena ſunt adipe, quorum oſſa medullis roborata. Sunt, qui continuis & interruptis propemodùm compotationibus ſemper udi, ſemper vino loti, ſemper delicatis liquoribus madidi & perfuſi ad longam ſenectam perveniunt, dum abſtinentes alii citò intereunt. Juxta illud: *Hiob c. 12.* Quare ergò impii vivunt? ſublevati ſunt, confortatiq; divitiis. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum. Nempe, varios vitæ caſus penicillus nobis ignotus, & quem non videmus depingit: cujus licet ignaros nos fateamur, haud tamen errabimus, ſi dextram divinam ſubeſſe agnoverimus. Præſtat verò viam ingredi planam, eaque devitare, quæ devitanda præcepit Deus, ſuaſit ratio, docuit experientia. Perpetuum enim erit & æternâ lege ſancitum: *Cùm ſub alas Iehovæ Te receperis, ille te eripiet. Iuſtus ut palma germinabit, ut Cedrus in Libano creſcet. Plantati in domo Iehovæ in atriis DEI noſtri germina-*

mina profundent: adhuc abundabunt in canitie: pingues & virentes erunt. Siquidem *Clypeus & Parma* eſt fides ipſius: promiſſiones ejus ſunt certæ. *vid. Pſ.* 91. Intereà tandem requieſcet corpus noſtrum mente vacuum, donec, brevi tranſacto ſpacio,

Socius calor oſſa reviſat,
Animataque ſanguine vivo
Habitacula priſtina geſtet.

Hactenus itaq;, pro eo, quem præſtat habere, candore, ex Philoſophorum ſcriptis comparationem inſtitui generationis ſanguinis & ſpirituum noſtrorum, pro vitæ conſervatione, cum grandi & inviolabili Sophorum opere, non tam auri & argenti aucupandi gratiâ, quàm veritatis: & ut homo quiſque ſeipſum, id eſt, ſui ortum, progreſſum, medicinam, interitũ & reſurrectionis noſtræ futuræ ideam cognoſcere diſcat, ſicq; etiam intuitu tantorum arcanorum, quib⁹ Sophorum myſterium refertiſſimum eſt, in laudem DEI Triunius exſolvatut, & quanta nobis æternus Pater per Filium ſuum JESUM CHRISTUM Redemptorem noſtrum largitus ſit. Quid enim utilitatis haberent hæc, ſine Sapientiâ Patris? dum Chriſtum nôſſe & amare melius eſt, quàm cætera omnia ſcire & habere. JESUS ergò ſit ſcopus vitæ noſtræ: JESUS ſit religio & lex noſtra: JESVS ſit Via, Veritas & Vita noſtra.. CRVX JESV ſit nobis elementorum loco & exercitium noſtrum: Patientia JESV, Medicina noſtra, ſive Mercurius noſter: Amor JESV, flagrans & fixum Sulphur noſtrum, ſive converſatio noſtra. Æterna cohabitatio JESV, finis noſter,

ſive Sal noſtrum. Per hujus patientiam putrefacti carnalia & mundi illecebras deponamus. Per hujus innocentiam purificati elevemur in divinitatis rerumq; æternarum contemplationem. Per hujus exaltationem ſublimati aſcendamus in cælum. Per hujus majeſtatem renovati, poſt mortem reviviſcamus, & fixati æternùm vivamus, in domo non manu fabrefactâ, ſed ſanctis & inviolabilibus tabernaculis. Omnia enim divina DEI virtus nobis largita eſt, quæ ad vitam ac pietatem pertinent per agnitionem ejus, qui vocavit nos per gloriam & virtutem. Per quæ pretioſa nobis ac maxima promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficeremur divinæ conſortes naturæ, ſi refugeremus à corruptione, quæ eſt in mundo per concupiſcentiam. Ideoque in hoc ipſum omni adhibito ſtudio ſubminiſtremus in fide noſtrâ virtutem: in virtute ſcientiam: in ſcientiâ temperantiam: in temperantiâ verò patientiam: rurſus in patientia pietatem: in pietate autem fraternam charitatem: in fraterna verò charitate dilectionem. Hæc enim cùm nobis adfuerint & exuberaverint, haud otioſi nec in irritum LABORANTES efficiemur, ad Domini noſtri JESV CHRISTI cognitionem. Nam, cui non adſunt hæc, is cæcus eſt, & manu viam tentans, oblitus, ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum, teſte *Divo Petro:* Agamus igitur DEO & JESV CHRISTO Ser-

vatori

vatori noſtro debitas, pro tantis, cùm naturæ, tùm artis myſteriis gratias, & inprimis, pro beneficiis animabus noſtris per mortem & glorioſiſſimam reſurrectionem ejus exhibitis. Laudemus eum jugiter: amemus eum indeſinenter: deſideremus eum inceſſanter: donec cum eo uniti æternùm vivamus. Ille eſt centrum rerum omnium: ille vera arbor vitæ in paradiſo: ille lapis perfectus, à quo, per quem & in quo ſunt omnia. Per hunc denique,

Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.

Et hoc eſt, & eſſe debet omnium Philoſophorum Hermeticorum ERGON, per cujus piam & ſedulam contemplationem, naturæ noſtræ impuritatem, & quo pacto lucis & tenebrarum ſeparatio fieri debeat, ſive boni à malo, oſtenderunt: per cujus frequentem meditationem non difficile eſſe deprehenderunt pervenire ad PARERGON, in quo Adamus cum Evâ uxore ſuâ ignito radio propter prævaricationem è Paradiſo ejici cernuntur, paulò pòſt tamen mulieris ſemine lavantur, uniuntur, renovantur & in æternum vivunt: tandemque exordio facto, à Chao, unde & ſacra Geneſis ſuum ſumſit initium, videre & aſſequi, per varias tentationum digeſtiones, perfectionem eam, quam cæleſtis Hieroſolymæ amanuenſis, *Divus Iohannes Theologus* tam ſplendidè nobis inuſitato depinxit penicillo, nempe: Tabernaculum DEI cum hominibus: urbem, ex auro mundo &, inſtar vitri, transparente, fundamentisque duodecim ex unionibus firmam, & in quadratura poſitam, de cælo ad nos deſcendentem, perlatis portis inſtructam, habentem lumen ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi Jaſpidi cryſtallizanti, purum item fluvium aquæ vivæ, ſplendidum, tanquam cryſtallum, proceden-

dentem de ſede DEI & AGNI, lignumque vitæ & folia ejus ad ſanitatem gentium, ſedem denique DEI & AGNI immaculati JESU CHRISTI, & templum, quod ipſe DEUS & AGNUS erit. Quæ licet planè ſpiritualia ſunt; haud leviter tamen poſt ſequeſtrationem impuritatum in opere Sophorum adumbrari poſſunt, dum parturiens velut mundus anhelat ad futuram gloriam, de quâ ſcriptum: quòd nec oculus unquam viderit, nec auris audiverit, nec cor hominis aſſecutum ſit ea, quæ Deus præparaverit amantibus ipſum. Atque ideò, ob tanti myſterii adeptionem haud multùm gloriati ſunt veri Philoſophi, ut potiùs non curârint hujus mundi divitias, omnia vanitatem eſſe videntes, æternaque & ſupercæleſtia præferentes elementaribus; juxta illud *Ieremiæ* 9. Sapiens non glorietur in ſapientiâ ſuâ, nec fortis in fortitudine, nec dives divitiis ſuis fidat: qui verò gloriatur, in hoc ſolo glorietur, quòd ego ſum Dominus, miſericors & juſtus, inquit Dominus DEUS tuus.

Finio anhelans ad mundi melioris felicitatem cum *Prudentio*:

Veniant modò ſecula juſta,
Cùm ſpem DEUS impleat, atque
Reddat ſua munera Victor
Propriique ænigmata vultus!

F I N I S.


D. JOHANNIS TACKII

MYSTERIUM RESURRECTIONIS RERUM,

Sive

PHASIS III.

Spei mortalium ad immortalitatem & incorruptibilitatem conſecratus.



FRANCOFURTI,
Sumptibus JOHANNIS PETRI ZUBRODT,
& Hæred. JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.
M. DC. LXXIII.

PETRUS JOHANNES FABER in Palladio Spagyrico, c. 7. de putrefactione rerum.

MIra hæc (*Chemia*) ars eſt, omnia primò occidit & occiſa ſuo modo ſuſcitat : Quod quidem opus quaſi divinum eſt, iiſque, quæ ſoli Deo competunt, valdè accedens.

Magno
D. TACKIO
Phaſidis Sophici triplicis
Auctori.

QUis novus hic HERMES, triplici fretus arte recentem
Qui Tabulam ex Auro ſiſtit in orbe Sophis?
Scilicet hîc Chymicos Medicos Phyſicoſque recludit
Theſauros TACKI Phaſidis iſte liber.
Plumbea cui mens eſt tingatur dogmate tanti
Philoſophi, ſic mox aureus omnis erit.

f.
W. CHR. KRIEGSMANNUS.

INDEX

Rerum memorabilium, in Phaſide ſecundo ſive Chryſogonia animali & minerali contentarum.

A.

ABſtinentia vitæ adjicit. 104.

Abſtinentia eſt univerſalis Medicina 109. vera ejusdem methodus. ibid.

Abſtinentium longævorum exempla. 110.

Abſtinentiæ ad vitam longam ratio. 112.

Abſtinentia cautè moderanda eſt. 114. homini ratione & mente donato abſtinentiâ nihil præſtantius. ibid.

Aceti fixitas notatur. 69.

Acidum lienis vel inteſtinorum, an ad ventriculi fermentationē conducat? 14.

Acidum ſtomachi quantam ſubeat latitudinem. 23.

Acidum acetoſum & fermentale differunt. ibid.

Acidorum vomitus in infantibus quid ſignificet? 32.

Acidi exuberantis incommoda. 71.

Acidum in apoſtemate ſanguinem in grumum cogit. ibid.

Acida volatilia medicamenta laudantur. 68.

Acidi halitus in gradum ſurgentes in ventriculo cardialgiam & vomitus movent; in cerebro Spiritus vel ſiſtunt, vel inordinatis motibus epilepſiam excitant. 72.

Acida quatuor modis corriguntur. ibid. & 73.

Acidorum neceſſarius ad morbos uſus. 33.

Acidulas frequentantes plurimi unde curentur. 112.

Aeris quidditas. 104.

Aer res ad volatilitatem deducit. ibid. uterus eſt vitalis & ignei Spiritus. 105. vincitur à pinguedine & oleo aduſtibili. ibid. eſt ſal ſepultum in imo fæcum olei combuſtibilis & aquæ. ibid. eſt Spiritus vitalis omnis creaturæ ex triplici regno ibid.

Aeris moti velocitas. 152.

ex Aere aquam colligendi modus. 163.

Alchymiſta per aurum potabile rejuveneſcens. 115.

Alcaheſti proceſſus, materia & virtus reſtaurandi calidum innatum. 128. & 129.

Alimentum dentibus, ut aurum & Sophorum materia piſtillis, præparandum eſt. 10.

de Alimenti præparatione ſententia Burri. 158.

Alimenta in ſanguinem transmutanda, alterantur novâ ſeminis inductione. 33.

Ambulationes matutinæ ad rejuveneſcentiam. 114.

Anagrammatiſmi jocoſerij in illud Para-

Paracelſi, Electrum immaturum minerale; ubi de auro, melle, minerâ Mercurii, vino & tartaro philoſophicè diſſeritur. à pag. 50. ad 52.
Anagrammatiſmi ſuper illud Ariſtotelis, Philoſophi Chymici, Terminus Ovi, ubi multa notabilia de vino, & muſto leguntur. 84. ad 89.
Anatomicum ſtudium præſtantiſſimum eſt. 107.
Animarum ſphæra activitatis & exaltatio. 154.
Animarum tam extenſæ activitatis ratio. 155.
Antiquorum inventa laudantur. 106.
Apoplexiæ cura. 72.
Aquæ omnia inſunt. 53. 54.
Arbores longævæ. 118.
Arbor vitæ, ſapientiæ. 134.
Argentum vivum non poteſt perfici abſq; Mercurio Philoſophorũ. 49.
Aroph Paracelſi quare cum pave ſecalitio præparetur. 76.
Artephius lapidis ſophici uſu vixit annos 1000. 124.
in Arteriis tres notabiles occurrunt operationes. 20.
Aſclepiadis remedia. 114.
Aſthmatis remedium. 115.
Auri moralis virtus. 4.
Aurum ex rore generatur. 114. rore quoque nutritur; ejusdem decoctio. 115.
in Auro rejuveneſcentiæ remedium. ibid.
Aurum vulgi quare à multis Philoſophis in operatione ſophica rejiciatur. 41.
Aurum vulgi pro materia lapidis Philoſophici defenſuris ſatisfit. 42.
Auri compar quid ſit. 49.
Aurum ſophorum ab auro vulgi diſtinctum eſt. 42. & 43. item 178.
Aurum Sophorum ubi habitet à pag. 44. ad 49. mineræ ejus ſunt omnes res mundi. 46. in argento vivo eſt facilius, cujus centrum notetur. 47. centri hujus ſynonyma. 48.
Auri tinctura ex melle laudatur. 115.
Aurum potabile ſine ejus tinctura male à plurimis præparatur. 116.
Auri virtus & effectus Medicus. 143.
Aurum ab hauriendo. 177.
Auri comparis ſynonyma. ibid. ſimile eorum, qui in auro vulgi laborant. 178.
Auris tinnitus unde indicare poſſit alterius hominis deſiderium? 151.
Anthoris ratio, cur de lapide Philoſophorum locutus, in renovationem inciderit. 135.

B.

Bilis neceſſitas in corpore humano. 28.
Bilis apud hydropicam in lapides friabiles coagulata. 30.
de Bile Platonis opinio. 28. & 30.
Bilis ſe habet inſtar aloës & myrrhæ. 31.
Biolychnium, ejuſque variæ in mortis neceſſitatem conditiones. 133.
Bonica Inſula fonte ſenium abigente celebris. 133.
Boves quomodo impinguentur. 144.
Bryonia ad vitam reſtaurandam. 165. in quibus morbis proſit. 166. modus colligendi ejus ſuccum. ibid.

notabilia circa ejus collectionem. 167. notabilis hiſtoria de ejus ad vitam conſervandam & reſtaurandam virtute. 168. tempus eam colligendi. ibid.
Burri, Viri Equeſtris nominatiſſimi, ſcientia Medica. 160. & ſeqq.

C.

Calidum quid ſit. 66.
Calidum, frigidũ, humidũ & ſiccum morborũ cauſas non eſſe, ſed conſequens & productum, ex Hippocrate probatur. 66. exemplis confirmatur. 67.
Calor cœleſtis duplex eſt. 12.
Calor non eſt de eſſentia fermentationis. 67.
Caloris moderati virtus. 185.
Calculo quare pauperes laborent, ne vinum quidem deguſtantes. 100. & 101.
Capræ Cretenſes vulneratæ dictamno ſibi medentur. 114.
Cedri arcana. 119. & 120.
Cedriæ conſervant corpora à putrefactione. 120.
Cedri natale ſolum. ibid.
Cervæ ante partum herbâ Seſeli ſibi medentur. 114.
Cervus renovatione commendabilis. 118.
Cervus eſu ſerpentum renovatur. ib. ex cornibus Cervi præſtantiſſimum remedium. ibid. & 119.
Chirurgia infuſoria examinatur. 146.
Chryſogoni martyrium. 1.
Chryſogonia immeritò calumniatur, tanquam impoſſibilis. 2. ad eam perveniendi, requiſitum. 5.
Chylus artificialis. 18. & 19.
Chyli cum ſale Philoſophorum comparatio. 19. & 20.
Chylus ventriculo emiſſus quomodo elaberetur. 24.
Chylus quare affluxu bilis & ſucci pancreatici non ſtatim rubeſcat, ſed candore ſuffundatur. 28.
Chylus quare ad cor progrediatur ſanguini miſcendus. 34.
Chylus ſi diutiùs juſto in ſtomacho detineatur, quid eveniat. 91.
Chyli excretio per inferiora unde quandoque veniat. 95.
Chymica vendicatur à calumniis. 139. & 140. Hippocrati & Galeno cognita fuit. 107.
Chorda inter conſanguineos harmonica, 154.
Cibus quomodo in chylum mutetur. 11.
Ciborum coctio in ventriculo unde promoveatur. 12.
Ciborum varietas noxia eſt. 90.
Ciborum delectus quomodo attendendus. 91.
Ciborum pluralitas & pondus damnatur. ibid.
Ciborum maſticatio neceſſaria eſt. 92.
Cibus aut potus alius, antequam prior ad inteſtina deſcenderit, non aſſumendus. 94.
Coagulatio ſanguinis in carnem & oſſa fit vi ſulphuris animalis. 35. per tria regna explicatur. 36.
Coagulationem à Spiritu vini effici demonſtratur. 101.
Cogitationes quare non ſemper ſint operativæ, inſtar morientium. 155.

Colores,

Colores, eorumque explicatio, quatenus in homine alterantur & quatenus in opere Sophorum diſtinguendi veniunt. 70. ad 73.
Concluſio operis mundi melioris felicitatem anhelans. 87. ad 90.
Contactus phyſicus quouſque extendendus ſit. 155.
Contracturæ remedia. 115. 148.
Corpus quodnam vigore præditum dici poſſit. 112.
Corvi quercu ſibi medentur. 114.

D.

Dauræ Paracelſi arcanum quid ſit. 117.
Daurâ Author reconvaleſcit. 131.
Dauræ præparatio & virtus evulgatur. ibid. & 132.
Deambulationibus ad vitam longam certum anni tempus deſignatur. 106. 114.
in Dentium lapſu & carie Conſilium Burri. 156.
Dentium tartarus quid præ ſe ferat. 157.
Dentium doloris & affectuum cephalicorum principiis obſtandum eſt, ratio. 158.
Deſiderium impenſum aurium campanulam pulſans, vel nares titillando ſternutationem movens; exemplo cujusdam Ludimagiſtri illuſtratur. 159.
Dictamnus capris Cretenſibus vulneratis medetur. 114.
Duelech vocabuli analyſis. 100.

E.

Ebrietatis incommoda. 96.
Elementorum critica analyſis, quâ lapidis ſophici materia inſinuatur. 104. 105.
Elementum quò ſubtiliùs, eò majorem habet activitatis ſphæram; exemplo fulguris dilucidatur. 153.
Elephantiaſi liberatus Conſtantinus Magnus. 156.
Ellebori nigri folia ſummè laudantur ad conſervandas corporis vires. 117. 131.
Epilepſiæ remedia. 115. 146.
Ergon & parergon Chriſtianorum Philoſophorum. 189.
quod Experimento ad oculum demonſtratur, id probatione ulteriori non indiget. 3.

F.

Fames eſt optimum ciborum condimentum. 9.
Febrium cauſæ. 69. ex Hippocrate conformantur. 70.
Fermentationis cauſa quæ ſit. 12. & ſeqq.
Fermentationis poſſibilitas in ventriculo, exemplo probatur. 15.
Fermentationis in ventriculo demonſtratio. 13.
Fermentationem in ventriculo ſaliva inſtituit. ibid. & 16.
Fermentatio unde promoveatur, & unde impediatur. 17.
Fermentationis cauſam in ventriculo ſalivam eſſe, experimento monſtratur. 18. & 19.
quod Fermentationis cauſa eſt, id coctionem promovet. 12.
Frigoris & æſtus in febrium inſultibus cauſæ. 69.

G.

Gallici morbi remedia. 109.
Geluttæ ſeu Carlinæ herbæ virtus. 129.

Hel-

H.

Helluonum inevitabilis interitus. 104. ratio exemplo nivis ſuffulta. ibid.
Helmontius iniquè à quibusdam culpatur. 29.
Herba ſtatu renovativa. 164.
Herbarum eſſentiam ſeparandi modus. 25.
Hermetica ars immeritò vituperatur. 139.
Hermeticorum ad veram cabalam ſtudium. 140.
Homo unde nutriatur. 45.
Homini non ſoli tribuenda eſt microcoſmi dignitas. 81.
Homo quare ex limo,& ſpiraculo vitæ creatus ſit. 141.
Homo ſanus an poſſit bonâ conſcientiâ,& ſine ſui incommodo,ſanguinem à vena ſua eductum alteri communicare, & quidem ægrotantis venæ infundere, ut ſalvus & incolumis inde fiat? 147. & ſeqq.
Humidum in cineribus ignis tyrannidem eludit, igneque depurationem ſuſcipit. 125.
Humidum radicale reſtitui & meliorari poteſt. 126.
Hydropicæ poſt mortem apertæ hiſtoria. 30.
Hydropis remedia. 129. 146.
Hypochondriaco morbo affectis acetum non conducit. 69

I.

Ignis Philoſophici, igniſque in ventriculo fermentativi deſcriptio. 11.
Ignis Philoſophorum à Chymicorum vulgarium ignibus multùm diſcrepat. 65.
Ignis nomine quid Hermeticis veniat. 67. & 68.
Ignis Hermeticorum frigidus,triplex eſt. 68.
Ignis in agendo velocitas. 153.
Ignis microcoſmus centralis auro comparatur. 177.
Ignis naturalis & violenti deſcriptio diſtinctiva. 179.
Ignis naturalis amorem ſpirat, & per corruptionem ad vitam diſponit; violentus mortem accelerat. ibid.
Ignes frigidi. 180.
Ignis ſophici diſtinctio ab igne culinari. 182.
Igne ſophico omnia naturæ convenienter eunt. 183.
ab Ignis inconvenientia, incommoda. ibid.
Ignis gradus enumerantur quindecim. 184.
Ignis ſeptimo gradu in pejus ruunt omnia. ibid. & 185.
Impoſturæ circa auri tincturas. 116.
Inſania helluonum. 99.
Intemperantiâ propriâ quomodo in ſe ſæviant homines, exemplo metallorum propriis ſcoriis conſumendorum. 8.
Intemperantia vituperatur. 96.
Intẽperatura quid Hippocrati ſit. 66.
Iræ, irâque confectorum exemplaris deſcriptio. 173. ad 176.
Judæi immortalis hiſtoria. 130.
Juniperus Cedri formam & figuram habet; eſt Cedri arbor ſuccedanea. 120.
Juniperus lepram curat. ibid. de junipero Electuarium. ibid.
Juniperi derivatio. 121.

L. Lactis

L.

Lactis uſus in diverſis morbis approbatur. 148.
Lamiæ ſalem & panem in conventibus ſuis non habent. 81.
Lapidis Philoſophici materia non eſt aurum vulgi. 41. & ſeqq.
Lapis animalis quid ſit. 79. & 80.
Lapidis ſophici materiam in ſtercore & urinis quærentes. 80. & 81.
Lapis Sophorum eſt microcoſmus per regenerationem factus. 135. ejus proceſſus, ibid. creationi mundi, ejuſq; renovationi futuræ aſſimilatur. ibid. & 136. 138.
Lapidem Philoſophorum ſolamen eſſe ſenectutis negantibus reſpondetur. 142. comparatur ſoli cœleſti. ibid.
Lapidis candor quare perfectionem ultimatam non ſignificet. 136.
Lapidis regimen. 145.
Lepræ remedia. 115. 132.
Leproſus baccis juniperi ſanatus. 120.
Lienis acidum fermentationis cauſa eſſe nequit. 13.
Lienoſis nocent, quæ ſale fixo abundant ſulphureo & pingui 69.
Liquoris Alcaheſt virtus. 128.
Lixivia ignis nomine veniunt. 180. & 181.
Longævorum exempla. 110. 113.
Longævitas an ex renovatione colligi poſſit. 118.
Lucernæ Veterum perpetuæ. 124.
Lunaria herba in epilepſia & cancro prodeſt. 165.
Lux elementa velocitate ſuperat. 153.

M.

Maſticationis ciborum neglectæ incommoda. 92. & 93.
Materia Sophorum, quô opus habeat. 58.
Materia ſophorum quomodo oculis conſpicienda & manibus palpanda exhiberi & manifeſtari queat. 63 & 64.
Medicamenta ſimplicia ſæpè præſtant compoſitis. 108.
Medicus eſt medius inter vitæ principem & mortem. 6.
Medicus exploratori & probatori metallico comparatur. 9.
Meliſſa renovandi virtutem habet. 129.
Mellis commendatio, ejuque arcana. 116.
Mercurium duplicare, & triplicare ſulphur, quid ſit. 26. 27.
Mercurii arcanæ ſublimationis difficultas. 39.
Mercurius vulgi ſi à ſophis excludatur, quomodo hoc intelligendum ſit. 40. & 41.
Mercurius Philoſophorum omnium rerum ſubjectum eſt. 47.
Mercurius univerſi quomodo ſapientior in patriam revertatur, & quomodo gradatim corpora induat. 55. & 56.
Metallorum metamorphoſis exemplis probatur. 3.
Metalla impura abſque Mercurio Philoſophorum non perficiuntur. 49.
Metalla fructus aquæ ſunt. 53.
Microcoſmi nomen cuilibet animali & plantæ tribui poteſt. 81.

Minera Hermeticorum Philoſophorum. 52. & 53.
Morbus contumax fortiora exigit remedia. 109.
Morborum notabilis diagnoſis. 162. & 165.
Mortem homo evitare nequit. 133.
Motus aquæ. 152.
Mulieres & vetulæ quare felicius interdum ſimplicibus medicamentis curent, Medico, multis licet compoſitis inſtructo. 108.
Mundus veluti parturiens anhelat ad futuram gloriam. 190.

N.

Naturæ regnum triplex eſt. 35.
Nitri laudes. 23.
Nutrimenti adaptatio & coagulatio quomodo fiat. 39. & 40.
Nutritionem ex ſanguine venoſo fieri, vult Knöfelius. 35.
Nutritio in homine, quâ ratione celebretur. 158.

O.

Occultum filium vitæ. 186.
Odoribus fermentandi jus non adeò improbabiliter attribuiſſe videtur Helmontius. 14.
Oeconomia humana quomodo moderanda ſit. 176.
Operis ſophici durus labor. 57.
Opus ſophorum quid ſit. 59.
in Opere ſophorum contingentes errores. 65.
Oſtreas, cereviſiæ, quàm vini hauſtu, citiùs digeri, probatur. 99.

P.

Pancreatis ſuccus facit ad chyli in inteſtinis elaborationem. 32.
Panis cur tantoperè naturæ humanæ proſit. 75. de eodem notatu digniſſima. ibid. ad p. 79.
Panis tinctura cum aqua pluviali rubicundisſima. 76. Spiritus ejus radiis ſolis expoſitus rubeſcit. ibid.
Podagræ Candidati quid vitare debeant. 95. & 96.
Podagræ hiſtoria & fiendi modus. 102. igneæ ſeditionis frigoriſque cauſæ. ibid. & 103. dolor, ſi tumor ſupervenerit, quare ſedetur. ibid. calcis Sophorum præcipitatio ſimili explicatur. ibid.
Podagricorum calx oleo ſilicum per vinum præcipitato comparatur. 102.
ad Podagricos adhortatio. 110.
Podagrici egeno victu in carcere curati hiſtoria. 112.
Podagricus lacte curatus. 148.
Podagrici Baptiſmate curati hiſtoria. 156.
Potus malè cibo præmittitur. 96.
Proportio inter faciei & totius corporis partes. 165.
Pulmo novus in bove phthiſico regeneratus. 129.
Pulveres Medicinales optimè teri debent. 93.

Q.

Quinta eſſentia meliſſæ & valerianæ ad rejuveneſcentiam. 117.

R.

Regeneratio philoſophica quid ſit. 135.
Rejuveneſcentium exempla. 113. 121. 122.
Rejuveneſcentiæ cauſæ. 113. & ſeqq. 122. & ſeqq.
Rejuveneſcentia quo ſe extẽdat. 132.

Rejuveneſcentiæ remedia. 114. & ſeqq. 129. 131. 132. 143. 144. 164. 165.
Rejuveneſcentis ſenis caſus reſolvitur, ubi de poſſibilitate reſtaurandi humidum radicale diſſeritur, unà cum exemplis de rejuveneſcentia notatu digniſſimis. à pag. 121. ad 128.
Rejuveneſcentiam promittit amor ſapientiæ. 134.
Rejuveneſcentia animæ non negligenda. ibid.
Renovationem ſpiritualem quomodo æſtimarint Patriarchæ & Prophetæ. 141. ad hanc renovationem lumine divino opus eſt. ibid.
Renovandi criſin plerique experiuntur. 130.
de Renovatione Conſilium Burrianum. 156. & 157.
modus renovandi gallinas ab eodem Burro. 159. & 160.
Rivorum binorum in inteſtino duodeno emergentium natura & deſcriptio. 24. & 26.
Rorella cancrum curat. 168.
Roriſmarini virtus. ibid.

S.

Sabulum in urinis rubicundum quid portendat. 82.
Salis armoniaci extractio. 54.
Sal Philoſophorum. 59. ejusdem appellationes variæ. 63.
Salium per incinerationem laus. 60. & 61.
Salium fixorum volatiliſatio. 73. & 74. eorundem uſus. ibid.
Salia volatilia multum conſanguinitatis habent cum Mercurio mundano. 75.
Salis præſtantia in opere Sophorum. 90.
Salis volatilis ſanguinis humani, ſpiritusque ejus virtus medica. 146.
Saliva fermentationis medium eſt. 11. 15. 21. ejusdem nominalis derivatio. 16. quando ad fermentationem inepta ſit. ibid. virtus ejus. ibid. & 16. 19. aſſimilatur liquori Alcaheſt. 17.
Salivæ analyſis. 16. & 17. ejusdem ſcaturigo. 20. aciditas ejus probatur. 22.
Salivam quare Paracelſus laudano ſuo exhibendo miſcuerit. 17. quid in ea præcipuum ſolutioni & fermentationi contribuat. 24.
Sanguificationis methodus & extractio ſulphuris philoſophici juxta ſe ponuntur. 27
Sanguinis humani tam ſplendida purpura quare ſæpius degeneret. 21.
Sanguinis color rubicundus à bile promovetur. 28. 31.
Sanguis in carnem & oſſa congelatur vi ſulphuris animalis. 35.
Sanguis humanus à nonnullis materia lapidis Sophici exiſtimatur. 79.
Sanguis humanus contractionem ſolvit. 146.
Sanguinis transfuſio examinatur. 147. quid in ea metuendum ſit. 148. & 149.
Sanguinis humani calentis potatio in epilepſia, rejicitur. 147.
Sanitas conſiſtit in integritate & puritate Spiritus. 9. & 123.
Sapientiâ nihil utilius. 145.
Sapientia in occulto poſita non invenitur in terra ſuaviter viventiũ. 106.

Scabies ſenum inſolita, quid præ ſe ferat. 130.
Scientia quæ non probatur experientia non eſt ars, ſed hærens ignorantia. 7.
Sendivogii navigare à Polo arctico ad antarcticum, quid ſit. 62.
Serpentina caro renovativa. 129.
Seſelis herba cervis ante partum medetur. 114.
Solis microcoſmici & cœleſtis analogia. 108.
Sophici laboris proceſſus comparatur martyrio Chryſogoni. 2.
Sophorum harmonia de uno, duobus & tribus principiis. 35. & 36.
Sophorum labor quis ſit. 59.
Spagyrica ars Veteribus cognita fuit. 107.
Spagyricæ anatomiæ laus. ibid.
Spartanorum diæta. 96.
Spiritus vini immodicè bibitus quæ mala creet. 99.
Spiritus vitæ quibus ſervetur & generetur. 10.
Spiritus urinæ natura diverſa. 99.
Spiritus ex terra ſaturnina pellucidus brevi tempore rubeſcit. 116.
Statu, herba renovativa eſt. 164.
Stigmatum nocturnorum impreſſio, vulgò Nachtgriff. 155.
Sulphuris Spiritus laudatur. 33.
Sympathia ſanguinis inter cognatos. 150.
Sympathia explicatur illuſtri exemplo. 151.

T.

Terminus ovi, materia Philoſophorum Ariſtoteli eſt. 84.
Terræ motus. 152.
Tincturæ cum menſtruis ſale volatili impregnatis laudantur. 74.
Tinnitus aurium præſagi hiſtoria. 15.
Triſtitiam pellens remedium. 115.
Tritici myſteria. 77. & 78.
Tritura Philoſophica, & triturationis dignitas. 93. & 94.

V.

Vegetabilia quare medicamentis mineralibus decedant. 109.
Venæſectio Pinarum populis in Nauking interdicta & inuſitata. 111.
Veneſectionis interdictæ ratio & exempla. ibid.
Ventriculus quare cibo non onerandus ſit. 92. confirmatur exemplo Mercurii auro amalgamati. ibid.
Vini commendatio. 82. & 83.
Vinum nervis inimicum. 96.
Vinum aqua dilutum laudatur. 99.
Vita noſtra lampadi comparatur. 123.
Vitæ plurima requiſita. 133.
Vita per jejunium & diætam conſervatur. 144.
Vitæ prolongandæ quatuor remedia. 114.
ad Vitam longam quodnam remediorum præcipuè eligendum ſit. 169. & 170.
Vitrioli Spiritus laudatur. 33.
Unum non fit ex uno. 37.
Urina debitè putrefacta duplicem edit ſpiritum. 99.

W.

Wetzlaria ſalubri aura commendabilis. 133. & 134.

FINIS.

Benevolus Lector ultimis pag. 24. verbis adjungat ſequentia: *Chryſopœia & Argyropœia contra Thomam Eraſtum.* Cæterum cum ſecundum Coſmopolitam, ea

Sit digeſtio.

MYSTERIVM RESVRRECTIONIS RERUM.

MAJUS EST, an, quia mundus incrementa ſumſit & major factus, turgeſcente terrâ, marique; montibusque & convallibus variâ florum & plantarum ubertate auctis? an, quia apud Romanos majoribus hic menſis conſecratus fuit, uti ſequens Junioribus? An verò, quia *Maja, Atlantis filia* Jovi concubuiſſe, Mercuriumq; filium ejus lactâſſe, hoc verò adulti veris tempus in Majæ honorem, apud Romanos, in maximâ reverentiâ fuiſſe, olim creditum eſt. Sit cuique opinioni ſuus honos. Veriſimilior illa videtur eſſe, quæ cum Labeone cenſet, Majæ nomine terram indigitari, idque nominis à magnitudine deſumptum eſſe. Hinc enim antiqui hieroglyphicis, fæcunditatem deſignantibus, eam depinxêre, quòd Jupiter, id eſt cælum, eo tempore, quo Majus in Signo GEMINORUM triumphat, terram imprægnet, & per Mercurium univerſalem, id eſt, vaporem in terrâ ſuſcitatum, omnia ſpiritibus impleat, & geminari faciat.

Quicquid ſit: Totus ſanè mundus revivixit, duriſſimumque gelu expertus, poſthabitis profligatisque triſtioris hyemis injuriis, quibus velut à mortifero Saturno incarceratus videbatur, vitâ iterum turget. Spiritus vivifici plena ſunt omnia: rediit animus & robur omnibus; & terra cæleſtibus recluſa & irrorata influentiis, velutque Jove marito imprægnata, aut ex Solis Lunæque virtutibus, velut in utero habens extendi cæpit & intumeſcere, atque nunc ubique parere cernitur. Continuantur generationes propagationesque rerum ubique, & quæ poſt receſſum caloris & exhauſtum propè humidum mortua videbantur, undiquaque reſurgunt, inſtarque privationis ad formam, ſive de ſtatu imperfectionis ad perfectionem, & de non eſſe ad eſſe properant, ut ne minima terræ particula otioſa videatur; ſed in ſingula momenta hæc actio-

ni intenta vivificationes moliatur & occulta è ſinu ſuo in apricum producendi luxurie ebulliat.

Lætatur hinc Maja: ludunt Gemini: Oceanus efferveſcit: movetur terra, aliâq; longè facie totus conſpicitur macrocoſm⁹. Neq; non microcoſmo ſua rediit hilaritas; ut videas, præter benedictam in campis viriditatem, prȩter pictam in pratis florum varietatem, in aquis piſcium majorum, minorum, medioxumorum venuſtam luxuriem, in montiū apicibus prȩter armenta gregeſq; ovium, lȩtosq; horum magiſtros, etiam vitem protrudere oculos, efflorescere arbores, fontes & flumina ſuſurranti decurrere murmure, ventos leni aurâ ſpiritus noſtros delinire: volare & infinitis ludere vocum dulciſſimarum mutationibus alites, & inter hos naturalis Muſicæ Magiſtram Philomelam certamen inſtituere, paratam, vel vincere, vel mori: volvi ſerpentes: currere feras: egredi in plateas juvenes pariter ac ſenes: & experiri Jovis beneficam poteſtatem Principes & Reges: Veneris indolem volupticam juvenes, pueros & puellas: pernicem Mercurii peritiam Philoſophos: pretioſum, quem tenet omnis lucus & obſcuris claudunt convallibus umbræ, Saturni valorem Adeptos, Senes & Sapientes: ignitum & Soli proximum Martis vigorem Duces & milites: Solis denique & Lunæ vivificam vim ſumma & ima. Et quis omnes hujus temporis delicias deſcribere poteſt?

Si *Polycletus* rediret, aut *Appelles*: vel artificioſiſſimus aliquis *Pyrgoteles*, in arte phrygiâ exercitatiſſimus & feliciſſimus, quibus utpote ſolis data fuit poteſtas, effigiem *Alexandri Magni* ſive ære ducendi, ſive coloribus delineandi, ſive celamine excudendi, vix pares futuri eſſent tantò naturæ renovatæ miraculo adumbrando:

Quo pater omnipotens, tonitru dum flabile ſpargit,
Dulce per os, profert monumenta ſequacia rerum.
Namque ipſum nihilum, vocem rumpente Iehovâ,
Arrigit attentas, quas nondum poſſidet, aures.

Sed, quid plura memoro de hujus temporis felicitate? Reviviximus omnes. Neque minùs, poſt diverſa, in Regiâ Haſſo-Darmſtadina funera, & ea reſurgere in nova videtur gaudia, dum quiſq; ſibi

ſibi conſcius eſt, quàm ingenuè imperet in illa LUDOVICUS VI. cujus vegetum robur & Heröe dignum vultum, ipsâ vel ſtupente NATURA, admirantur HEROES ipſi: cordatam eloquentiam SAPIENTES: imperterritum pectus vel ipſe GRADIVUS. Ad cujus inſomnem animum attonita ſtat PATRIA: ad cujus ſolertem in rebus civilibus prudentiam hebeſcunt CIVES: ad cujus multiplicem ex variarum ſcientiarum penu experientiam vel ipſæ cum APOLLINE cæcutiunt MUSÆ, quibus, dum non licuit ſufficientibus eſſe citharâ, aliisque ſe dignis chordis, *Sereniſſimi hujus Principis, ac Domini*, DN. LUDOVICI SEXTI, *inquam*, HASSIÆ LANDGRAVII, PRINCIPIS HERSFELDIÆ, COMITIS IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAINA, NIDDA, SCHAUENBURGO, ISENBURGO ET BUDINGA &c. PARNASSUM exornare, & ſive in architecturâ indefeſſam ejus operam: ſive in Geometriâ profundas meditationes: ſive in Naturæ abditis inimitabile ſcrutinium, ut cætera taceam, quæ ſive cælum amat, ſive terra habet, pro lege ac modulo ſuo aptis decantare fidibus, vel *Vulcanus* litem movere auſus eſt, dum excitatâ ab artificibus pulcherrimâ arcis novæ mole, ſummitatem turris illius Muſicis inſtruxit ex ære campanis, quæ mirâ artis dexteritate, in DEI omnipotentis honorem, noctu diuq;, per ſingulas horas, imò & horarum quadras, tum ſuis automatis agitatæ, tum ad modum inſtrumentorum Muſicorum ab artis Muſicæ peritis impulſæ, DEI laudes mirâ adſtantium congratulatione reſonant, ne deeſſent teſtimonia pro incomparabili Principe, & ut nunquam moriatur, digno: ut neque ſileam, quàm ſub ejus regimine Giſſena quoque renaſcatur Academia, quæ tot Muſarum oſtendit Alumnos, tot Pallados Sapientiæque divinæ emiſſarios; & inter hos, tam egregios Theologos, & poſt hos, tot Jure Conſultos & Senatores prudentes, tot Machaonas peritos, tot Platones, Laërtios, Atlantes, tot Conſulares nobiles, bonos, eruditos, & per vices lætos ex diviſis in meritos coronis feſtos dies. Quæ omnia ſanè primi ARCHITECTI SPIRITUS ET CREATORIS nondum otioſi, ſed inexhauſtâ virtute ſuâ totum hoc agitantis

adhuc & perpetuò renovantis indicia ſunt. Præſtet, ô! tantum Haſſiæ columen ac ſidus nobis diuturnum Fortis ille Spiritus DEUS, ut quantalibet in nos fortunæ vis ſæviat, minentur vicina arma Imperio Romano, claſſibus maria inquietentur; ipſius tamen pietate, ſive bello, ſive pace nobis tutis & invictis eſſe liceat, gloriamq; ejus nec ætatis ullius ſpacium metiatur, nec ipſius orbis. Intereà, dum hæc meditari cæpi, Sole apud Geminos divertente, animus cogitatione RESURRECTIONIS ET RESUSCITATIONIS RERUM in naturâ afflari cæpit & quàm jucundo renovati orbis ſpectaculo nobis liceat de futuræ palingeneſεως gloriâ eſſe ſecuris, ut proinde, arreptâ chartâ factóque ex Rore majali experimento aliquo, de quo in fine agetur, quæ ſequuntur delineaverim, ac, dum vivimus, movemur & ſumus, per eum, qui eſt omnia in omnibus, tandem DEO & SPIRITUUM PATRI gratiarum actione habitâ, agnoſcamus verſatilem illam rotam, quæ in ſublunaribus varia reſuſcitationis rerum documenta exhibet.

Supervenit mihi manus JEHOVÆ, & educens me in Spiritu JEHOVA, collocavit me in medio cujuſdam convallis: quæ erat plena oſſibus. Et traduxit me per illa circumquaque. Ecce autem! erant multa valdè in ſuperficie illius convallis, & ecce! arida erant valde. Quùm autem dixiſſet mihi: Fili hominis, an reviviſcerent oſſa iſta? dixi, DOMINE JEHOVA! tu noſti: Edixit verò mihi: propheta de oſſibus iſtis, & dic eis: ô oſſa arida, audite verbum JEHOVÆ! Sic ait DOMINUS JEHOVI oſſibus iſtis: ecce, ego inducturus ſum in vos ſpiritum, ut vivatis. Nam addam vobis nervos & obducam vobis carnem, & ſuperintendam vobis cutem, ponamque in vobis ſpiritum, & vivetis, ut cognoſcatis, me eſſe JEHOVAM.

Quàm

Quùm itaque prophetarem, quemadmodum juſſus fueram, fuit ſon⁹, me prophetante,& ecce! concuſſio appropinquantibus oſſibus, uno ad ſuum alterum. Deinde,cùm aſpicerem, quòd, ecce, ſuper ea nervi & caro aſſurrexiſſent, & ſuper intenſa eſſet eis cutis ſupernè: ſpiritus a. nullus in eſſet eis; dixit mihi: Vaticinare alloquens ſpiritum: Vaticinare fili hominis dicens ſpiritui. Sic ait Dominus JEHOVI, à quatuor ventis adveni ſpiritus, & perflato interfectos iſtos, ut vivant. Quamobrem prophetavi,quemadmodùm præceperat mihi, & ingreſſus eſt in illa ſpiritus & revixerunt, ſteteruntq; ſuper pedes ſuos copiæ magnæ quàmplurimùm: Verba ſunt *Buziadis Prophetæ.* Quæ, etſi reſpiciant ad diſſipatorum Judæorum reductionem, quæ deſperata videbatur, tanquam de illis actum eſſet: nihilominùs tamen, cùm ex veritate reſurrectionis,quæ non ſit impoſſibilis, ſed infallibilis futura, ſpes Iſraëlis confirmetur, abſtruſam de Spiritu vivificante & reſuſcitante tam Philoſophis, quàm Medicis meditationem ſuggerunt.

Spiritus,uti notum eſt,Græcis πνεῦμα dicitur,& modò halitum, quem ore trahimus, modò ventum, qui aërem turbat, ſignificat. Unde *Hippocrates lib.* 1. *de Flatibus*: Spiritus quidem, qui corporibus inſunt,flatus nominantur, qui verò extra corpora, aër. Quin & quicquid nutritur & nutrit, ſpiritu nutrire & nutriri dicitur, tum, quia cibis & potulentis omnibus ſpiritus quidam ineſt: tum, quia ſpiritus ille, liber factus, per digeſtiones, ſpiritui noſtro ſe jungit, eique pro alimento eſt,ſecundùm *Coi effatum l. c.* Hominum & reliquorum animantium corpora triplici alimento nutriuntur, cujus hæc ſunt nomina: cibus, potus,ſpiritus.

Moralis Philoſophiæ Profeſſores elationem mentis etiam

vocant ſpiritum. Qui verò è ſacris ſua depromunt oracula, Deum, Angelos, animasque ſeparatas eo quoque nomine indigitant. DEUM quidem, nomine, SPIRITUS SANCTI, vel SPIRITUS ABSTRUSISSIMI, vel SPIRITUS DOMINI: Angelos verò bonos, nomine Spirituum miniſtrorum, & vigilum in ſalutem piorum: uti malos, nomine Sathanæ, & Spiritus mendacii: & animas denique hominum ſpiritus appellant, qui corpore mortuo ſuperſtent: brutorum verò, qui cum corpore deſinant & moriantur.

Sed omiſſis, quæ Medicinæ non tangunt pomœria, mihi hoc loco conſideratione dignus veniat ille Spiritus, qui in elementorum & rerum elementatarum condo habitat: qui à Sole & Lunâ productus, Solem agnoſcit patrem, & Lunam matrē: qui ab *Eccleſiaſte* vocatur VIR FORTISSIMUS ET CUSTOS DOMUS: qui *Hermeti Trismegiſto* appellatur: OMNIS FORTITUDINIS FORTITUDO FORTISSIMA: Ab *Hippocrate*, IMPETUM FACIENS, quòd velut manu vitæ clavum teneat & totam noſtri œconomiam moderetur: ab *Hiobo*, VENTUS SIVE AURA VITALIS, propter ſui fluxibilitatem, & quia continuâ reſtitutione ex cibo & potulentis, ipſoq; aëre indiget. LUX aliis, propter communicationē vitę, mot⁹ & caloris: LUMEN, propter ſui præſtantiam, & LUMEN quidem VITALE, propter effectum: SULPHUR, propter totius conſervationem, & SAL, propter bonitatem, quia dum in vigore ſpiritus eſt, lumen de ſe ſpargit, & tincturâ ſuâ tum homines, tum cætera creata vivis velut coloribus depingit, animæque immortalis inſtrumentum eſt: recedens verò aut avolans, uti in ſyncope videre eſt, omnia triſti mortis facie inumbrat & noctis palpebris involvit: deniq; MERCURIUS, quia reb⁹ ſe applicat omnibus, neque quidquam inanimatum ſinit, ut potiùs mortua vivificet, & in novam reſurgere vitam faciat, prævià per putrefactionem diſpoſitione. Hodiernis *Medicis & Philoſophis* familiare eſt, unâ eâdemque fideliâ depingere calidum innatum, & ſpiritum, unde pro uno eodemque ſpiritus & calidum innatum ſæpe accipiuntur. *Virgilius*, Poëtarum omnium præſtantiſſimus, conſiderans

derans varias rerum creatarum alterationes & corruptiones de Spiritu illo ſic loquitur: *Spiritus intus alit*, totamque infuſa per artus MENS agitat molem, toto & ſe corpore miſcet. *Marcus Manilius* in *Aſtronomicis ad Auguſtum* ita de eo diſſeruit: Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi *vis animæ divina* regit, edoctus ſic proculdubio, ab Antiquitate. Nam *Zoroaſter*, *Heraclitus* & *Plato* eum appellârunt MUNDI ANIMAM: alii, SPIRITUM UNIVERSI: Chymici SOLEM CENTRALEM & SAL CENTRALE. *Petrus Iohannes Faber, in Sapientiâ univerſali*, reſpiciens metalla, eum vocavit materiam primam, eliciendam ex elementis viſibilibus, in formâ puri ſalis dulcis & volatilis, atque ideò dici *AVEM HERMETIS* & PHILOSOPHORUM MERCURIUM, propter volatilem & facilimam adhærentiam cum ipſis metallis: melius enim & fortiùs adhærere metallis, quàm ipſummet mercurium vulgi, qui propriè non adhæreat metallis, cùm ipſa relinquat, ſi fortiſſimo igne pellatur ab ipſis: ſpiritum autem hunc nunquam relinquere metalla, quibus conjungatur; ſed ſemper adhærere ipſis & in continuâ & perenni earum coctione cum ipſo ad perfectionem ultimam ipſa reducere. *Domino de Nuyſement* placuit eum Dæmogorgonis nomine indigitare, ſive Panis aut Panurgi. *Paracelſus* verò ipſum fortè notavit nomine *LIQVORIS ALCAHEST*: alii ÆTHERA dixerunt, ſive etiam IGNEM AQUAM, ex αἴθω ardeo & ἀὴρ ſpiritus vel aër, ut ſit idem, quod ſpiritus ardens, *teſte Kunrado à Khunrad*, ein Geiſtfeuriges Waſſer / ein Waſſerfeuriger Geiſt / ein feuriges Geiſtwaſſer / ſive LATEX ÆTHERIUS, & qui, ſecundùm *Ariſtotelem*, participet de quinto, & ſupra corruptibilium naturam elementorum ſit evectus, qui tamen ſuam incorporationem accipiat ab elementis, ut iis, tanquam veſte tegatur, & determinationem ad tale vel tale eſſe à rerum matricibus & locis, quibus applicatur, accipiat, unde univerſa fere Philoſophorum Hermeticorum Schola, eum, uti ſuprà dictum, Mercurii titulo condecorâvit. Quemadmodùm enim Mercurius, ſive elementum aquæ, earum rerum colores, odores & ſapores induit, quibus jungitur: Sic etiam virtus illa ſpiritualis & ætherea,

per

per univerſum diffuſa, mille variatis modis characteriſatur, ſecundùm particulares naturas, à quibus apprehenditur & trahitur, non aliter, ac videmus unum eundemque cibum ab homine, cane, fele, leone, urſo & à quàm plurimis aliis animalibus comeſtum, commutari per prævias alterationes, in cujuſvis animalis naturam; & pro diſpoſitione quoque loci & facultatis, in eorum ſemen tandem concedere & poſteros ſui ſimiles edere.

Stoici exiſtimârunt, teſte *Ariſtotele, de anima c.* 5. Spiritum ab animâ non eſſe diſtinctum quid: in quam ſententiam etiam nonnulli trahere conati ſunt *Hippocratem, lib.* 7. *Epidemicorum*, dum ait: Hominis anima ſemper producitur ad mortem: Si autem igneſcit, ſimul cum morbo & anima & corpus depaſcitur. Verùm enim verò, quis non videt, *Hippocratem* appellâſſe ſpiritum animam, non, quia animam eſſe judicaverit, quomodo enim depaſceret febris animam uti corpus? ſed, quia ſpiritus ad animæ operationes vitales neceſſarius ſit, ut ſine ſpiritu animam in corpore ſe manifeſtare ſit impoſſibile. *Duncanus Liddelius* ſpiritum facit corpus mixtum, à naturâ genitum, gratiâ conſervationis facultatis animæ in corpore. *Andreas Laurentius* dicit, quòd ſit corpus tenuiſſimum, perpetuum, mobile, ex ſanguine & vapore genitum, facultatum animæ inſtrumentum. *Varandæus* appellat ſubſtantiam tenuem, lucidam & ætheream, ab exhalatione ſanguinis benignioris, inſpiratuque aëris genitam, partim inſitam ſingulis partibus, partim influentem, ad univerſas functiones neceſſariam. *Fernelius* ſpiritum definit corpus æthereum, caloris facultatisq; ſedem ac vehiculum, primumq; obeundæ functionis inſtrumentum. *Argenterius* verò contendit, non eſſe corp⁹ ætherium *l.* 2. *de Somno & vigiliâ c.* 6. tum, quia non ita perfectæ naturæ ſit, nec ita ut cælum incorruptibile: tum, quia ſi eſſet, vel cælum non eſſet igneum vel ſpiritus non igneſceret. *Helmontius*, ille Adeptorum particeps, *in libro de aurâ vitali*, poſtquàm monſtravit, ſanguinem arterioſum, ex cruore factum, totum eſſe ſalſum & volatilem, aſſerit, quòd ſpiritus vitalis nihil aliud ſit, niſi ſanguis, per vim fermenti & motus cordis reſolutus in auram ſalſam & vitaliter illuminatam: nimirum, non ſufficere, ut ſpiritus

illudat

illudat ſub imaginatione ſalſæ exhalationis; ſed etiam, quia officiis & muniis vitæ fungi debeat, illuminari debere lumine, non ſanè urente aut inflammante igneo; ſed ſimplici, vitali, de naturâ formarum animantatorum vitæ & animæ ſenſitivæ, & quidem de ſpecie humanâ.

Sed quorſum laboro in hujus ſpiritus denominatione, dum, an talis quidam detur, nondum demonſtravi?

At verò, cùm fides Chriſtiana ſit ea: mundum hunc non fortuito atomorum confluxu exiſtere cępiſſe; ſed in numero, pondere & menſurâ diſpoſitum eſſe, Spiritumq; DEI aquis primordialibus incubantem igneo vigore omnia repleviſſe, & lucem denique per verbum DEI vitam rerum extitiſſe; quis non igneo huic ſpiritui, tanquam producto S. Flaminis, quis non luci adſcriberet vitę poteſtatem? Spiritus Sapientiæ Sacroſanctus (ſine quo Jehova nec cælum, nec terram, nec quicquam aliud in iis creare voluit) inquit *Robertus de Fluctibus*, erat fons actuum, formarum & eſſentiarum rerum omnium, tam in cælis, quàm in terris, mediatione cujus omnia vivunt, moventur & agunt: hinc in conſideratione actus ſui generalis & catholici dictus eſt ipſe incubâſſe aquis (& ut *Auguſtinus* ait) igneum iis vigorem impertiens. Dum ergò igneo vigore omnia impleri cæperunt à Spiritu Domini, quis non & ab hoc vitam deduceret rerum omnium, non tanquam ipſe Spiritus Sanctus rebus ſeſe immiſcuiſſet omnibus, tanquam forma materiæ: eſt enim ſupra omnia non excluſus, intra omnia non incluſus; ſed quia vim igneam illis indidit, quâ ſe multiplicarent, propagarentque, ad uſque mundi terminum. Eſt equidem certum: Spiritum, mundi Creatorem Naturæ operibus continuo quaſi afflatu infuſum & per omnia largè diffuſum, ſecreto & perenni quodam actu, univerſa & ſingula, ſecundùm genus ſuum, movere, dum in ipſo ſumus, vivimus & movemur, & ab ipſo, & per ipſum, & in ipſo, & ad ipſum ſunt omnia. At verò, neque illi à Theologorum & Philoſophorum mente recedent, qui cauſam ſecundam univerſalem, primæ ancillantem & tanquam inſtrumentum ab eâ motum, immediatè, ſingula in mundo materiali ex ordine movens agnoverint, & hanc

Naturam naturatam, illam Naturantem dixerint, quæ quidem per univerſum terrarum orbem, ſingulasque ejus partes ſit diffuſa, principalem tamen ſedem ſuam habeat in Sole, atque ſic ſit ſpiritus igneus, ignis inviſibilis, virtus Solis vivifica & ſecretâ fæcunditate dotata, quæ quidem virtus, etſi unica res ſit, variè tamen veſtiatur, ſecundùm illud *Hermeticæ Tabulæ*: ſicut omnes res fuerunt ab uno, meditatione unius; ſic omnes res natæ ſunt ab hâc unâ re, adaptatione.

Confirmant hanc ſpiritus exiſtentiam adhuc alia S. Scripturæ documenta, inprimis in principio adductum *Ezechielis* ab ore Altiſſimi notatum effatum: Veni ſpiritus à quatuor ventis, & inſuffla iſtos interfectos, ut vivant. Ubi probè notandum, quòd ad largiendum rebus vitam aëre potiſſimùm veſtiatur. Hinc enim *Coſmopolita* dixit: Creatus homo de terrâ, ex aëre vivit; eſt enim in aëre occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam rarefactam appellamus, cujus ſpiritus inviſibilis coagulatus melior eſt, quam univerſa terra. Niſi enim aërem hauriremus, nulla vitæ nobis communicatio univerſalis fieri poſſet, ſine quâ, utpote, omnis vita particularis caduca & manca. Sol nimirum, luſtrans univerſa, incircuitu pergit ſpiritus & in circulos ſuos revertitur: vel juxta *Tremellii* verſionem: Sol properat ad meridiem, & circum it ad Aquilonem, & converſatione ſuâ properat aër, & ſecundùm circuitus ſuos revertitur aër: vel ut *Pagninus* habet: Sol vadit ad meridiem & circuit Aquilonem, & ad circuitus ſuos revertitur ventus: quo quidem textu innuitur univerſalis ventorum & aëris vis in Sole per verbum DEI, in quo eſt rerum vita, ſecundùm illud Pſalmiſtæ divini: Verbo DEI firmati ſunt cæli & omnis exercitus eorum, Spiritu oris ejus. Spiritus ille quoque vocatur ſpiritus incorruptibilis, ſecundùm illud ſapientiæ: Et Spiritus tuus incorruptibilis eſt in omnibus. Sic *Pſ.* 140. Vita rerum appellatur Spiritus Domini: Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ: ubi egregia & notabilis fit permutatio Spiritus DEI & ſpiritus noſtri. Omnia enim ſunt Domini DEI

noſtri,

noſtri: ille eſt omnia in omnibus, & per ipſum cauſæ ſecundæ ſunt, quod ſunt, & operantur, ad quod à ſummo rerum opifice deſtinatæ ſunt.

Diutius fortè hæreo in expendendis teſtimoniis ſacris; ideoq; in cenſum quoque veniant philoſophicæ rationes, quarum nonnullas *Dn. de Nuyſement, in tractatu de Sale Philoſophorum* conſignavit, dum *primò* monſtravit: mundum vivere & vitâ plenum eſſe, intuendo, eum in continuis & non quieſcentibus formarum alterationibus conſiſtere, quæ ſine motu vitali fieri non poſſint. *Deinde* conſiderando, naturam inſtar fæcundæ & ſolicitæ matris hunc mundum complecti & nutrire, diſtribuendo unicuique membro ſuam ſufficientem portionem, ita, ut in univerſo hoc nihil occurrat, quod animâ ſuâ illa informare non quærat, cùm otioſa nunquam ſit; ſed ſemper actioni ſuæ intenta maneat, quæ vivificatio eſt: *tertiò*, vaſtum itaq; hoc corpus motu præditum eſſe, eoque perpetuò agitari, motum verò ſine ſpiritu vitali fieri non poſſe, proptereà, quòd quicquid vitâ caret immobile ſit: ubi non loquitur de motu, ſive violento, ſive qui de loco ad locum fit; ſed de eo, qui ſe habet inſtar privationis ad formam, aut inſtar imperfectionis ad perfectionem: & *quartò*, plantarum vegetationem & lapidum concretionem promoveri motu, qui fiat per infuſionem hujus animæ agitantis magnam hanc maſſam & molem, mediante ſpiritu quodam radicali & nutriente, cujus origo & minera, tanquam cauſa quædam prima procreatrix & avia omnium rerum in centro terræ reſideat, ut inde velut ex corde omnes functiones vitales prodeant, & per totum corpus ſeſe extendant. *Denique*, ſi animalia, mineralia & vegetabilia majorem partem viſibilis hujus mundi conſtituentia, plena ſint vitâ, cur crederere debeamus aut ſtatuere, totum partibus ſuis magis eſſe mancum? Sed videatur ipſe *allegatus Autor*, ubi ſatis doctè totam hanc rem proſequitur, & manifeſtè ob oculos ponit.

Porrò, cur actiones rerum non attribuerem ſpiritibus, ſed vel diſpoſitioni partium, vel atomorum, ſive partium inſenſibilium fortuito concurſui, quemadmodum ſunt, qui preter mentem, ſoli

 homini

homini debitam, menſuram, quietem, motum, poſituram & figuram cum materiâ cunctarum exordia rerum ponunt, ſublatis formis ſubſtantialibus. Hi enim, etſi quidem ſatis argutè de hoc quæſito diſputant, non tamen oſtendunt, quopacto cujusque rei particularum conſtitutio & diſpoſitio fiat, unde motus & temperies rei oriatur. Videmus quidem automata pro diſpoſitione varia moveri; ſed non ſine aqua, aut aëre: liceat itaque & rebus creatis vivere; ſed non ſine vitæ ſpiritu, qui vivificat omnes mundanas rotas. Spiritus vitæ erat in rotis, *Ezechielis oraculo*: quo vel ad momentum deficiente, omnis ruit & ſtat immobilis machina; atque hinc etiam morbos in Scripturis adſcribi videmus, non inordinationi atomorum; ſed ſpiritui: unde ſpiritus ἀσθενείας: Spiritus narcoſεως, ſpiritus vertiginis, &c. in iis notantut. Auferente Te ſpiritum eorum, non hominis ſaltem, ſed omnium viventium, emoriuntur: dante Te ſpiritum tuum creabuntur, & renovabis faciem terræ *Pſ.*104. Neque tamen ſolis qualitatibus actiones tribuendæ. Etſi enim actiones rerum multi mutuantur à qualitatibus; non tamen hæ, ut ſic, actionum autores ſunt; ſed ſaltem actionum talium vel talium, ſi non omnes potiùs à ſpirituum integritate & puritate, vel contrà, actiones & actionũ modi oriuntur.

Rectè ergò & confidenter dixit *Autor Phyſicæ Reſtitutæ*: Corpora naturalia, quæ activam vim obtinent, non per ſolas qualitates, uti vulgus exiſtimat, agere; ſed per ſpiritus ſecretos. Neque enim ignem per ſimplicem qualitatem caliditatis agere aut calefacere; ſed per continuum ſpirituum & radiorum fluxum: neque terram aut aquam, per ſolas qualitates frigiditatis & humiditatis, refrigerare aut humectare; ſed per tenues vapores, ſpiritusque innatos & emiſſos, ut eminùs ſenſum feriant: neque venena per qualitates maleficas tabem & mortem; ſed per ſpiritus maleficos ſeriùs, ocyùs inducere.

Neque tamen his ſic ſtantibus, ab animâ, quæ tota dicitur eſſe in toto, & tota in qualibet corporis parte omnis operatio proximè deducenda. Præter quàm enim, quòd fruſtrà quæritur: an anima ſit tota in toto & tota in qualibet corporis parte? quia hoc ab eſſentiis im-

tiis immaterialibus quærere alienum eſt, niſi totum perfectionale intelligas, non negari quidem poteſt, animam in corpore humano agere, intelligere & velle, ratiocinari & judicare, motum & ſenſum largiri, vitamque quâquâverſus ſpargere, cùm ſit fons & origo actionum; ſed an immediatè talia exerceat opera, & non mediantibus organis & ſpiritibus, id quidem veriſimile non eſt. Cùm enim anima ſit ſubſtantia omninò immaterialis, corpus verò planè materiale quid, ideoque medio opus habet anima, quo tanquam inſtrumento idoneo agat in & cum corpore, & quod ſummâ ſuâ ſubtilitate animæ fiat affine, eſſentiâ verò ſuâ cum corpore participet. Videmus enim cælum colludere cum terrâ, non mediatè, ſed per gradus, mediante nimirum aëre & aquâ; ſupremaque ſemper eſſe ſubtiliora inferioribus, & inferiora denſiora ſuperioribus. Non ergò anima aliter, quàm per ſpiritus ſuas obit functiones, cùm, quę planè craſſa & impura ſunt, planè inepta ſint, ut mens immortalis per ea operari poſſit, atque commercium cum iis habere, quemadmodum nec ſpiritus agere poſſunt, niſi per organa: quę enim eſſentiis ſuis maximè diſtant, medio opꝰ habent, quo invicem communicare poſſint. Atque hinc *Platonici*, non abſurdè, gradus quoſdam numerant, quibus unum extremum cum altero combinetur, dum dicunt: Deum agere nobiſcum per mentem; mentem, per intellectum: intellectum, per rationem: rationem per animam: animam per ſpiritus vitales: hos per facultates, & has per corpus ejusque inſtrumenta. Quemadmodùm enim in Muſicâ non aſcenditur ſine intervallo ad diapaſon: ita nulla fit communicatio animæ cùm corpore adhuc fecibus immerſo, niſi per gradus medios, ſive per medium participativum utriusque extremi. Et ſicut à terreſtribus aſcendendo, aqua terrâ eſt ſubtilior: aër aquâ: ignis aëre: cælum & lux igne, & ſi quæ alia adhuc ſunt ſupra cælum ipſo cælo, ut ſunt intelligentiæ & his ipſis infinitè Deus: (Unde rectè *Dominus de Nuyſement*: Corpus mundi optimè ſenſibus dignoſcitur; ſed in illo latet ſpiritus occultus, & in hoc ſpiritu anima, quæ cum corpore, niſi mediante hoc ſpiritu, uniri non poteſt. Corpus enim groſſum eſt, & anima ſubtiliſſima, à cor-

poreis qualitatibus longiſſimè diſtans. Ad hanc igitur unionem efficiendam tertio aliquo opus eſt, cum amborum naturis conveniente, quod ſit quaſi ſpiritus corporeus, quia extrema non poſſunt aſſociari, niſi per ligamentum aliquod medium, affinitatem cum utroque habens, ut cum utriuſque naturâ convenire poſſit.) Ita quoque, comparando hominem microcoſmum cum hoc macrocoſmo, ſummè ſpiritualia & ſubtilia planè non communicant cum craſſis niſi per media. Ut ergò animæ cum corpore commercium ſit & conſtet, aëre & reſpiratione opus eſt, non tantùm externo, in quo magna vitæ ſcintilla latet; ſed & interno, in reb⁹ occultato, & qui per digeſtiones liber factus vitæ & ſanguinis ſuſtentaculum ſit. Et, ſi porrò progredi licet; dum caput hominis repræſentat mundum intelligibilem, utpote in quo intellectus mens & ratio vigent: Thorax verò cælum æthereum, in cujus medio, cor, tanquam Sol vitalibus ſuis radiis omnia vivificat, &, per pulmones, in omnia membra virtus talis quædam & vis aërea diſſeminatur, pro igne vitali conſervando: quatuor verò elementa, ut ignem in felle, aërem in ſanguine, in pituitâ & ſero aquam, & in melancholia ſive recrementis terram reperire licet: imò elementa quatuor groſſiora in abdomine, ſubtiliora in thorace, ſubtiliſſima, in capitis æthereâ regione; non aliter ac etiam elementa in his inferioribus groſſiora ſunt, in ſuperioribus verò ſubtiliora; nonne omnia harmonicè concordant, ne detur confuſio rerum; ſed, ut ſuperiora cum inferioribus & media cum ſuperioribus & imis ſuaviter conveniant & conſpirent in unum? Et ut hoc rectiùs intelligatur, conſideretur quęſo, vel ipſum Deum appellari & eſſe ignē: Ignem idealem divinum inacceſſibilem: eſſe verò eundem quoque Vitam & Spiritum, ſpirantem in omnia, ut vivant atq; reſpirent, & in aurâ tenui tanquam ſibilo Eliæ & domeſticis ſuis locutum. Nec non Aquam vitæ. Imò dum in Archetypo eſt firmiſſima fæcundiſſimaque natura, quis non etiam ſubtiliſſimam terram conſideraret in ipſo, de quâ: Germinet terra Salvatorem. Sic in Angelis eſt Seraph igneæ naturæ: Cherub aëreæ: Tharſis aqueæ: Ariel terreæ. Nempe, ut in DEO omnia ſunt eminenter, & modo quodam incom-

incomprehenſibili, dum omnia eſt in omnibus: ſic in creatis rebus ſemper ſucceſſione quadam ſuperiora cum inferioribus colludunt.

Dictum hactenus de Spiritu vivificante, ejusq; variis appellationibus, & quòd reverâ exiſtat, nec non, quòd libenter velamento aërio veſtiatur, atque animæ & corporis vinculum ſit.

At, cùm nondum ſic ſatisfactum ſit Philoſopho, meritò quoque quæritur: Quidnam in creatarum rerum ordine ſit ille Spiritus, qui tot nominibus involvitur & per cujus adaptationem omnes res fiunt & ſunt?

Repetam itaque, quod *Coſmopolita* dixit: Eſt in aëre occultus vitæ cibus. Et ut hoc intelligatur, non verebor huc transſcribere, quæ *Robertus de Fluctibus cap.* 5. *lib.* 1. *de Vromantiâ*, ſine velo veriſſimè manifeſtavit. Admirandum, ait ille, & occultiſſimum eſt aëris ſeu Elementi ſublunaris ſive ſpiritus catholici internum inviſibile, quippe, quod eſt ſal quidam volatilis, in quo ſinceri deliteſcunt & reſident vivifici cælorum influxus: atque quandoque fatales & vitæ adverſæ, ſic volente DEO: *Juxta iſtud Hiobi:* Cùm impius eſſet impleturus ventrem, in eum æſtuantem ſuam iram DEUS emittit, quam implevit in eum loco cibi ejus. Iſtius ſalis in inviſibilis aëris ſinu occultati, in iſtis meminit *Philoſophus:* Verſatur ſubjectum noſtrum toti mundo ob oculos & non cognoſcitur. O cælum noſtrum! O aqua noſtra! O Mercurius noſter! O ſal noſtrum in mari mundi verſans! O vegetabile noſtrum! O ſulphur noſtrum fixum & volatile! Aqua manus non madefaciens, ſine quâ nemo mortalium vivere poteſt, & ſine quâ nihil naſcitur & generatur. Et quidem rectè hoc dixit *Philoſophus iſte*: nam mediante iſto Sale vivimus, ſentimus, calore naturali & humore ſuſtentamur; vigeſcunt, creſcunt & præſervantur corporis humani artus ſeu membra, generatio mediante ſpermate eſt facta, ac denique per illum multiplicamur & præſervamur. Quod totum, ut clariori ſtylo intelligatis vos, ſciatis velim, quòd ab iſto ſale occulto, ratione duplici nutriamur: vel *immediatè*, à fonte illius ſalis catholico, videlicet, à ſale virgineo & minimè adhuc ſpecificato; vel *mediate*, nimirum à ſale iſto prius ſpecificato, hoc eſt, nutriment

veli

vel carnis, vel piſcis, vel frumenti, vel alterius rei vegetabilis ſpeciem anteà induente. In priore ſenſu, ſal iſtud mediante ſpiritu mundano ſeu aëre per inſpirationem, in ſimplici & virgineo ſuo ſtatu ad cerebrum & cor attrahitur atque introducitur, & in iſtâ ſpiritualis atque inviſibilis nutritionis ſpecie ſuſtinetur ſcintilla vitæ, quaſi pabulo ſuo proprio, & in naturâ minimè ab eâ differente, non aliter, quàm ignis tabeſcens novo ligno vel carbone reficitur. Hinc ergò eſt, quòd talis ſal virgineus, ſeu immediatè à fonte catholico emanans, verum hominis ſpecimen induit, & ſeipſum, more Mercurii cæleſtis, convertit in internam hominis effigiem, unde non modò, à divino influxu in iſto ſale recondito, augetur ipſius ſpiritus intellectualis; verùm etiam ſemen procreatur inviſibile, quod in generatione geniti eſt internum, effigiem ſimilem in utero effingens, qualis erat ſpecies paterna, à quâ immediatè effluxit. De admirabili iſtius ſalis naturâ, omnes rerum ſpecies induere valente, abundè locuti ſunt, non modò Philoſophi ſapientiores, in Chymiâ verâ verſati; ſed etiam ipſæ Sacræ literæ, ubique ſparſim, ſed in diverſo ſenſu. Et, ut primùm teſtimoniis Philoſophorum utamur, ait *Author allegatus:* id accipere debes, quod eſt, ſed non videtur, donec artifici placeat: eſt aqua roris noſtri, ex quâ contrahitur ſal petræ Philoſophorum, quo omnes res creſcunt & nutriuntur. De modo illum ſalem colligendi & multiplicandi hæc: In ſuperficie terræ radii radiis junguntur & producunt flores & omnia, propterea, quando pluvia fit, accipit ex aëre illam vim vitæ, & conjungit illam cum ſale nitri, quia ſal nitri terræ eſt inſtar calcinati Tartari, ſuâ ſiccitate aërem ad ſe trahens, qui aër in eo reſolvitur in aquam: talem vim attrahendi habet ille ſal nitri terræ, qui etiam aër fuit. Hîc Philoſophus narravit modum, quo ſal illud catholicum vegetabilium ſpeciem induat, mediante quo, vegetabile illud, utputa triticum, creſcat & multiplicetur, & fiat tum poſteà nutrimentum generi humano aptum, videlicet, ad nutriendas partes ipſius naturales, ſeu membra tam interna, quàm externa hominis externi ſeu elementaris: At verò, quatenus in virgineâ ſuâ naturâ eſt, videlicet, priusquàm

coivit cum aliâ ſpecie, ſe ipſum convertit in ſpeciem humanam; hæc ipſe: Creatus homo de terra ex aëre vivit. Eſt enim in aëre occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam rarefactam appellamus. Quibus arguit: aërem illum, per pulmones ad cor atque arterias attractum, & in quo deliteſcit arcanum illud ſal, interno vitæ ſali additum, prolongare atque præſervare vitam, niſi Deus, ob peccatum hominis, malevolos & morbidos influxus, ſeu malevolorum ſpirituum ſpermata, ſeu halitus venenatos cum bonis vitæ dotibus ei incluſis permiſceat aut permiſceri ſinat. *Et uſque huc diſcurrit præmemoratus Fludd*, de ſale volatili, quod deſcendit *immediatè* per inſpirationem in vehiculo aërio in hominis pulmones, cor, arterias, & cerebrum, ut ſit quaſi ſanguinis vitalis, ſive arterialis ſubſtantia viſibilis per appoſitionem facta, in quâ parùm aut nihil humoris excrementitii reperiatur, quoniam in omni attractione aëris, per inſpirationem, vi quâdam magneticâ ſal ſali addatur; &, quod quidem ſit humidum nimis, aut aëreum vaporoſum in eo, per expirationem emittatur forâs.

At verò, quatenus *mediatè*, per carnes animalium, & variam vegetabilium aſſumptionem introducitur in corpus humanum, multâ, ait, egere depuratione, propterea, quòd in iſtis multo humori aqueo groſſo vel etiam terreo ſal ille ſit involutus. Nam, etſi ſpiritus hic mundanus res ſaltem eſt unica; tamen, dum omnibus rebus ſe applicat, uti jam aliquoties dictum eſt, ut ſit vita rerum omnium, & omnium rerum naturam induat, variè inquinatur & in uno ſubjecto plus tenebris involvitur & clauditur, quàm in alio: & in uno ſincerior activiorque eſt, quàm in alio, & lucidior: unde more mercurii cæleſtis, *dicente eodem Fluddo, in generali raritatis & denſitatis myſterio*, mutabilis eſt, & de naturâ in naturam verſatilis, ita, ut cum flatu mundi terreſtri, ſeu ſeptentrionali fiat terra, occidentali aqua, meridionali aër, orientali ignis: ſimiliter, cum Solari motu per æquinoctia aër, per ſolſtitium æſtivale ignis, per hyemale terra & per ſpacia, inter libram & capricornum, & capricornum & arietem, aqua vel fluida vel congelata. Sumatim: comune veris & æſtatis, autumni & hyemis ſubjectũ: integra aëris, ignis, aquę & ter-

ræ materia: commune venti ſeptentrionalis, occidentalis, meridionalis & orientalis mare, medium atque ſubjectum mercuriale; generalis meteororum omnium atque ſeminariorum eorundem matrix; ſuave vitæ & ſanitatis myrothecium, mæſtum mortis & morborum ſepulchrum, ditiſſima Dei, Angelorum atque ſtellarum influxuum arca theſauraria, ex quâ, quoad materialem ſubſtantiam, per creationem aut generationem, omnia; & in quam iterum per corruptionem & privationem omnia; imò: ſi *Coſmopolitæ* credendum, quatenus *Terra*, eſt centrum mundi, quatenus *Aqua*, menſtruum mundi, quatenus *Aër*, vita rerum, in quo ferebatur igneus vigor & vis primis impreſſa aquis ſive ut ille loquitur de Elemento Aëris: In illo incluſus eſt Spiritus Altiſſimi, qui in Creatione ferebatur ſupra aquas, teſte *Sacrâ Scripturâ*, & volavit ſuper pennas ventorum. Hæc, nempe, eſt perpetua naturarum & mutationum in uno eodemque ſubjecto rotatio. Atque hic ſpiritus erat prius inviſibilis, quàm aliqua res viſibilis eſſet à Deo condenſatione compacta, juxta illud Apoſtoli: Per fidem credimus, quòd ea, quæ ſunt viſibilia, fuerint prius ex inviſibilibus. *Hactenus Fludd:* & ab hoc non alienus adeò videtur *I. A. Comenius*, qui exiſtimat ſpiritum illum eundem eſſe cum eo, de quo Moſes dicit *Gen.* 1. 2. & Spiritus Dei incubabat ſuperficiei aquarum, quod probare conatur, cùm ex Scripturâ, tum ratione, ac ſenſu, *Phyſ. c.* 2. Nam certè, inquit, conſtat: herbas & animalia, etiam ſine ſemine, à materiâ humidâ naſci: at unde his, quæſo te, vita, ſi non à diffusâ illâ mundi animâ? panem, vinum, aquam, imò aërem vitales eſſe veſcentibus experimur: (imò ex alimentis ſpiritus noſtros animales, quorum beneficio ſentimus & intelligimus, reſtaurari comperimus; & ſuccedere in locum exhalantium) at unde illis, obſecro, vitalis illa vis, ſi non à diffuſa hâc animâ? Spiritus ille inhabitat materiam, movet ſe, agitatque perpetuò, per omnem materiam, ad eam conſervandam. Vinum enim, aliaque, amiſſo ſpiritu ſuo, corrumpuntur: eo verò conſervato integra manent, imò, meliora redduntur. Sic vinum, in aliquo vaſe ſolido, ſub terrâ aut aqua ſervatum, ſemper generoſius fit, inhabitante & agitante ſeſe in illo ſpiritu,

eâque ratione materiam ſemper ſubigente, magisque à cruditatibus depurante. Sed mihi maneat ſemper rata diſtinctio Naturæ naturantis à Naturâ naturatâ, ut Spiritui Sancto aſſignetur productio ſpiritus univerſalis, cùm non otiosè latus fuerit ſupra aquas, ſed eas fæcundârit, ut terram replerent rerum ſeminibus ex unâ parte, & ex altera ipſæ aquæ non ſolùm de ſe omnis generis promerent fructus; ſed & ex terra tanquam matrice, metalla mineraliaque, itemque plantas, frutices & arbores proferrent: ipſa denique terra aptam præberet materiam fabricando homini, qui, ut & cætera animalia, virtute benedictionis, mediante ſemine ſe multiplicaret.

Satis ſuperque videor mihi adſtruxiſſe, Spiritus vivifici & univerſalis naturam, qui profectò nihil eſt aliud, niſi SAL ARMONIACUS NATURÆ *Coſmopolitæ*, & *Iſaaco Hollando* ita appellatus, *à Boëtio verò & Augurello* media natura, *de quâ verò in præcedentibus tractatibus* ſatis quoque actum.

Uti ergò ſal ille virgineus, ſpiritus univerſi totum hoc catholicè replet, ut ſic, *ſecundùm Campanellam*, mundus totus ſit ſenſus, vita, anima, corpus, ſtatua Dei altiſſimi ad ipſius condita gloriam, in poteſtate, ſapientiâ & amore, imò imago, templum vivum, & codex Dei, ubi inſcripſit & depinxit res infiniti decoris, geſtas in mente ſuâ: ita, quæ in triplici regno ſunt, ab eo quoque vivunt, utpote qui rerum omnium ſeminibus ſtato & juſto tempore ineſt, in quibus tam diu torpidus latet, donec matrici ſuæ debitæ commiſſa vireſcant, & ita ille ſe è carcere liberatum apertè monſtret. Quod itidem in homine videre eſt. Hic enim, dum prolificam ſuam materiam homini communicat compari, fæminæ nimirum, ope caloris & fermentalis naturæ homogeneæ loci, ſpiritus illi incluſus non otiatur, quin potiùs ſtatim ideam ſuam explicat & partes format, ut anima congruum habeat domicilium; unde tum quoque in partibus habitare incipit & appellatur ſpiritus inſitus; quia verò cor eundem in copiâ accepit, & continuo ſpirituum novorum tum ex aëre, tanquam habitaculo hujus ſpiritus catholico, tum ex alimentis potulentisque depromptorum acceſſu, quod ejus difflatur

reparat, atque per arterias in omnes partes etiam illum diſtribuit, ut &, quod in illis difflatur, reparetur; hinc ſpiritus ille à corde cæteris partibus ita communicatus tum appellatur influens, non aliter, ac terra omniaque ſublunaria ſpirituum inſitorum plena ſunt, à fonte tamen vitæ per mercurium univerſalem ſemper actuari neceſſe habent, ut per operationes ſe manifeſtare poſſint: vel, uti Sol quidem vitę & caloris plenus eſt, ſtellis nihilominùs cæteris, & his inferioribus ſuccurrit, ut vita horum particularis actuetur continuò à vitâ univerſali. Et hunc ſpiritum, prout anteà quoq; dictum eſt, hodie appellare ſolent Medici calidum innatum, ſive humidum radicale: non, tanquam calidum, humidum & ſpiritus unum idemque ſint, ſiquidem facilimè quilibet intelligit horum diverſitatem; ſed, quia unum ſine altero haud facilè invenitur, exemplo trium principiorum chemicorum, quæ Hermetis alumni quidem ſuperficialiter ſeparant, appellando ſpiritum Mercurium, Sulphur oleum, & terram incombuſtibilem ſal: ſed, cùm in ſale radicaliter adhuc cætera ſint, ideò radicalis eorum ſeparatio fieri non poteſt, niſi, quòd per coctionem, modò ſulphuris, modò ſalis, modò mercurii nomen induant, prout quodque præ cæteris dominium habet; ſiquidem ſub humidâ naturâ mercurii nomine nobilitantur; ſub ſiccâ, ſalis; ſub calidâ ſulphuris; & cum hæc tria in unum ita redacta ſunt, ut æqualiter decocta ſint in unitatem fixam, tum elixiris nomine veniunt. Sunt itaque tria illa ſemper in unum, prout Sol non eſt ſine lumine motu & calore.

Sed quò dilabor? De Reſurrectione rerum agendum erat, & quo pacto illa in rerum naturâ fiat? Nempe, uti omnia ex ſpiritu vivunt, ita ſine ſpiritu nihil vivificari poteſt. De ſpiritus itaque illius incorruptibilis naturâ, nominibus, ortu & progreſſu mihi prius erat ſermo inſtituendus, qui, etſi in morte rerum avolat & cadaver relinquit, non minùs tamen ipſe corruptibilis eſt & annihilabilis, ac mercurius vulgi, aut aqua, cum per deſtillationem in ſubtiliſſimas reſolvuntur atomos, vel uti ipſa anima, ſive mens immortalis, quæ etſi à corpore recedit, vel illud informare deſinit & ad manus Jehovæ qui eam dedit, revertitur, immortalis tamen eſt, & corru-

ptionis neſcia. Intereâ verò, uti anima immortalis aliquando domicilium ſuum priſtinum reviſet, idque ad Archangeli tubam vivificabit: ita & hic ſpiritus miniſter rerum ſubinde ſublunarium revivificator eſt, dum in cineribus ſemper reſtat humidum radicale, nullis ignium viribus, nullisque elementorum potentiis cedens, quod in ſe continet diſpoſitionem & ſpiritum adhuc aliquem inſitum, licet maximis vinculis clauſum, volatiliſabilem tamen, ſpem novæ reſurrectionis habentem, per redeuntem ſpiritum influum, poſt prævias alterationes & diſpoſitiones, & melioris vitæ juſſa expectantem. Quid enim obſecro eſt id, quod mortalium patientiſſimus ait, c.14. Si vel maximè arbor præciſa fuerit; lignum tamen habet ſpem, ut rurſus vireſcat, & rami ejus pullulent. Si ſenuerit in terrâ radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit & faciet comam, quaſi cùm primùm plantata eſt. Non igitur, etſi omnis exterioris vitæ ſpes abiiſſe videtur in rebus, totalis earum deſtructio aſſerenda. Latet adhuc in cineribus ad novi Phœnicis germinationem ſpes, & reſurgens ex favillis Phœnix non omninò ſe mortuum teſtatur: rerum combuſtarum reſiduum monſtrabit, adhuc in centro rerum æthera incluſum eludere elementorum poteſtatem.

Ut verò clarè hoc demonſtretur, notandum inprimis: reſurrectionem ut & mortem, aliam eſſe naturalem: aliam artificialẽ. Naturalis eſt, quando juſto tempore, quæ per hyemen erant mortua, in novam germinationem reſurgunt; de hâc loquitur Chriſtus: Niſi granum in terram projectum putreſcat, nõ poteſt ferre fructum: Artificialis eſt, cùm, quæ per homines mortificata ſunt, reſuſcitantur & reſtaurantur, & ad novam perfectioremq; vitam producuntur, de utrâque diſtinctè loquitur *Paracelſus*, dum ait: Die Reſuſcitation und Wiederbringung aller natürlichen Dingen iſt nicht ein geringes in der Natur; ſondern ein groſſes und hohes Geheimnüß / und mehr Göttlich und Engliſch / dann menſchlich und natürlich. Darzu ſoll es mit groſſem Unterſcheid verſtanden werden / und mir nicht anders außgelegt / dann ichs meyne / und wie es die Natur ſelber täglich und augenſcheinlich beweiſet / und es die Erfahrung ſelbſt mitbringet ꝛc. dero-

halben iſt hier auffmerckens wol vonnöhten / dieweil der Tod getheilet iſt in zwey Theil / nemlich / im Sterben und Tödten / und daß allein eins mag wieder reſuſcitiret und reſtauriret werden / das ander aber nicht. Wol wahr iſts / was ſeines natürlichen Todes ſtirbt / und was die Natur tödtet / nach der Prædeſtination, darüber hat der Menſch kein Gewalt / daſſelbig zu reſuſcitiren, allein Gott / oder muß auß Göttlichem Geheiß ſolches geſchehen ꝛc. Was aber getödtet wird / mag auch wieder lebendig gemacht werden.

Ego de diſtinctis diſtinctè loquar, monſtraboque, quopacto utraque fiat reſurrectio & reſtitutio, ſive etiam reſuſcitatio rerum.

Omnia nempe conſtant ſale quodam volatili & fixo. Sal fixum habet ſe ad ſal volatile tanquam terra ad cælum, animatum ad animans, vitam poſſidens ad vitam dans: Sal verò volatilis eſt capſula vitæ, ſpiritus vitalis domicilium & habitaculum. Sal ille fixus habitat in terrâ & aquâ, & exinde corpora rerum, imò & corpora noſtra conſtant. In profunditatibus & clauſtris ſalis hujus fixi habitat aër & ventus, ſpiritus, cælum & lux, & ſic virtutes omnium elementorum; ſed clauſæ & inviſibiliter. Sal ille fixus habet ſe inſtar Saturni, qui apud *Coſmopolitam* ait: Sulphur rerum reſidere ſive captivum detineri in carceribus ſuis, & habere varios cuſtodes, id eſt vaſa diverſa & corpora, quibus conſtringatur: Sal verò volatilis eſt ſalis fixi clavis, ut captiva vita fiat libera, vita mortua vivere incipiat, & ad novam vitam vita antiquata reſurgat. Clavis eſt inquam, quæ claudit & nemo aperit: quæ aperit & nemo claudit; claudit, recedendo tempore autumni, & abeundo in patriam unde venit, id eſt evolando in cælum: aperit, redeundo tempore Veris, & ſalia fixa, quæ incarcerata jacuerant in rerum radicibus, intrando, eaque ſibi quàm arctiſſimè uniendo, vitamque incarceratam ſive mortuam in libertatem evocando & de novo animando, ut ex centro in ſuperficiem eant & priſtina ſua munia obeant, veteresque meditentur ariſtas. Ita ergò reſurgunt omnia naturaliter, quæ anteà cernebantur mortua. Grande hoc eſt myſterium, de quo, niſi ex Scripturâ habuiſſemus Chriſtum Doctorem vix penetrare potuiſſemus, per obſcuram illam & vulgatam Philoſophiam, ad ejus cognitionem.

Eſſe

Eſſe verò in rebus omnibus ſal fixum & volatile, id per pyrotechniam innotuit Viris, veræ Chemiæ alumnis, & etſi quidem etiam hodie vulgus Deſtillatorum id ſciat, adeò tamen à verâ utriusque cognitione abſunt, ut cælum à terra. Habet natura, ut & chymia prævias diſpoſitiones & putrefactiones: habet & hæc calcinationes & combuſtiones violentas; illas obſervat natura: has ars, licet diverſimodè: Sufficiat verò hoc loco demonſtrâſſe, quo pacto adhuc in cineribus rerum lateat Sol centralis rerum, per vitam univerſalem reparabilis, & quo pacto ſal volatilis illum incarceratum etiam per artem reſuſcitare poſſit.

Scitum eſt per Chymiam, quòd, cùm, e. gr. lignum vel alia res ſive comburitur, ſive per prævias alterationes in propriâ ſuâ aquâ putreſcit, aut etiam planta vel animal ſub pyrotechniæ leges vocatur, evolet primò, ad arbitrium tamen diſpoſitoris, phlegma, abeant dein ſpiritus, ſequatur pòſt ſal aliquis volatilis, hinc oleum, interdum hoc aura ſuavis, denique remaneant cineres, & in his per elixiviationem reperiatur ſal, qui anteà nullo guſtu deprehendebatur, non, quia per ignem noviter erat genitus; ſed quia ille reſolutus & in ſpecie ſpiritus inviſibilis oberrabat in mixto adhuc integro, qui ſal verò reſolutus, mixto ad corruptionem deducto, paulatim pedem retraxit ab elementis corruptibilibus & à mixto recedentibus, & per concentrationem ſui, in cineribus ſub ſalis corporalis ſpecie remanſit, ob humidum viſcoſum, quod in eo & cum eo fuit. Quòd ſi hæc duo ſalia accuratè purificantur, & unione indiſſolubili uniuntur, reviviſcet per volatilem ſalem in quo vita rerum eſt libera, ſal fixum, & fixum volatile fixabit, novumque & melius reſurget, quod antea erat, nempe lignum planta, metallum, animal. *Coſmopolita de hâc re ita loquitur, in tractatu de Sulphure*: Elementa corrupta in ſubjecto cadunt & ſeparantur, quando unum aliud ſuperat: & quia tunc fit per primam ſeparationem putrefactio, & per putrefactionem puri ab impuro ſeparatio, ſi tunc fit nova conjunctio nova virtute ignis, acquirit formam multò nobiliorem primâ. Nam in ſuo primo ſtatu corruptio fuit ex groſſo admixto, quod non niſi per putrefactionem purgatur, &

melio-

melioratur; & hoc fieri non poteſt, niſi conjunctis viribus quatuor elementorum, quæ ſunt in omni compoſito. Cùm enim compoſitum cadere debet, per elementum aquæ cadit; & dum ita confusè jacent ignis, qui eſt potentialiter in quolibet aliorum, utpote *in terrâ, in aëre*, conveniunt ſimul & conjunctâ manu vincunt posteà aquam, quam digerunt & coquunt, & ultimò congelant; ac tali modo natura naturæ auxiliatur. Si enim ignis centralis, qui vitâ captus erat, vincit, agit in id, quod ſibi propinquius ac purius eſt, ſicut & ipſum puriſſimum eſt, & conjungitur cum illo: ita vincit contrarium, ſeparatque purum ab impuro, & generatur nova forma, & ſi adhuc adjuvatur, priore multò præſtantior: interdum ſagacis artificis manu fiunt res immortales, maximè in regno minerali. Quibus ita conſideratis, eò uſque extendit rationis ſuæ ſcrutinium *Coſmopolita*, ut affirmâre non dubitârit: talem etiam fore & eſſe deſtillatorem Conditorem omnium rerum, qui etſi poſſit, ſi eſſet ſancta ejus voluntas aut ignem centralem ſive vitam in ſale fixo captam extinguere, aut vas frangere, ut ſic ſit omnium rerum finis; propter bonitatem tamen ſuam, quæ ſemper in melius tendat, exaltaturus ſit majeſtatem ſuam, ignem illum puriſſimum, qui aquis cælorum in firmamentum eſt, ſublimaturus, daturusque gradum fortiorem igni centrali, ut omnes aquæ in aëra NB. eleventur, & ſic terra calcinetur, & ignis, conſumpto omni impuro reddat circulatas in aëre aquas purificatæ terræ, atque ſic nobiliorem mundum, (ſi aliâs, ut ille inquit, philoſophari licet) effecturus. Adumbrârunt hoc antiqui Philoſophi hyeroglyphico quodam à Phænice deſumpto, quam avem Paullo Fabio, L. Vitellio COSS. poſt longum ſeculorum ambitum in Ægyptum veniſſe, materiemq; indigetarum doctiſſimis & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi dediſſe, prodidit *annalium l.6. Tacitus*. Tradiderõt verò, quòd confecto annorum numero, ubi ſtructâ ex myrrhâ, aromatisque aliis pyrâ, ſe incinerâſſet, accenſo ad Solis radios nido, reſurgat novum ejuſmodi Solis animal, ut proinde multoties hanc hiſtoriam, ſive fabulam hyeroglyphicam Eccleſiæ Patres, ad reſurrectionem mortuorum, non ſine fructu accommodârint, & ad ejus

imita-

imitationem Philoſophi in regno minerali creaverint Phœnicem & Salamandram, ſive deſtructo corpore priori elicuerint aliud incorruptibile, dum ſalem viderunt eſſe ignem, & ignis violentiæ ſuperſtitem, aptumque, qui intra ſe ſervaret ideæ prioris veſtigium. Fortè ideò tam ſanctè obſervârunt ſuos cineres antiqui: fortè hodie adhuc tam honeſtè ſepeliuntur corpora noſtra, quia in cineribus eorum adhuc latet vitæ quieſcentis ſcintilla. Siquidem, dum Spiritus noſter quotidie reſtauratur ex aëre, cibo & potu, Saliſque naturam depuratus habet, ſed ſub ſpecie reſolutâ, ut proinde ſal parùm percipi poſſit, dum & ipſe aër, quo vitæ univerſalem ſpiritum haurimus, ſine tamen perceptione, ſalſus eſt, in homine verò ad cineres redacto, quod per aërem non difflatum eſt, ad unitatem ſe recepit antea diſperſum ſal, ut jam facilè elixiviari poſſit; quis non videt, quàm factu facilè ſit, præpotentis Jehovæ verbo reſuſcitari mortuos, dum è nihilo fecit omnia? Tradunt cæteroquin *Hebræorum ſcriptores, teſte Bauhino lib.* 1. *Anatom.* in humano corpore, poſt decimam octavam vertebram, os quoddam eſſe, quod neque aquâ, neque igne, neque alio elemento corrumpi, nec ullâ vi externâ frangi aut conteri poſſit: quod os Deus in extremo judicio rore cæleſti irrigaturus ſit, & tunc reliqua membra ipſi rurſus aggregatum iri & in corpus coalitura, quod ſpiritu Dei afflatum, vivum reſurrecturum ſit. Os hoc vocant *Lus*, (non Luz) quod ſitum dicunt, in ſpinâ dorſi, poſt decimam octavam vertebram, ad os fœmoris. Hujus fabulæ pater eſt *R. Vſchaia*, qui anno Chriſti 210. vixit, circa quod tempus conſcripſit librum, qui *Bereſchit Rabba*, id eſt *Gloſſa magna in Pentateuchum* vocatur, unde ſequentes Rabbini hoc figmentum hauſerunt. Hoc, inquiunt, non comburi neque corrumpi in perpetuum, quia radix hujus oſſis ſit ex ſubſtantiâ cæleſti, & humectari rore, quo Deus ſit reſuſcitaturus mortuos, tanquam fermento, quod eſt in maſſa farinæ. Volunt etiam, hoc os cæteris diutius remanere, propterea, quòd non percipiat guſtum alimentorum hominis, ſicut reliqua oſſa, & hinc durabilius eſſe reliquis, & eſſe fundamentum corporis, utpote quod ex eo exſtructum ſit. Apud eoſdem legitur: *Adrianum Cæſarem* interrogâſſe *R. Iehoſuam*,

filium Chaninæ: Unde Deus hominem in futuro ſeculo erectur' ſit? Et hunc reſpondiſſe: ex oſſe Lus ſpinæ dorſi. Tum, cùm *Adrianus*, unde id ſciret & quomodo probare vellet, quæſiviſſet: *Rabbi Iehoſchuam* os illud in conſpectum ejus afferri curâſſe, ſed aquæ impoſitum, non fuiſſe emollitum: igni, nec fuiſſe aduſtum: molæ, nec fuiſſe attritum: incudi, & percuſſum malleo ruptam fuiſſe incudem, os autem nullum defectum ſenſiſſe. *Münſterus inquit:* Rabbinos in collo eſſe dixiſſe. At *Veſalius* oſſiculum hoc ab *Arabibus Albadaran* vocari, & ad primum pollicis pedis articulum ſpectare, quod inſigniter durum ſit. *Hieronymus Magius* refert de mundi exuſtione & die Judicii *l.5.c.1.p.170.* Thalmudiſtas aliosque Hebræos commentos eſſe hoc juxta Calvariȩ baſin, ſive in ipſa baſi, aut nucha vocata: alios, primam è duodecim vertebris, à quâ thorax initium habeat, quæ, cum caput collumque inclinamus, maximè emineat atque extuberet. *Hactenus Bauhinus.*

Aſt, cùm hæc ſatis fabuloſa ſint, prout idem *Bauhinus* celeberrimus olim Baſileenſis Academiæ Anatomicus fatetur; veriſimilius eſt, imò veriſſimum: eſſe in corpore humano Sal, nullâ arte nullove ingenio deſtructibile, quod, ob conjunctam in eo humiditatem cum ſpiritu ſicco, appellamus aquam ſiccam & Sal centrale, ſive humidum radicale, propterea, quòd ſubjecto conveniunt, & igne non diſſolvuntur. Si quis enim Sal hoc fortiori igne urgeat, colliquatur quidem id cum arenâ in vitrum; at, hujus vitri extenſio & ejuſdem partium cohæſio indicium eſt, illud ſuâ adhuc humiditate gaudere, hancq; à ſale nullatenus eſſe ſeparabilem. Neq; tamen ejus colliquatio in aëre, aut reſolutio in aquam ab aquâ quicquam præjudicat ipſius perſeverantiȩ & integritati, cùm ſi vel centies colliqueſcat ſal, aut fatiſcat in aquam, aut reſolvatur in atomos, Sal tamen mediis in undis ſit & maneat Sal: imò, ſemper purius evadat, poſt evaporationem aquæ, & facilè ſoliditatem ſuam recipiat, ad modum Mercurii, qui licet in mille abeat guttas & in inviſibiles atomos reſolutus diſpareat, in mercurium tamen promptè redit.

Dum ergò in Sale tanta eſt ſoliditas & perſeverantia, haud ſine

causâ

cauſâ ſuſpicati ſunt Philoſophi: eſſe in Sale æternum quidpiam, neque rerum ideas poſt mortem omninò deleri, quin potiùs in Sale in cineribus adhuc reſiduo eſſe & manere ſubjectum, ad novam vivificationem idoneum. Eſt enim Sal, dicente *Encheiridio Phyſicæ reſtitutæ*, Naturæ baſis, & radicale generationis principium, licet illa virtus ſolitaria & inefficax in cineribus lateat, donec à terrâ communi principiorum Naturæ matrice ſuſcepta, occultam generationi & multiplicationi conſentaneam facultatem explicet; uti etiam in rerum ſeminib⁹ moris eſt. Et etſi quidem verum eſt, cadaver hominis aut equi, defectu ſeminis, non hominem aut equum, ſed fœtidos vermes & inſecta quædam generandi capax eſſe, prout quidem id videre licet; non tamen omnis in cineribus idea prioris mixti ablata videtur per corruptionem. Memorabile eſt, quod *Robertus de Fluctibus* refert, *in ſupernaturali morborum curatione:* Salem humanum ex calcinato capite humano extractum depuratumque & in ſcutellam aquæ poſitum, ſed aliâ paropſide tectam poſtero mane repræſentâſſe effigies hominum cruci affixorum, certo indicio: ideas rerum in ſalibus conſervari. Cui addi poteſt hiſtoria admirabilis, quam recenſet *in myſticâ ſanguinis anatomia, c.6.p.233.* Imò exiſtimo ego, haud bene diſtinxiſſe *Paracelſum* inter ea, quæ fatiſcunt ſuâ ſponte & deſinunt, ſive ſenio, ſive ſpiritu abeunte ad mortem naturalem, & quæ occiduntur, ſive arte mortificantur, & illa reſurrectionis aut reſuſcitationis artificialis eſſe incapacia: hæc verò idonea, ut ad vitam deduci iterum poſſint. Siquidem, quantumvis corpus naturali mortuum defectu de ſe producat vermes, & inſecta varii generis, degenerantibus ſic partibus elementaribus, volatilibus, impuris in aliam naturam: hæ tamen in ipſis ſandapilis tandem quoque patiuntur corruptionem, remanentibus ultimò cineribus, fixi naturam & priſtinam ideam retinentibus. Quod vel hoc exemplum monſtrare poteſt, & cujus ſimile etiam ipſe *Paracelſus* allegat: Fuit nempe Medicus quidam, qui, paraturus medicamentum contra peſtem, accepit ſerpentem, eumque eviſceratum, capite & caudâ abjectis, & vino lotum, lenteque iterum exſiccatum, & in minutas partes conciſum indidit

magnæ cucurbitæ, eamque clauſam diſpoſuit, ut materia ſive ſerpentina caro putreſceret. Poſtquàm itaque negotium putrefactionis ſuccedere conſpexit, deprehendit poſteà, ad ſummitatem vaſis attolli atomos, & oleoſas quaſdam partes hinc inde parietibus vitri adhærere, quæ progreſſu temporis in vermiculos abierunt. Putrefactione verò continuatâ, & cùm omnis maſſa in vermiculos abiiſſet, & jam hi de vitâ conſervandâ ſoliciti, alii alios aggrederentur; factum eſt, ut, debilioribus in eſcam fortioribus concedentibus, tandem grandis & mole primum longè ſuperantem ſerpens unus, ſed totus perſpicuus, & inſtar cryſtalli pellucidus ex illis parvulis evaderet. Quo viſo, cùm ſtupore multi hoc cernerent, & defectu ſufficientis aëris, anxio motu, tam grande animal hinc inde cum terrore volutari, finem experimenti faciendum cenſuêre, & vas illud recipiens, in quo vitæ ſuæ initia acceperat ex putrefactis vermibus ſerpens, ſub terrâ defodiendum curârunt. *Paracelſus, lib. 6. de reſuſcitatione rerum naturalium*, ſic loquitur de hâc re: Alſo ſehet ihr auch an einer Schlangen/ ſo dieſelbe zu Stücken gehauen/ zerſchnitten und gar getödtet wird/ und ſolche Stücke der getödteten Schlangen in eine Cucurbith gethan und in ventre equino putreficiret, ſo wirds in dem Glaß alles lebendig zu Würmlein/ gleich dem Laich; ſo nun alsdann dieſelbige Würme recht/ wie ſichs gebührt/ in der putrefaction erzogen/ gemeſt und ernehrt werden/ ſo wachſen und werden auß einer Schlangen viel hundert Schlangen/ da ein jede allein als groß iſt/ als die erſte geweſen iſt/ welches allein die Putrefaction vermag. Ut ut ergò etiam ex homine ad mortem naturalem deducto vermes & muſcæ varii coloris & alia inſecta generantur, uti quotidie poſt aliquot dierum intervalla, tempore præprimis æſtivali cuivis videre licet, tandem tamen inſecta illa iterum emoriuntur, & in materiam ſplendentem inſtar argenti digeruntur, donec, omni volatili ſubſtantiâ evaneſcente in auras, reſiduum in cineribus ſal fixum, expectet ſui reſuſcitationem in corpus glorioſum, ab eo, qui hujus privilegium ſibi ſoli reſervavit. Unde, vel ipſo *Paracelſo* dicente, fruſtrà ſuperiorem proceſſum *Hermes* & *Virgilius* ſecum inſtitui voluerunt; neque enim cognoverunt, hunc in extremâ mundi die inſti-

tutum

tutum iri voce FILII DEI, ſecundum illud SERVATORIS noſtri: *Ioh.*5.*v.*28.29. Veniet hora, in quâ omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem FILII DEI, & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis.

Intereà id, quod in cineribus & quiete remanet, eſt Sal fixus: id, quod rebus naturalibus vitam dat, Sal volatilis, qui ſi & ipſe depuratus fixabitur, nihil erit corruptibile amplius. Si enim per artem volatilitas, *dicente ſæpe memorato Fluddo*, poſſet tolli & ingenio aliquo divino fixari, tum quidem à creaturâ non evolaret; ſed in eâ cum fixo permaneret in ęternum. Cenſet verò idem, omnes pios Philoſophos & Sapientes, omnes Patriarchas, omnes Prophetas & Apoſtolos, Chriſto duce, tam avidè hoc ipſum venatos fuiſſe, & ideò etiam Promethea ignem cæleſtem ſurripuiſſe, an ipſum tractare legitimè & ſecum fixè & firmiter retinere poſſet. Et talem ſalis fixationem deſiderare veros Chymicos, quòd ſpirit⁹ aëris congelatus, id eſt, fixatus, ſit melior quàm univerſa terra, *ſecundùm Coſmopolitam.* Et mediante hoc dixit ille, *Eliam, Eliſæum, Chriſtum atq; Apoſtolos* curâſſe morbos deploratos; & aſſiſtente eo, atq; centraliter in eo operante incorrupto ſpiritu, expectandam eſſe à mortuis reſurrectionem, vitamq; perpetuam. Imò Chriſtum de ejusmodi Salis fixi & ad Sabbathi coruſcantis ſtatum reducti conditione loquentem *Marc.*9.49. intelligendum. Omnis homo igne ſalietur & omnis victima ſale ſalietur. Bonum eſt ſal, quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos: & Bonum eſt ſal, ſi autem ſal quoque evanuerit, in quo condietur? neque in terram, neque in ſterquilinium utile eſt, ſed forâs mittetur. Evidens ergò, eſſe inter ſalem fixum & volatilem differentiam. Et hominem nihil aliud eſſe quàm ſal, & à ſale nutriri, at ſi ſal illud ingenio miro & ſapiente non fixetur, ſed evaneſcat, inutile eſſe reſiduum. Et hinc pro ejus fixatione, de corpore Chriſti, de pane Angelorum, de Mannâ abſcondito, de pane à cælo deſcendente tot verba ab illis in Scripturis Sacris facta, *videatur nominatus Autor lib.*1. *Onromantiæ c.*5.

Ubi tamen notandum: non alligatum quidē eſſe Deum ad cauſas naturales, dum ſolo Verbo Domini firmati ſunt cæli, & omnis exercitus eorum, ſpiritu oris ejus. At, cùm Dei omnia plena ſint, ipſeque ſit omnia in omnibus, hinc imperſcrutabili modo & nobis planè incognito vitam, quæ in ipſo Verbo abundanter habitat, quia eſt lux & vita hominum, reddere poteſt demortuis, vitam ligatam ſolvendo & excitando per vitam univerſalem mirâ adaptatione, per juſſum omnipotentiſſimum, quo Natura agit id, quod agere juſſa eſt. Verbum enim, quod Deus loquutus eſt, non evanuit, aut nudus fuit ſonus; ſed factum eſt vita omnium creaturarum, ita, ut à rebus creatis non receſſerit; ſed cum ipſis manſerit; Eſt enim vis rerum omnium conſervatrix, de quâ *in Epiſt. ad Hebreos.* 1. quòd moderetur omnia verbo potentiæ ſuæ. Prout enim umbra ab arbore pendet; ſic vita noſtra à Deo. Quod ſi itaque Deus à creaturis recedit, pereunt & in pulverem revertuntur, inque nihilum proprium abeunt, quale fuerunt, cùm per verbum Dei aliquid factæ ſunt: & uti ſe habent nuclei ad prototomos, & dolium ſine ſuis ambientibus circulis, quibus continetur, diſſolvitur: ſic vas creaturarum ſe habet in reſpectu ad verbum Dei. Plenus eſt orbis terrarum Deo. Deus qui ſupra vos omnes, per vos omnes & intra vos omnes, ille noſtra vita, & vigor vitæ noſtræ. Ego vita tua & longitudio dierum tuorum, *Deut.* 30. Sicut ex verbo Dei vera vis vitalis deprehenditur, ſi id tempore crucis ad animum admittitur; ſic in omnibus creaturis quoque eſt vitale punctum, & illud eſt verbum creationis, quo ſublato, mors adeſt rerum: eſt quoque benedictio & multiplicatio creaturarum, per quod Deus in annos ſingulos faciem terræ renovat reproducendo & ad vitam revocando animalia & fructus, ut hoc modo per renovationem Deus annuatim quaſi novum mundum creare videri queat. Cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems: nox & dies non requieſcent. *Gen.* 8. *v. ult.* & ita ſatis Theoſophicè de illo verbo Dei in Creaturis, quod vita eſt in centro earum, diſſeruit *Dn. Iohan Arnd p.m. in explicatione Pſalmi* 104. *concione ſextâ.*

Lullius proinde Sal illud volatile in creaturis inviſibiliter oberrans

rans & animæ pro inſtrumento actionum inſerviens appellavit Verbum Dei coagulatum, quod & ipſe & alii Philoſophi tam anxiè quæſiverint & adhuc quærant ad Univerſalis Medicinæ perfectionem habendam: appellârunt & alii inſtrumentum Dei, ignem naturæ, quintam eſſentiam, aquam vitę non vitis, *docente Dn. de Nuyſement.* Eſt ergò vita rerum, quâ omnia penetrantur, animantur & vivunt, tempore Veris de cælo deſcendens, & è contra mors, tempore autumni revertens ad cælum, & , quid memoro? eſt MERCURIUS PHILOSOPHORUM, ventus vitalis, ſpiritus, aura & flatus altiſſimi, quo nos afflat *Eſ.* 57. Etenim, uti nihil præjudicat Deo, ferri ipſum ſuper pennas ventorum: inclinare ipſum cælos, ut deſcendat gloria ejus: caliginem eſſe ſub pedibus ipſius, & habitare ipſum in nebulâ, & audiri vocem ejus in nubibus: imò, ipſum tonitru appellari vocem Jehovæ: ita nihil demit divinæ ejus potentiæ, ſi, ultrà, quàm nos comprehendere poſſumus, ille quoque vitam rerum univerſalem particulari & ligatæ ſive extinctę iterum communicat, ut in libertatem prodeat denuò, & ſic vivant, quæ mortua videbantur, ſecundùm illud *Pſalmi* 104. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Sic flatu à Septentrione utitur, ad gelu introducendum, ſive glaciem, nivem, pruinas: meridionali, ad tempeſtates concitandas & morbos introducendos *Hab.* 3. Omnia enim ſtant ad ejus arbitrium: ipſius ſunt omnia. Sic, ad ſiccandum unâ nocte mare rubrum, uſus eſt vento vehementi & urente *c.* 14. *Exod.* quibus omnibus cernere licet, quàm facile Deus cauſas naturales elevare poſſit, ſi ipſi viſum ſit, ad producendum effectum miraculoſum.

Ignoſcant verò hîc mihi *Viri cordati* & *Theoſophi*, ſi fortè quicquam ſcripſi, quod non omnes capiunt. Plenus eſt orbis terrarum gloria Domini, & veſtigia ejus in abyſſo aquarum. Et ut dicamus multa, haud quaquam tamen aſſequemur, & ut ſummatim dicam, is eſt UNIVERSUM IPSUM. Quod *Lutherus* pulchrè vertit:

Wenn

Wenn wir gleich viel ſagen/ ſo können wirs doch nicht erreichen. Kurtz. ER ISTS GAR. legatur in hanc rem *Eccleſiaſtici cap.* 42. *à v.* 16. ad finem *capitis* 43.

Hactenus itaque Sal volatilis eſt id, quod in ſe continet ſpiritum vivificum, qui vivificationis verum organon eſt & medium, qui & in aëre copioſè reperitur, mari illo catholico, rebusq; creatis omnibus. Totus enim aër, uti docuimus, ſalſus eſt; unde & habitat ille ſpiritus in aurâ ſalsâ, uti ſpiritus vitæ noſtræ in ſanguine arterioſo. Breviter: ſine Sale & Sole omnia ſunt mortua.

Demonſtratum eſt nuper *à Dn. Boyle Anglo* per exantlationes varias aëris, quantum animalibus nonnullis aëris neceſſum ſit, ad id, ut vivere poſſint: quàm, ſubtracto aëre ſive ſpiritu vitæ, agoniſare, eo verò reſtituto per antlias varias reviviſcere viſa ſint. Quod, ſi non mirum alicui forſan videbitur, propterea, quòd in beſtiis, muribus utpote & volatilibus experimentum factum eſt; ille *Cornelii Drebbelii* factum miretur, *quò de Illuſtriſſimus Dn. Kenelmus Digbæus, Comes Anglicus recitavit, in ſuâ de vegetatione plantarum Oratione*, quòd aliquando *Iacobum Angliæ Regem*, ſub *Thameſis* undis in navi undique cooperta convivio exceperit, aëremque deficientem ſingulari quâdam eſſentiâ reſtituerit. De quâ hiſtoriâ ita præfatus *Dn. Boyle* in experimentis aëris philoſophatur: Uti ventriculus alimenta concoquit, partemque in uſum corporis convertit, aliamq; rejicit: ita pulmo partem aëris conſumit, aliamq; proſcribit. Hæc ex *Paracelſi* ſententiâ locutus, ita pergit: Natâ autem hâc occaſione, ex reiteratâ *Paracelſi* opinione, non erit forſan intempeſtivum, ſi, antequàm progrediar, notum tibi faciam commentum quoddam Viri, propter ſum̃am in mechanicis & Chymicis peritiã meritò inſigniſſimi, *Cornelii Drebbelii*, quem, alia inter, quæ præſtitit miranda, aſſerunt non pauci, iique Viri ſatis fide digni, naviculam, pro nupero *Rege* noſtro doctiſſimo, *Iacobo*, ſubmarinæ navigationi utilem excogitâſſe, cujus experimentum in *Thameſi*, ſtupendo cum ſucceſſu, factum erat. Navigium duodecim remiges, præter transfretandos tulit. Ex quibus unus ad hunc uſq; diem ſuperſtes rem magni nominis Mathematico tradidit, à quo ipſe accepi.

Quod

Quod idcircò narravi, quoniam, cùm nec curioſitas mihi, nec opportunitas defuerit, particulariùs expiſcandi, inter affines *Drebbelii*, potiſſimùm ex ingenioſo Medico, qui illius filiam uxorem duxetat, cauſas, ex quibus poſſibile eſſe duceret, efficere, ut homines, in aſſueti admodùm, tam diu eſſe ſub aquâ inſuffocati, & (ut transfretatus Vir modò memoratus aſſerebat) nedum læſi perdurarent; hoc relatum mihi eſt reſponſi: putâſſe *Drebbelium*, non totum aëris corpus, at certam illius *quintam eſſentiam (ut loquuntur Chymici)* ſeu ſpirituoſam illius partem efficere, ut reſpirationi inſerviat, quâ conſumptâ, craſſius, quod reliquum eſt, corpus, ſive cadaver (ſit verbo venia) aëris vitalem flammam in corde reſidentem fovere non valeat. Ita, (in quantum colligere potui) præter mechanicum navigii inventum, chymicum habuit liquorem, quem præcipuum inter ſubmarinæ navigationis arcana duxit. Quotiescunque enim puriorem aëris partem conſumptam, vel nimiùm reſpiratione degravatam, & eorum effluviis, qui navigârunt, ſaturatam animadvertit, recluſo vaſe, illo liquore completo, de repente turbato aëri talem vitalium partium proportionem reſtituit, qualis efficere potuit, ut reſpirationi aliquamdiu ſubſerviret, an diſſipando, vel præcipitando craſſas exhalationes, aliove intelligibili modo, jam non vacat in examen proferre. Sufficiat mihi, ſi addam, occaſionem mihi obveniſſe, præcipuis illius amicis inſerviendi, &, cùm hoc maximè conarer, ut cujuſmodi ſtupendus ille liquor fuerit, expiſcarer; fidenter affirmâſſe: *Drebbelium* hoc nemini voluiſſe uſpiam manifeſtare. *Hactenus Dn. Boyle in experimentis aëris p. 248. & ſeqq.* Mihi dubium non eſt, fuiſſe ſpiritum aëris concentratum, rerum omnium vitam, aquam in mari mundi verſantem, cælum Philoſophorum, cujus pater eſt Sol, mater Luna: rem, per quam in triplici regno, animali, vegetabili & minerali fiunt adaptationes mirabiles, cujusq; virtus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram, &, (quod in præcedentibus ſæpius iteratum) cujus beneficio & ſecretâ unione cum humido radicali & fixo, quod adhuc in cineribus latet, rerum procuratur reſuſcitatio quædam.

Philoſophi proinde, in lapidis ſui confectione, per volatile

fixum reſuſcitârunt: per vitam activam paſsivam acuerunt: per liquidam ſiccam humectârunt, & per vitam vivam mortuam vivificârunt, & tandem obtinuerunt rerum vitam concentratam, elixir & medicinam ad homines & metalla.

Eſt verò RESUSCITATIO, RESURRECTIOQUE RERUM *alia VERA:* cùm ſolutâ per mortem materiæ cum formâ unione naturali, acceſſu cæleſtis alicujus radii, cujuſmodi illarum colligamentum nodus & copula fuerat & jam avolârat nova fit earum conjunctio: eaque vel corpore priori adhuc ſuperſtite: vel in cineres planè redacto: ALIA UMBRATILIS, SIVE REPRÆSENTATIVA: cùm ſpecies & figura rei incineratæ & deſtructæ nihilominùs reſuſcitari & oculis denuò objici poteſt. *Illam*, propter mentem immortalem, *quantum hominem concernit*, Dei infinitæ potentiæ, Chriſti verbo & voci Filii Dei, Prophetarumq; & Apoſtolorum virtutibus, fideique miraculoſæ relinquimus: *Hanc* verò naturæ poſſibilem, adjuvante arte, exiſtimare plurimi cæperunt. *Illam*, etſi rori viridantis campi comparat *Eſaias*, ac proin, non ſine applicatione activæ ad paſsivam vitam, ſive radii illius cæleſtis fieri opinari licet; quis tamẽ modum adaptationis cognoſcet? quis mentis illius im̃ortalis diſpoſitionem, ſtatum, naturam, conditionem & rationes alias, dum in manu JEHOVÆ quieſcit, inveniet? *Hanc* verò, ut & illam rerum, quarum formæ à materiâ in eſſe fieri & operari dependent, naturæ & artis legib⁹ magis ſubjectam, plurimi fatentur, tum in animantib⁹ quibuſdã, tum plantis.

De *verâ* cæteroquin refert *Hiſt. & obſ. medico-phyſicarum Cent.* 3. *obſ.* 58. *Borellus, de Inſufflatione*, rem partim notam, partim hactenus inauditam, dum ita ſcribit: Quemadmodùm legimus, Deum in corpus *Adami* animam inſufflâſſe: ſic etiam animalibus *inſufflationem* vitalem conceſsit. Ideóque in Indiâ eſt quædam Medicorum ſecta, quæ morbos omnes ſolâ curat inſufflatione. Sicque ſolent apud nos gallinæ admoveri ano ægrotantium, ibique detineri, donec ſuffocentur, & quaſi in ægri corp⁹ exſpiraverint; unde aſſeritur: ægros conclamatos ſæpiſsimè revocari ſic ad priſtinum habitum: (hactenus res nota.) Sed magis miranda eſt *hiſtoria famuli cujusdam*,

qui,

qui, cùm è rure rediret, & Dominum ſuum mortuum inveniſſet, jamque ſepulturæ condendum, voluit illum diutiſſimè exoſculari: dumque ſupra illum flens & halitus fundens in os ejus eſſet, paullatim illum ad vitam tanquam Propheta revocavit. Sic enim Prophetæ olim in mortuos reſupinos ipſi proni inſpirantes recumbebant. Quæ hiſtoria, ſi vera eſt, neque enim *Clariſſimo Dn. Borello* fidem hîc derogare volo, cenſendum omninò, inſufflatione tum propriæ auræ vitalis, tum auræ univerſalis in condo aëris contentæ vitam ſilentem revocatam fuiſſe heri à ſervo; niſi fortè mihi liceat de veritate hujus hiſtoriæ ita ſentire: Non omninò in Viro illo vitæ ellychnium extinctum fuiſſe; ſed aptitudinem adhuc habuiſſe illud ad vitalem flammam recipiendam, non aliter, ac candela extincta, ſed quoad ellychnium, ſive ſtamina adhuc fumans in flammam afflatu reſuſcitari poteſt: vel uti fumus ejus contingens candelam adhuc flammantem, flammam magneticâ quadâ affinitate trahit, ut & ipſe iterum ardeat & accendatur. Si enim *Franciſcus Valleſius* puerum *Sunamitidis* graviſſimâ ſyncope correptum autumavit, & non reverà, ſed apparenter mortuum, quod tamen cum relatione textus Biblici non concordat: cur non illæ, quas pro ſyncope *Valleſius* adfert rationes, in exemplo hoc à *Borello* conſignato militare poſſent? Syncope nempe correpti, eodem arguente *Valleſio in Philoſophiâ ſacrâ*, naturali caloris extinctione periclitantur mori, ſolentq; fotu & calefactione revocari. Nulla verò calefactio ad eam rem utilior atque accommodatior, quàm alterius hominis, cui calor adhuc viget, admotio, & calidi anhelitus inſufflatio. Is enim calor congener eſt & vitalis: ſcimusque nonnullos, qui viderentur omnibus, qui aderant, extincti, hâc ratione eſſe revocatos. Hactenus *Valleſius*. Et fortè intuitu hujus non abs re Proceres Iſraëlis ſelegerunt *Abiſag*, juvenculam *Sunamitidem* formoſam, pro Davide, jam ſenio frigefacto, ut pulcherrima Virgo ſuo calore & ambitu Davidis calorem foveret, aut oris ſui ſuavitate deficientem jam regis ſpiritum refocillaret.

Porrò, non inſolitum eſt, multos haberi ſæpe pro mortuis, qui tamen mortui reverâ non ſunt, quod multoties in apoplecti-

cis & hyſtericis obſervatum legimus: unde cautum, ne quiſquam Apoplecticus, vel fæmina hyſterica ante 48. horam poſt mortem exactam tumuletur.

Inter cætera verò exempla unum mihi videtur memorabile, quod recenſet *Robertus de Fluctibus, in lib. de prognoſtico ſupercæleſti*, portionis 1. *part*. 1. *c*. 5. Nobilis ſeu generoſus, *inquit ille*, quidam Anglus, vir ſatis literatus, *dictus Lytherland*, in ſomnio ſe admonitum eſſe dixit, quòd inanimatus & quaſi per 48. horas fere mortuus, idque longè antè prędicto permanſur⁹ eſſet: imò de illâ re tantâ, mediante ſomnio illo, confidentiâ erat ductus, ut fratrem ſibi chariſſimum ſtrictè & cum vehementiâ premeret, ut ipſius curæ diligentiam circa tale tempus præberet, eumque ſuper omnia præcavere juſſit, ne, (ſi mortuus videretur, & quaſi inanimatus) ante horam 48. à lecto removeretur. Accidit, viventibus dictis fratribus ſimul ſub uno eodemque tecto, ut ſomniatoris illius frater, oblito fratris ſui mandato, & fortaſſe ſomnio illi nullam fidem adhibens, exiret, & in venatione animalium per biduum ferè cum aliis nobilibus exercitaretur: tum ſubitò admonitionis & mandati fratris recordatus feſtinat domum, ibique invenit omnes in luctu, fratremq; ſuum pro mortuo à vicinis, & domus mulierculis reputatum, è lecto pro more nationis extractum, & ſuper aſſeres cubiculi frigidos, ad refrigerandum repoſitum: quo intellecto, lugebat & dolebat vehementer, ſe adeò mandati & admonitionis fraternæ oblitum fuiſſe: itaque ſtatim fratrem lectulo priùs calefacto repoſitum, linteis calidis ſæpius fovebat, uſque tandem circa horam 48. ab exanimatione ſuâ paulatim ac ſenſim ſe movere incepit, ac tandem ad ſalutem priſtinam eſt reverſus. Addit: Regem Jacobum maximâ delectatione talem ſæpius allocutum fuiſſe, & ab ipſo accepiſſe revelationem viſionis cujuſdam mirabilis, quam in evanitionis, ſive ſyncopes illius tam divinæ ſpacio oculis mentis vidiſſet: videatur quoque *Borell. cent*. 3. *obſ*. 44. ubi memorat, famulam ex hyſtericâ paſſione pro mortuâ habitam incautè fuiſſe ſepultam; ideoque hujuſmodi ægros, qui ſive hyſtericâ paſſione, ſive apoplexiâ intereant, non eſſe ſepeliendos prius, quàm corruptio incipiat.

In

In ſcenam verò etiam prodeat *Lokhmann*, *Medicus quidam Caſvvinenſis, patriâ Arabs*, de quo refert *l.* 4. *intinerarii ſui Perſici*, *Dn. Adamus Olearius*, quòd, cùm ſenex & lecto affixus vitæ finem præ foribus eſſe ſenſiſſet, filio ſuo tria vitrea vaſa pretioſi cujusdam liquoris probè obturata tradiderit, & de viribus illius ſic filium informârit: pollere nempe eum, ſi in demortui hominis, modò nondum putrefacti, corpus infundatur, ad ejus vitam revocandam: Eſſe quidem peccatum, ſi homo ea, quæ ſolius Dei ſint, æmulari velit, nempe mortuos reſuſcitare; ſed ob neceſſitatis caſum, & ut probam faceret naturæ virium, ſe iſtum filio commendare voluiſſe. Filium itaque, ob peccati metum, in patre experimentum facere noluiſſe, vel quòd procul dubio quietem & pacem æternam patris vitæ prætulerit. At cùm ipſe aliquando filius fatali morbo correptus fuiſſet, præcepiſſe & commendâſſe eum hanc rem ſervo ſuo, & ut in balneis calidis ipſum irrorare præmemorato liquore vellet. Demortuo itaque *Lokhmanni filio*, miniſtrum præceptorum ſui heri memorem protuliſſe exanimatum ejus corpus in *Hamam Charabe*, id eſt, hypogæum balneationibus dicatum, & poſt duorum affuſionem vitrorum illud motum recipere, & paulò pòſt ſemimortuum elevando ſe clamare cæpiſſe: *Brîs Brîs!* quod eſt, funde, funde! Sed inopinato illo clamore territo miniſtro elapſum è manu & confractum cum liquoris deperditione fuiſſe vitrum, & propterea mortis neceſſitatem denuò ſubire coactum *Lokhmannum*. Credat hæc qui volet. Multa equidem ſunt in Naturâ arcanâ, hominem à putredine & corruptione conſervantia, etiam poſt mortem; at de iis, quę vitam homini planè extincto reddere queant, nihil hactenus cuiquam mortalium compertum eſt. Dei hoc opus eſt, & eorum, qui fide miraculosâ à Deo præditi etiam montes transferre poſſunt. De umbratili v. hominum, deinceps.

Aliter ſe res habet in animantibus quibuſdam, quæ vel viva legibus pyrotechniæ ſubjiciuntur, vel præviâ putrefactione in vitam novam poſt illatam mortem, ſive à naturâ, ſive ab arte revocātur, nec non cùm diſſeritur: an, dum in cineribus immortale quid remanet, quod elementorum potentiæ non cedit, ſed cum conſer-

vatione prioris ideæ ſuperſtes manet, exinde evidentiſſimum reſurrectionis myſterium confirmari & velut oculis ſubjici poſſit? Quod ſanè, uti veriſſimum, ita primarius hujus diſſertationis ſcopus eſt. Id verò per tria regna demonſtrandum exiſtimo: *Æſculapius*, apud *Diodorum Siculum*, qui natura, ingenioque præclarus, Medicinæ operâ impensâ, plurima hominum valetudini utilia invenit, adeò artis illius peritiâ excelluiſſe traditur, ut quàmplurimos, deſperantes ſanitatem, liberârit à morbo, proptereaque creditus ſit, nonnullis defunctis vitam reſtituiſſe. Rectè hîc *Diodōrus* loquitur, dum ſcribit, *quòd creditus ſit* nonnullis defunctis vitam reſtituiſſe. Qui enim apoplecticos, hyſtericas, aquis ſuffocatos, ſyncope correptos per convenientia reſtituit pharmaca, ille profectò à vulgo interdum creditur revocâſſe mortuos: namque & mihi, quod ſine jactantia dixerim, veneratus humílimè Dei præpotentis in homines miſericordiam & clementiam, aliquoties accidit, ut ſtramini jam commiſſas & velut pro mortuis habitas hyſtericas, aut ex largiſſima hæmorrhagia uteri jam velut extinctas medicinâ reduxerim & fumans quaſi eorum ellychnium in flammam revocarim. Refertque *Helmontius in demente ideâ*, quopacto, immerſione in aquam ſive ſalſam, ſive dulcem, reſtituantur amentes, rabioſi & furioſi: imò, quòd aquâ ſuffocati & pro mortuis habiti, ſi vel maximè ad dimidiam horam in aquis moram traxerint, ſupino decubitu, capite & humeris pendulis revocari in vitam poſſint (*Borello* admotis cordi panis aſsi micis, aqua vitæ calida imbutis) quantaque ſit in odoribus poteſtas ad ſuffocatos à carbonibus reſtituendos. Quibus ſanè exemplis viſis, plebecula, inter verè extinctos & apparenter tales diſtinguere neſcia, credere poſſet, reſuſcitari non rarò mortuos à Medicis & ſic procul dubio quoque *Æſculapius* creditus fuit mortuos reſuſcitâſſe.

Sed miſſis, quæ ad hominem ſpectant, utpote, qui non, uti *idem Diodorus Siculus* fabulatur, ex limo Ægyptiaco per putrefactionem natus eſt, aut inſtar inſectorum, prout alii in nonnullis Indiæ locis homines ſylveſtres oriri ex lacubus fabulantur: ſed ex ſpiramine omnipotentis Dei in animam viventem factus eſt; ad animalia accedamus alia, & minoris quidem conditionis.

Etſi verò de Serpente ſuprà nonnulla adduxi; non tamen verebor reaſſumere ejus palingeneſin, quam *Kircherus* docuit, edoctus viſo ſerpentis corpore mortuo, variisque vermiculis aſperſo, parvis, mediis, majoribus, qui ex putrefactâ ſerpentis carne nati in grandiores abiêre denuò ſerpentes. Accipiantur itaque ſerpentes cujuscunque generis, arefacti in fruſta ſecentur, & terræ fracidæ committantur, ſive uliginoſæ humidæ, & fiet, ut terra per cribriforme vaſculum aquâ ſæpius aſperſa, ſub dio, & Solis intuitu, tempore veris vermiculos edat, qui aquâ cum lacte temperatâ in angues redeant, & proprio dein ſeminio ſe propagent. Ita ex præfato *Kirchero* refert *Eraſmus Franciſci parte primâ Orientalis & Occidentalis Indiæ, nec non Sinenſis Viridarii p.* 765. Sed ſerpentes linquamus, dum ob antiqui ſerpentis deceptionẽ ſuave nihil aut proficuum ad hominem ex memoria ſerpentis pervenire poteſt, niſi forte theriaca, aut contra venena quædam remedia. Neque nobis ſermo eſto de ranis, bufonibus & aliis multis, quæ è cadaveribus propriis repullulant. Nam & muſcas per hyemem mortuas ſolo calore hypocauſti iterum reviviſcere aliquando aliquot millionibus deprehendi, in *Hohenſolms*, cum *Pharmacopæo Giſſenſi, Dn. Iohanne Kôppelio*, amico meo, ut exiſtimare potuiſſemus, cùm mediâ hyeme nobis focus accenderetur in hypocauſto longo antè tempore non calefacto, Satanam, quem Scriptura Beelzebub nominat, ſive muſcarum Deaſtrum ſibi ſedem ibi fixiſſe: tantis enim ſuſurris & velut buccinis & tantariſationibus implebant muſæum, inopinato calore excitati, ut niſi mihi ejus rei ratio cognita fuiſſet, jam præmemoratus Pharmacopæus, compater meus territus fugâ ſibi conſuluiſſet. Sic hæ aquâ ſuffocatæ aſperſione calidiorum cinerum reſtituuntur.

Melioribus itaque exemplis & magis proficuis res noſtra confirmanda.

Ab amicis, inquit, *Borellus Cent.* 4. *obſerv. & hiſtoriarum rariorum Medico phyſicarum*, expertis duobus accepi, ſe cancros fluviatiles reverberio calcinatos reſtituiſſe. Si enim eorum cinis in loco humido, vel vaſe terreo ſinatur, cum aqua modica, hinc intra 20. dies innumeræ

numeræ atomi animatæ viſuntur, quę ſi ſanguine bovino irrorentur, in cancros paulatim commutantur: additque in appendice, *D. de Chambulans & D. Grandor* hanc cancrorum reſurrectionem feciſſe. Sed ne quis de proceſſu ſolicitus eſſe queat, aperiam eum hoc in loco, quopacto eum à duobus accepi amicis. Recipe itaque cancros optimè lotos, eosque coque ad duas fortè horas, in aqua fluviatili, decoctionis aquam aſſerva: cancros verò immitte cucurbitæ, & deſtillando abinde evoca omnem liquorem, huncque itidem probè aſſerva ſeorſim: dein calcina cancros in furno reverberii, & à cinere extrahe Sal illorum, aquâ primæ decoctionis, filtrando & evaporando eam. Remanenti Sali affunde aquam deſtillatione evocatam, & repone hæc in loco humido, ut putrefactio oriatur, & intra paucos dies vermiculos & parva notabis animalcula, quæ moveri quoque conſpicies. Hæc itaque ſanguine taurino fovenda & aſpergenda, donec majuſcula reddantur, inſtar avellanæ nucis, vel globuli, quo facto, in aquam fluviatilem immittantur temperatam ſanguine bovino, renovando ſingulis tribus dieb⁹ aquam fluvialem & ſanguinem, donec juſtam habeant quantitatem. Anguillas verò hoc modo reſuſcitari ajunt: Accipe duas aut tres anguillas, quocunque volueris tempore, coque eas in aheno aquâ pleno, donec in pultem coctæ fuerint: hanc pultem projice in locum ſive lacum uliginoſum & humidum, & intra octo dies innumeram videbis multitudinem anguillarum indies quantitate creſcentium. Hæc, inquam, mihi communicârunt *duo amici, alter Saturni, alter Antimonii nomine mihi chari.* Fortè verò etiam cum aliis animalibus eadem reſuſcitatio ſperanda, dum formæ eorum educuntur è potentia materiæ, & animarum perennitas quædam in Sale obſervatur. Sic enim ex ardeis quæ piſcibus veſcuntur, piſces iterum fieri obſervatum eſt, *teſte Borello ex Kirchero,* quibus nutritæ fuerunt. Sic *ajunt:* anates ſub limo in bufones mutari, propterea, quòd bufonibus veſcantur, & bufoninum quid & voce & aliis modis referant. Unde prænominatus *Dn. Borellus* pulchrè & judicioſè concludit: Sic latent rerum ſemina in animalibus ipſis, ut aliquando, datâ anſâ rurſus prorumpant: hæcque eſt anti-

antiqui *Pythagoræ* metemphychoſis vel potiùs metaſomatoſis. Sic ex excrementis animalium naſcuntur iterum plantæ, quibus paſta ſunt. Unde patet: immortales eſſe animas, etiam rerum minimarum, nullumq; in mundo angulum eſſe animis deſtitutum, ut cum *Iamblicho* ex doctrinâ Chaldæorum & Aſſyriorum loquar. Corporibus enim ſeu animarum ergaſtulis corruptis, avolant per aëra, & ſic errant, donec ſibi novum aliquod corpus ipſæmet progenerent magneticâ attractione ſubſtantiæ ſibi neceſſariæ, ad corpus ſibi prædeſtinatum & juxta ſuam ſcientiam architectricem conſtruendum. Hæc *Borellus*, à quo non alienus eſt *Autor Encheiridii Phyſicæ reſtitutæ* §. 182. Dum ait: Quemadmodum chao ſingulæ univerſi partes, ſecundùm materiam, potentiâ inerant, quæ actu poſteà ſeparatæ & productæ ſunt: Ita ſingula rerum individua mundo materiali potentiâ inſunt, antequàm in lucem exeant, inde tempore & ordine ſuo fluxura & aliquando actu emerſura: Ubi autem deficiunt, in univerſam molem, à qua prodierant, tanquam flumina in mare relabuntur, quâlibet nempe naturâ regionem ſuam repetente, iterum atque iterum in Naturæ officinam regreſſura & ſub ejus incudem ad opus novum remittenda. Forſan ea fuit exploſa, quia non intellecta, *Pythagoricorum metempſychoſis*. Sed hæc de totali mixti corruptione intelligenda: aliter enim ſe res habet in corruptione generativa, quæ mediocris eſt, fitque cum conſervatione ſpecificæ formæ, ſemini ſeu materiæ potentialiter inhærentis, ubi neque recedit ſpiritus ille innatus: quò etiam ſpectant exempla ſuperiùs allata. Etſi enim in ſalibus ſemina rerum deliteſcunt, quia tamen ſalia, *teſte Chriſto*, fatiſcere poſſunt, & à fermentis potentioribus ſuperari, conſequitur, etiam ideas ſalium aliâs incolas ſeparari, aut ſub poteſtatem potentioris occultari.

Sed ab animalibus ad vegetabilia me converto. Nihil hodie magis in ore literatorum curioſorum eſt, quàm plantarum ideas in cineribus remanere, & ſingulari artificio reſuſcitari poſſe. Notum eſt, quid *Quercetanus*, Henrici quarti, Galliarum Regis Medicus celeberrimus obſervaverit in urtica, & quàm bellè liquor ejus repræſentârit urticæ effigiem. Sic ex Oratione *Dn. Comitis Digbæi*,

Angli, de vegetatione plantarum, habemus, Athanaſium Kircherum miraculum reſtitutionis feciſſe, ac ipſi *Dn. Digbæo* operandi modum communicaſſe: qui ſanè inſignem urticarum quantitatem cum caulibus, foliis, floribus & radicibus, uno verbo, totam plantam calcinavit, & ex cineribus cum aqua pura confecit lixivium, quod filtrando ab omni terreſtri materia depuravit. Hoc lixivium debito anni tempore, ut à frigore conſtringi poſſet, expoſuit, uſus operatore *Hans Hunniade*, & certo certius eſt, inquit, quòd, poſtquàm aqua frigore indurata fuerat, ibi urticarum in glacie congelatarum magna abundantia appareret: addit: Nullus pictor ulla ratione faſciculum urticarum tam bellè delineare potuiſſet: adducebam *Doctorem Majernum*, qui non minori, quàm egomet lætitiâ afficiebatur. Quis hæc audiens, legensque non agnoſcit, maximam partem eſſentialis ſubſtantiæ conſiſtere in ſuo ſale fixo? Idem tentavit Francofurti ad Mœnum *Dn. D. Kornmannus, curioſus ſolersq; Naturæ indagator*, amicus meus dilectus, quod & feliciter perfecit, comprobante adhuc veritatem rei, ipſo *Dn. D. Sebaſtiano Scheffero, Phyſico Francofurtenſi, ordinario*, amico meo ſinceriſſimo, aliisque ſimul inſpectantibus.

Aliter verò ille, *ac Dn. Digbæus, Comes Anglicanus proceſſit*: Accepit nempe plantaginem, ut & flores tiliæ, & ab unâquâq; ſeorſim ſine additione aquę, per cucurbitam, ſuper impoſito alembico, evocavit per deſtillationem in B. aquam: Aquam hanc affudit novæ plantagini, & hunc proceſſum aliquoties repetiit. Aquam ſic per reiteratas deſtillationes virtute herbæ imprægnatā & in vitro probè munitam expoſuit hyberno frigori, ante feneſtram, ut in glaciem concreſceret, quo facto, innumera folia plantaginis & flores tiliæ apparuêre, ſed ſine colore, procul dubio, ob defectum ſalis fixi & olei: ubi notandum, qòod aqua illa, quæ repræſentavit herbam, multo clarior extiterit, illâ, quæ nihil repræſentavit. Alius ſpermatis ranarum aquam aliquoties cohobatā, ſive per deſtillationes aliquot vicibus acuatam eodem modo per gelu concreſcere fecit, & aliquot centena nigricantia puncta velut oculos ranarum obſerſervavit, inſtar argenti vivi clara & perſpicua. Sed hæc umbratica ſunt.

Refert

Refert cæteroquin, ex *Iacobo Gaſarello*, *Iohannes Chryſoſtomus Magnenus*: fuiſſe Polonum quendam Medicum, qui complures habuerit phialas vitreas, in quarum fundo pulveres ex arte præparati florum animas in cineribus conſervâſſent, vixiſſentque velut in urnis ſuis. Sed præſtat verba ipſius *Magneni* adducere: Spectaculum, ait ille, hoſpitibus exhibiturus doctiſſimus ille Chymicus, accenſam candelam phialæ ſuppoſuit, in quâ roſæ cineres præparati aſſervabantur, certâ diſtantiâ; vix enim calor ſeſe in vitrum inſinuaverat, cùm, ecce tibi! moveri corpuſculorum pulverisq; populos, cineremque leniter agitari cernere licuit, dum tandem, poſt horæ intervallum, totus ille pulvis, collecto calore, in media phialæ area ſuſpenſus, variis deinceps, confuſisque motibus undiquaque cieri cœpit: ſicut, dum apes alvearia mutantes, in aëris medio in nubem coactæ, confuſo volatu, hinc & inde per ſua caſtra volitant. Tandem variis agitationibus, quaſi ſeſe atomi ad unionem quæritarent, paulatim in roſam perfectiſſimam corpuſcula illa coaluerunt, cui neque in foliis ordo, neque color, neque meditullium croceum deeſſe videbatur; ſed ſpectaculum, remotâ candelâ, ſtatim deſiit, recidentibus ad fundum atomis, quæ caloris vi in aëre detinebantur. Hiſtoriam hanc, etſi *Freitagius* in noctibus Medicis fabulam appellat; veritatem tamen fruſtra impugnat, quæ luce meridianâ clarior perſtat, dum hoc tempore non ſolùm plures ejuſmodi alias obſervatas legimus, ſed & modus artificii illius innoteſcere cæpit. Nempe:

Intercidit nil flore priùs roſæ:
Vernantibus nil eſt violis magis
Fugiens: ſed ſolerti hæc & illa
Ante oculos penetranda præſtant.
Caulem virentem cum decore aureo
Florum atque frondiûm cumque ſuâ prius
Radice contuſum tepore
Exiguo ſpacio putrefac.
Fermenti odorem dum ſibi contrahat,
Mox exime & per linteolum exprime,

Vultuque ſuccum clariore
Fæcibus injice derelictis.
Sic cuncta doctè decoque vitreo
In vaſe, nativam quoad indolem
Pubentis herbæ vis liquoris,
Et proprium imbiberit colorem.
Effunde tincta, & digere, ut exuant
Fæces ſecundò. Hinc ſuaviter elice
Vim ſpirituôſam, dum rubentis
Sulphuris imo oleum reſidat.
Iam ſpiritus à phlegmate ſepara,
Alembico conclude tenaciter;
At fæcem aduſtam mox tigillis
Fundito mulciberis camino.
Pòſt phlegma Sal candore notabile,
Bis concremato de cinere, evocet,
Mox terram depuratam junge
Principia igne tepente ſiccans.
Quis non ſtupeſcat protinùs inſolens
Spectaculum, ſpectando quod editur;
Ex irrigatâ namque maſſâ,
Ætherei laticis madore,
Si digeratur fota tepentibus
Lychnis, oriri videris herbulam
Suo coloratam virore,
Et facie ſimilem priori,
Imaginem vivam genitalibus
Fibris renatam - - - -

Quod idem eſt, ac: Putrefacto ſimplici, partes volatiles à fixis ſeparentur, atque purificatæ mundo ſali fixo reuniantur. *Roſenbergius* itaque hunc modum præſcribit: Accipe ſalem roſarum tum fixum, tum volatilem, ſpiritus item aëreos & phlegma, (debito modo omnia præparata) ſolve, coagula, & ſuperfuſo ſtillatitio vel ipſarum roſarum, vel roris majalis liquore, in vaſe idoneo probè clauſo,

clauſo, roſa beneficio caloris cinerum vel alterius aptioris, ſpirituali quaſi quodam & umbratili corpore, non ſecundùm figuram tantùm; ſed & colorem pulchrè repræſentabitur; iterumque deficiente juſtâ ex harmonicâ caloris temperie, vel præcellente frigore, ceu ſpectrum, ſpiritus, aut umbra fugax evaneſcet. *Vid. ejus Rhodologiæ part. 2. c. 33. in fine.* Ubi quoque refert ex *Libavio in Syntagmate Arcanorum Chymicorum l. 1. c. 22. Ieremiam Cornarium, Archiatrum Brandeburgicum, Culmbachii*, cùm anno Chriſti, 1608. menſe Junii aquam quandam ſtillatitiam in vitro aſſervâſſet; menſe Novembri in vitri ejus fundô plantulam enatam vidiſſe, cujus icon & deſcriptio apud *Libavium* videre ſit. Simile quid obſervâſſe, *Dn. Frey, Doctorem Medicum* W*eiſſenburgicum celeberrimum* in Tulipa. *Borello* v. reſurrectio plantarum fieri creditur: ſi calcinentur plantæ in vaſe clauſo, ne Sal volatile, in quo latet vis reſurrectiva, evaporatione abeat: Sal dein volatile fixo jungatur, admixtione aquæ vitæ optimæ, ſeu roris majalis ſpiritu, & vaſe ſigillato calore mediocri dein principia ſic miſta circulentur in unitatem & puritatem ſummam.

Sed ne quiſquam habeat, quod conqueratur ſuper brevitate harum operationum, explicatiùs paululùm deſcribam unum alterumve operandi modum. Accipe itaque, quicunque experimentum reſurrectionis inſtituere cupis, herbam aliquam, cum radice & floribus, ſive plantam totam, eamque contunde in mortario, atque cucurbitæ inditam fermentari ſinito, donec aceſcat. Exprime ſuccum, filtratumque fæcibus reaffunde, & tamdiu denuò putrefactionis legibus hæc ſubjice, donec colorem herbæ acquirant. Exprime hæc denuò, & digere ſuccum per ſe in cucurbitâ, donec omnes fæces reſideant, & ſuccus clarus & diaphanus in colore herbæ conſpiciatur. Succum hunc clarum & diaphanum per cucurbitam ſuper impoſito alembico in M. B. lento igne deſtilla, ut habeas ſpiritum, & in fundo remanebit ſulphur, quod aſſerva. Spiritum à phlegmate libera, & quodlibet ſeorſim cuſtodi. Omnes dein fæces igne lento calcina, & ſpiritu Sal volatile vel extrahe, vel ex fæcibus ſublima; quod verò remanet calcina ad uſque cineres, & ſal fixum quoque extrahe phlegmate, & depura, uſque candore

notabili albeſcat. Accipe dein Sal utrumque cum Spiritu & Sulphure & ſoluta filtrataque coagula leniter, ut ſic incluſa vitro & irrorata Spiritu roris majalis, vel quintâ eſſentiâ vini, omnia unian-tur. Teneatur denique ſuper candelâ, vel leni calore vitrum, & reſurget herba cum floribus, adeò, ut ea exactè cognoſci poſſit. Reſpondet verò hic modus cum eo, qui ſuprà ſcripto in carmine continetur.

Cæterùm, eſt & alia operandi ratio, quam ſic deſcriptam exhibeo: Accipe herbam quamcunque vis, & in quantitate, prout placuerit, contunde eam, expreſſumque ab eâ poſt levem fermentationem ſuccum deſtilla per alembicum, in B. M. uſque ad craſſæ materiæ remanentiam, tum in cineribus urge deſtillationem & ſal volatilis in alembicum ſublimabitur. Salem hunc volatilem miſce cum ſpiritu dephlegmato, & ex capite mortuo extrahe ſalem fixum, eumque priori ſali volatili & ſpiritui junge, deſtilla hæc lento calore, & ſublimabitur Sal volatilis colore albiſſimo & repræſentabit herbam in figurâ tali, quali conſpicienda fuit, inter viridantia gramina campi.

Ut verò etiam, quopacto EX SEMINIBUS PLANTARUM RESURRECTIO procurari poſſit per artem, innoteſcat, non verebor illius rei modum hîc quoque Philoſophiæ cultoribus exhibere. Recipe maturum alicujus plantæ ſemen, idque ſereno cælo collectum ſub dio, & in mortario vitreo contuſum cucurbitæ vitreæ injice, cujus longitudo reſpondeat plantæ dimenſioni, orificiumque haud amplius habeat, quàm pollicis, ut ſigillari poſſit. Cucurbitam obturatam, in loco tenebroſo, ne quidquam evaporet, aſſerva, donec cælum veſperâ ingruente videas ſudum & diſpoſitum, ad fundendum per noctem rorem. Quibus obſervatis, contuſum ſemen tabulæ vitreæ impone, & hanc in prato vel horto amæniſſimo paropſidi impoſitam, ne quid perdatur, ſub dio colloca, & cadet ros ſuper ſemen, humectabit illud, & naturam ejus ſibi acquiret. Intereà notabilis roris majalis quantitas colligenda, ad menſuras aliquot, ſiquidem una pars ſeminis requirit quatuor partes ſpiritus roris. Madefactum verò rore ſemen ante

Solis

Solis ortum cucurbitæ priori iterum includi debet, ne Sol ſupervenienſ Filium ſuum repetat. Intereà ros collectus aliquoties filtretur & deſtilletur, donec nullas ampliùs relinquat fæces: ex fæcibus verò calcinatis Sal extrahatur, qui ſolutus in rore deſtillato ſemini affundatur, ad eminentiam trium digitorum, ut ſigillato per colliquationem orificio vitri, vel, ne quid exſpirare poſſit, ulterior operatio inſtituatur. Sunt, qui accipiunt roris deſtillati 3. partes: Salis roris partem unam, & hæc ſic mixta affundunt ſemini per noctem irrigato, & indita vitro ſigillant: Sal verò roris conficiunt leni calcinatione capitis mortui, ex deſtillatione roris reſidui, idque dein extrahunt aquâ roris deſtillati, ut evaporatione hujus factâ Sal habeant. His ſic factis, compoſitum in humido calidoque loco reponatur, vel in fimo equino, ad profunditatem duorum pedum, per 14. dies & noctes, & apparebit ſemen, inſtar glareæ, vel mucilaginis: ſpiritus verò ſupernatans ſtrias habebit, & erit inſtar cuticulæ verſicoloris deſupernatantis: intra verò cutis & terræ glarealis ſpacium ros ex naturâ ſeminis ſaturatè viridis erit. Vitrum hoc ita ſigillatum exponatur radiis Solis, & Lunæ, cæterorumque aſtrorum: tempore verò pluviali in hypocauſto aſſervetur, donec omnia ſigna, quæ ſequuntur compleantur. Nempe, mucilaginoſa in fundo materia intumeſcet valdè: Spiritus de die in diem minuetur, incraſſeſcetque materia: reflexiones dein variæ ad Solem obſervabuntur in vitro, inſtar ſubtilium vaporum & nebularum, quæ apparentiæ figuram plantæ, ſed ſine coloribus, abſente adhuc fixatione, præſentabunt ſubtiliſſimè, inſtar telarum aranearnm aſcendentium ſæpe & deſcendentium. Tandem id, quod in fundo eſt cum ſpiritu cinis quidam fiet è ſubcæruleo gryſeus, unde exſurgent tandem pediculi cum herbâ & floribus in formâ & ſpecie plantæ, cujus ſeminium artis legibus ſubjectum fuit, quæ verò effigies ſemper poſt caloris ablationem evaneſcet & in terram recidet; verùm, quoties calori denuò admovebitur, iterum apparebit idea herbæ: & hoc miraculum erit perpetuum.

Quis hîc non miretur divitem Naturam? quis non obſtupeſcat Artis dexteritatem? Quis non exclamet *cum Pſalmiſta*: Quàm magni-

magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ! Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.

Dum hæc ſcribo, forte fortunâ evolvens *Eraſmi Franciſci viridarium ſive hiſtoriam utriusque Indiæ & Sinæ*, proceſſum hunc, quem tamen ante plures annos mihi in ſecretis habui, fere iisdem verbis, paucis immutatis, *part.1.p.762.* deſcriptum deprehendo: eſſéque eum ipſum, quem *Divus Ferdinandus III. Cæſar ſacratiſſimæ memoriæ, Kirchero* aliquando communicavit, ad cujus imitationem procul dubio illam plantam diſpoſuit, quam anno *1657. coram Chriſtinâ Suecorum Reginâ*, reſuſcitavit. Addit ſolùm: interdum duorum menſium ſpacio operationem hanc abſolvi, interdum citiùs: interdum verò, poſt revolutionis anni totius decurſum, pro varietate nempe temperiei & anni.

Abirem hinc, niſi alium adhuc modum nuper mihi communicâſſet *Vir Equeſtris, magnæ ſcientiæ, & experientiæ admirabilis*, pluribus per orbis aliquot partes itineribus partæ, qui edito nuper *Tumulo paupertatis*, INCOGNITUM ſe appellavit, & haud exigua benevolentiæ ſigna mihi exhibuit. Eſt verò ille modus talis: Collige rorem majalem ſupra frumentis, ſi fieri poteſt, & illius pone menſuras duas in cucurbitâ vitreâ, deſtilla in B. M. ad ſiccitatem, omnibus bene lutatis juncturis: poſteà injice illam aquam deſtillatam in matracium, cum decem aut duodecim generibus ſeminum florum. Obtura bene & expone per duos menſes radiis Lunæ, relinquendo per ſingulas noctes, amovendo verò quolibet mane ante Solis ortum. Poſteà totam aquam cum ſeminibus mitte in cucurbitam, junge recipiens diaphanum & clarum, & omnibus bene & exactè obturatis ad deſtillandum ad ſiccitatem radiis Solis expone. Tum obtura recipiens, & videbis apparere flores ſeminum, quæ ſumſiſti. Et hæc INCOGNITUS.

Dicunt verò etiam aliqui: tubera reſuſcitari poſſe. Quod ſi verum eſſet, gulæ multorum ſatisfieri poſſet illo tuberum genere, quæ cæteroquin palmam hactenus ſub initia veris retulêre & Germanis Morcheln vocantur, & quidem hoc modo: Accipe tubera,

eaque

eaque coque in aheno, cum aquâ limpidâ vel pluviali, ad duas horas: aquam reſiduam immitte gutturnio, cum appendice cribriformi, eâque ſingulare ſtratum, ex terrâ in hunc finem ſtercoratâ factum, aſperge ſæpius, & videbis intra breve tempus prodire ſive pullulare illius ſpeciei tubera, quâ imbuta fuit aquâ.

Neque impoſſibile viſum eſt *Paracelſo*, ex cineribus ligni combuſti arborem reſuſcitare: dum *de reſuſcitatione rerum naturalium* modum ejus tradit talem: Reſuſcitatio & reſtauratio ligni expeditu difficilis eſt: naturæ nihilominùs poſſibilis; ubi tamen ſingulari induſtriâ & perſpicaciâ opus eſt. Quopacto autem revivificari queat, ut revireſcat, ad hanc fit rationem, ut lignum, in carbones combuſtum, in cineres porrò cremetur, & hi cucurbitæ indantur, cum reſinâ, liquore & oleoſitate arboris ejus, cujus lignum fuit, porroq; miſceantur & lento calore liquefieri permittantur, in mucilaginoſam materiam. Et ſic tria habes principia conjuncta, unde omne lignum creſcit & naſcitur, quæ ſunt, phlegma, pinguedo & cineres. Phlegma eſt mercurius: pinguedo ſive reſina ſulphur: cineres ſal. Omne enim quod in igne odorem emittit & diſſipatur eſt mercurius: quod urit & conſumit, ur ſulphur: & quod deniq; remanet, id eſt, cinis, eſt ſal. Tria hæc principia ſic commiſta pone, in ventre equino, & putrefac ad juſtum tempus. Quo finito, ſi materia hæc recondatur in ſolum pingue, germinabit iterum & reſurget nova arbos, nobilioris ſubſtantiæ, majorisq; virtutis lignum, quàm anteà fuit. Et hoc lignum tum appellatur & eſt lignum reſuſcitatum, renovatum & reſtauratum, quod in principio quoque lignum fuit; ſed mortificatum, reſolutum, in carbones & cineres combuſtum, & in nihilum redactum; ubi tamen ex eo nihilo aliquid iterum productum eſt. Hoc itaque in lumine Naturæ magnum tibi reputabis myſterium: rem aliquam formam ſive figuram ſuam amittere & in nihilum redigi, & ex nihilo iterum aliquid fieri, & quidem quoad virtutes ſuas longè nobilius. *Et hæc Paracelſus:*

Ponit verò & ibidem requiſitum generale, ad reſuſcitationem & reſtaurationem inſtituendam; ut nimirum cuilibet rei id reddatur, & cum eâ incorporetur, quod in mortificatione ab illâ ſeparatum

tum fuit; quod procul dubio ſine moleſtiâ fieri poterit, ſi herba, vaſis accuratè clauſis putreſcat, & tandem finitâ putrefactione omnia in cineres abeant, cum conſervatione utriusq; ſalis, tam fixi quàm volatilis, ſpirituumque, et ſi quæ alia plantæ geneſin conſtituerant: ſiquidem, uti ſæpiſſimè dictum, ſalium respublica myſteria talia in ſe habet; unde haud mirum, *teſte Hieronymo Benzone*, Americanum quendam Principem, nomine Simanducam, aurum & omnes lapides pretioſos, imò totum montem Smaragdinum viliora habuiſſe, quàm unicum ſalis granum, propterea, quòd illa externo ſolùm ſplendori: hoc vitæ conſervandæ inſerviant. Siquidem & de Sale ſcribunt, quod mures ab eo imprægnentur, ſi eum lambant, *ſec. Ariſt.6. hiſt.c.*37. Sunt, qui vehementer confirment, mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu: de quo ſic *F. Licetus, de Quinto quæſitis p.m.* 304. Scilicet, cùm prolifici ſeminis natura ſalſa ſit; & fæminarum ſemen ideò minùs prolificum, quàm maſculorum, quia ſemen fæmineum aquoſius eſt, atque frigidius, maſculeum calidius eo calore, quo maximè nititur fæcunditas: quùmq; ſal valeat ſemen fœminæ muris, abſorbendo nimiâ humiditatem, ſiccare, nec non etiam calefacere; propterea que vicem habere quomodocunque maſculei ſeminis, fæminæque ſemen muris attollere ad conditionem prolificam maſculini ſpermatis; propterea mures, ſi ſalem lambant, implentur facilè ſine coitu muris.

Pulchra ſanè ratio, quâ plurium fæminarum deſideria & imprægnationes furtivæ excuſari poſſent, modò non adderet *Licetus:* Habere mures geminam generarionem, ſeminalem ex coitu parentum, & ſpontaneam cum materia putreſcente, & ita in murium & equarum uteris, (loquitur verò ibi de equabus Hiſpalenſibus,) materiam poſſe contineri, quæ ſine maſculi concubitu, ſponte animetur in fætus murinos, & equinos imperfectos illos, qui nedum careant generatione prolis ullius, in ſpecie ſibi conſimilis, verùm etiam triennium vitæ ſuperare nequeant: licet & alia cauſa adduci poſſet, de quâ v. infrà occaſio diſſerendi fortè dabitur.

Sufficiat, in ſale ad generationem & propagationem rerum exſuſcitativam latitare poteſtatem, dum & antiqui ex ſalo Venerem

natam

natam crediderunt: nam ſalum à ſale dicitur. Hinc per ſalia multi feliciter tentârunt frumentorum & fructuum, imò & vini uberiorem proventum, neque illos ſpes deſtituit jejunos, de quo experimento legi poſſunt *Glauberus* & nuper edita *experimenta Digbæana*.

Ad reſuſcitationem & reductionem deperditarum rerum redeo: cujus alium & inſolitum quidem modum nobis *India* revelavit *Iaponenſis*, in ſingulari quâdam arborum ſpecie, palmas fere æmulantium, quarum natura eſt abhorrere ab omni liquido & humido, prout qui hydrophobiâ correpti aquas fugiunt. Si enim ejusmodi arbos humiditate aliquâ perfundatur, contrahitur tanquam ſentiret: & rugas patitur, tanquam ſubitò ſeneſceret: imò contabeſcit, non aliter, ac membrana ex ovium pellibus coram igne complicatur. Contra quod arboris ſive ſenium, ſive deliquium aut mortem nullum aliud ſupereſt remedium, quàm, ut arbos talis cum radicibus effodiatur, Solisque radiis exponatur, donec omnino exſiccetur, & in foveam, cui radix inſita fuit, contritæ ferri ſcoriæ, vel arena ſiccata injiciantur, & his factis, nova ſuper has ſcorias denique fiat inſitio. Sic enim paulatim reviviſcit, revireſcit, priſtinumque decus reaſſumit. Rami verò & ſurculi deciſi, ſi ferreo clavo affigantur arbori ſuæ, quod mirandum, denuò conglutinantur & adnaſcuntur ſuo trunco, tanquam inſitione implantati fuiſsent. Ex quo, ne & hîc aſymbolos abeam, Medicis certiſſimum ſubnaſci poteſt argumentum: certiora & præſtantiora inveniri non poſſe, ad curandum hydropem, medicamina, quàm quæ ex ferro aut chalybe apparantur: ſiquidem, etſi *Paracelſus* in hydrope laudat *Crocum metallorum*, non tamen ea *Paracelſi* mens fuit, quin potiùs, nomine *Croci metallorum* indigitare voluit *Crocum Martis aperitivum*, quem vel per ſe, vel cum Antimonio diaphoretico, præſtare quæſitum noverunt illi, quibus *Paracelſicorum Arcanorum* clavis non ignota eſt. Ut neque ſileam *arenam*, ſiquidem ea ſiccata multùm hydropicorum aquas minuit, corpusque ab earum illuvie delibilitatum valdè, exſiccatione potenti corroborat. Confert enim hydropicis ſicca ſudatio. Eſt vero ſiccus ſudor & arenæ calidæ, & laconici, & clibani. Unde multi immerſione in arenā ex

Sole æſtuantem, morbi remedium quæſiverunt & invenerunt. *Celſus* enim fomentis ſuis calidis ex milio & ſale factis etiam arenam addidit. Et *Plinius* de marinis aquis differens, tanquam ad hydropem ſalutaribus, ſcripſit: Nec non arena littorum maris præcipuè tenuis & Solibus candens in medicina eſt ſiccandis corporibus coopertis hydropicorum, aut rheumatiſmos ſentientium. *De quo argumento videatur Pantheus de fontibus Caldarianis: ut & P. Ægyneta.* Mirum equidem, dum omnia humiditate creſcunt, & arbos, ſecundùm Hiobum, odore aquæ germinare denuò incipit, hanc Indicam arborem exſiccatione opus habere & humiditate torpidam reddi. Nempe ſapientia divina legem impoſuit aquis, & libravit fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ. Suis igitur ponderibus dum omnia diſtribuit Creator, tantò impenſius opera ipſius veneremur, quantò glorioſior eſt Deus, qui in numero, pondere & menſura omnia ordinavit.

Dum itaque, quæ de reſuſcitatione plantarum hactenus allata ſunt, extra dubium poſita videntur, atque non uno, ſed pluribus exemplis confirmata, quorum catalogum auget *Borellus Cent. 3. Obſ. & Hiſtoriarum rariorum Medicophyſicarum Obs. 71.* additis rationibus. *Cent. 4. Obſ. 72. & Cent. 2. Obſ. 21.* quarum præcipuæ ſunt, quòd ſerendo plantarum ſales, iterum naſcantur illæ, & ex excrementis animalium ob ſalem copioſum iterum herbæ pullulent, quæ ſuprà quoque adductæ ſunt; liceat mihi quoque hoc loco referre arcana alia, quæ ex reſuſcitatione rerum ſperanda, de quibus ita ſæpe laudatus *Borellus*: Cùm anima tota ſit in qualibet parte, certum eſt, quòd è fruſtulis fructuum, vel liquorum, vel radicum, videbimus, in glacie, vel umbrâ eorum phantaſticâ, integram plantam: & ſic controverſiæ authorum de certis plantis dirimentur, ſicque poterit quicunque hortum botanicum, phialis incluſum, in cubiculo ſuo aſſervare, cum inſcriptionibus, adeò, ut planta optata quæcunque abſque ullâ culturâ ad placitum ſeſe oſtendat, cum propriis coloribus. &c.

Neque ſolùm de plantis cognitis, ſed & de incognitis ſententiam habebimus per fructus, ſemina & fruſtula, quæ maris incon-

ſtantia ab incognitis deponit ripis, quæque in Muſæis Curioſorum aſſervantur. Et quod magis mirum, idem de animalibus fiet. Habebis arcam Noë in Muſæo. Sicque videbis formas rerum omnium immortales eſſe, maximum reſurrectionis argumentum, & ſpiritum illum, archæumque rerum ſibi corpus ſolitum, juxta ſcientiam ſuam & prædeſtinationem concinnare poſſe, magneticè materiam ab elementis attrahendo, cumque in aquâ illa non habeat craſſa elementa, umbratile tantùm ſibi corpus effinget.

Sed, quod omnem admirationem ſuperare debet, id de hominibus fieri poterit, & in phialis, licitâ necromantiâ, patrem, avum, atavum, totamque proſapiam, imò antiquos Romanos, Hebræos, & quemcunque volueris, abſque Pythoniſſâ ad libitum accerſes, cum propriis figuris, modò eorum cineres, vel oſſa ſervaveris, aliaque majora, quæ non adhuc revelanda eſſe exiſtimo. *Hæc Borellus*: unde & rationem reddit, cur deſtillatus ſanguis humanus phantaſma humanum repræſentârit, è quo ſanguinei radij proſilire viſi fuere: & rupto vaſe cranium in fæcibus inventum ſit. Cur mugitum in deſtillatione ſanguinis ediderit phantaſma humanum? de quo ſcripſit Eques Anglus *Flud*. Cur canum ideæ conſpiciantur in morſorum à cane rabido urinis? Cur in cemiteriis ſæpe phantaſmata ſub noctem conſpiciantur? Cur nucis figura in oleo nucum exſiccato apparuerit? pomorum ſuccus congelatus mali figuram præſentârit? cancorum figuræ in lixivio ipſorum conſpectæ fuerint? imò animata corpora, è ſale ipſorum exſurgant, ut de cancris calcinatis quidam experti ſunt? & ex ardeâ luciis nutritâ lucij: ex carpionibus verò paſtâ carpiones renaſcantur, terraque ſtagni ſiccata & rurſus aquæ commiſſa piſces producat? Denique quæſtionem inſtituit, ſi ex ſanguine humano forma evocari queat, annon ex ſanguine viventis amici poſſit, procul eo remoto, ejus ſtatus cognoſci, atque ſic etiam arcanum, è longinquo cum amico communicandi reperiri, de quo argumento *Erneſtus Burggravius* ante hâc libellum edidit? Et concludit: omnia arcana medica hoc pacto facilè aliquando detectum iri, evocatis nempe rerum compoſiti-

poſitionem intrantium formis, cùm & in regno minerali ejus poſſibilitas jam innoteſcere cæperit.

Sed, quid in alienis conjecturis aut viſis moror? Dicam, quid ipſe obſervaverim. Cùm ante quadraginta circiter annos, *Beatæ nunc memoriæ Genitrix mea* in vineis æſtate deciduâ oberraret, accidit, ut à veſpâ in ſummitate pectoris ictus ipſi inferretur, & ab illo tempore, etſi tumor ſtatim terræ impoſitione mitigaretur, dolores tamen obſcuros pateretur, in longam uſque ſenectam, anno enim ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo, demum vitam ſuam Giſſæ in Chriſto Servatore finijt. Cæterùm, cùm tumorem aliquot ante mortem annis recrudeſcere, & velut ſub cute in loco læſo globulum volutari deprehenderet, cancroſum ulcus verita, explorare denique acu voluit, ſentiendo pruritum aliquem, quid arcani ibidem lateret: & ecce! granum extraxit tritici, quod à triginta fermè annorum ſpacio ibi ſubnaſci cæpit, poſt veſpæ ictum, quæ tum procul dubio è tritici granis ſuccum hauſit, ſeminalemque tritici virtutem loco icto ſimul impreſſit. Haud multùm diſtat hiſtoria hæc, ab illis, quas recenſet *curioſiſſimus ſæpeque citatus Borellus Cent.* 1. *Obſerv.* 10. dum refert *primò*: vidiſſe ſe herbulam, quaſi ſemper vivum minus, cum duodecim cauliculis, è cranio apis ortum, & hanc ſe adhuc ſervare, ut increduli convincantur, & id forſan factum fuiſſe, quòd ſemper floribus nutriantur: *Ac deinde* addit, majoris fidei cauſâ, hiſtoriam *paſtoris Tarraconenſis*: prunulum nempe in regione thoracis medij, ſeu ad ſternum, fruteſcere cæpiſſe, quoniam paſtor in prunulum inciderat: & ſpinam, per biennium ad eam partem implantatam, ſic radices egiſſe, ut, poſt reſectos ſurculos varios, aliqui tandem prodierint in quibus flores & fructus viſi, & *D. Peireskium*, virum magni momenti dono tales ſurculos accepiſſe. *Porrò*, ſimile quìd, circa gallinæ cujusdam collum in *Thuſciâ* obſervatum: & ſpicam farris, Areti, in naſo mulieris, ſecundùm *Euſebium Nierembergenſem* excreviſſe, & ex *Plutarcho* ſciri: culmum hordei per veſicã cujusdam dyſuriâ laborantis excretum fuiſſe: alteri cujdam, in ore, naſo ac auribus floſculos natos fuiſſe, *eodem Euſebio teſte.* Denique *obſ.* 28. *l.* 1. Piſcatorem quendam circa urbem

Monſpeli-

Monſpelienſem, à piſcis, *Raſcaſſe* dicti ſpinâ ſeu aculeo vulneratum, ſubſequente maximo digiti dolore & tumore, aperto tumore quidem liberatum fuiſſe;ſed in medio tumoris digiti,piſciculum probè efformatum, formæ illius,à quo vulnus inflictum fuerat, habuiſſe: imò & *Frontiniaci*, cùm in digitum piſcatoris implantata fuiſſet ſpinula ſcorpionis marini,rem eò deveniſſe,ut Chirurgus exinde tres piſciculos ejusdem generis ſcorpionum extraxerit.

De quibus mirandis naturæ operibus *idem Borellus* ita non incongruè ratiocinatur. Dum ait: in quibusdam animalibus ſemen non in teſticulis tantùm continetur; ſed quandoque ad caput, vel alias partes redundat, ut in quodam ſerpentum genere, qui ore coeunt:imò etiam per totum corpus quãndoq; ſperma diſpergitur; tunc enim ſemen ideam totius corporis referens ad univerſam cutem redundans,ſi in locum matrici analogum incidat, ſibi corpus prædeſtinatum & ſolitum effinget, ſicq; in digito ſuprà dicto facere potuit. Semen a. piſcium maximè omnium ſeminum proliferum eſt, cùm frictione ſolâ, eâque quaſi imperceptibili coeant.

Helmontius verò *in tractatu de Formarum ortu p. m.* 108. dum conſiderat, archæum rerum architectum & in ſeminibus habitantem, initio auram eſſe, quæ avida ſplendoris ſive luminis, (*formas enim appellat lumina vitalia*) ſemel ac umbratiliter ſolùm in ſe concepti, intendat omni viâ ſibi poſſibili corpus organizare ad receptionem illius luminis & actionum à lumine illo dependentium, fortè haud malè nobis hanc rationem ſuggerit: auram nempe vitalem per totum diſperſam morſu etiam aut ictu communicari poſſe,quæ in ſe dum contineat diſpoſitionem novæ fabricæ, eo uſque progrediatur, donec ſiſtatur,& ſic formam luminoſam accipiat, ab eo, qui ſolus pater luminum ſit. Siquidem & de mineralibus, lapidibus, metallis, adeoque fructibus aquæ non vitalibus, dicit: quòd,etſi hæc familia non propaget vi ſeminis, nec extra ſe edat poſteros, non propterea deficiat ens in eâ, quod illam ad deſtinatos maturitatis fines perducat. Enim verò,cùm nihil uſpiam ſemetipſum diſponat aut moveat, niſi ſemen ſit: neceſſe eſſe, quic-

quid

quid generatur, id habere intus diſpoſitorem, qui in aurâ molli, aquosâ, ſalsâ, lutoſâ &c. ſedeat; Non quidem, quòd heîc fluat, aut oberret per iſtam maſſam, perinde atq; in brutis; aut, quòd proinde in perpetuo ſucco habitet: ſed, quia ſit aura, per totum incorporata, nec variet ab indole fructus producti. Unde rectè adhuc dixit *Coſmopolita*: quòd ſine ſemine nihil naſcatur, etſi nobis ratio illa ſeminalis incognita ſæpe ſit: facilè enim fieri poteſt, ut per excrementa ſive murium ſive felium ſive aliarum rerum hæc aliaque inquinentur, imò & ſalia, unde poſtea mures naſcantur, & inſecta alia, diſpoſitore inviſibili ſui maturitatem urgente.

Sed ad mea redeo, & qualem in aceto ſquillitico reſuſcitationem ipſe viderim. Cùm ante duodecim fortè annos, *Giſſæ*, inter alia, quæ ad ſtudij Medici culturam pertinent, etiam occupatus eſſem, in colligendis ijs, quæ vitæ robur & longævitatem conciliare creduntur, & præprimis *Acetum ſquilliticum*, quo *Samius ſenex* ad 117. annos vixiſſe perhibetur, velut naturæ meæ familiare probè notarem, accidit, ut ſæpius eo uſus, tandem obturato & clauſo vaſe illud reponerem, ne vim naturæ inferrem, ob continuatum uſum ejus, & penetrabilem aciditatem. Sed ecce! cùm ad quadrantem fortè anni ſic in quiete ſtetiſſet vitrum, ex ordine taleoli ſquillæ in eo comparere & unus poſt alterum jucundiſſimo multorum ſpectaculo ſuccreſcere cæpêre, qui, tàm calore quàm frigore annum moderantibus, ſic mansêre, majora ſemper incrementa verè & non umbraticè ſumentes, donec *Giſſâ* diſcedens, ad *Aulam Haſſo-Darmſtadinam*, ſpectaculo finem imponerem, naturæque jucundum opus ſic deſtueretur.

Non aliter fortè in aceto, viridi æris imprægnato, *D. Breſſius*, referente *Borello, Cent.* 4. *p.m.* 327. folia vitis, per ſtrata, invenit, eaq; viridia, procul dubio obtincturam, ex viridi æris.

Satis hactenus, ut exiſtimo, actum, de plantarum reſurrectione. Ad regnum metallicum nunc mihi via ſtruenda eſſet. Inprimis, quopacto deſtructis corporibus metallorum vulgarium, imò & auri & argenti, nova & meliora reſurgere poſſint per artem, ſecundum illud Coſmopolitæ: deſtructo corpore priori emicat aliud

incor-

incorruptibile: ſed cùm *Paracelſus* in libro de reſuſcitatione rerum jam tùm docuerit, quo qacto metalla, quæ ut pote conſtant ex argento vivo & ſulphure, iterum redigi poſſint in argentum vivum, per calcinationem cum fuligine Mercurij, & ſublimationem reiteratam cum mercurio vivo, tandemque per digeſtionem, ut ſic haberi queant Mercurij auri, argenti, cupri, ferri, ſtanni, plumbi; laborem hunc jam meum non faciam.

Unicum tantùm dicam, quo pacto Luna vitrificata reſuſcitari queat. Accipe Lunæ, per Saturnum lotæ & depuratæ, ſive, uti ajunt, cupellatæ, ad uncias duas: ſolve eam in aquâ forti, per Lunam, prout decet, clarificatâ ſive præcipitatâ: pòſt præcipita Lunam ſolutam cum aquâ ſalsâ, & poſt duorum dierum digeſtionem, in cineribus calidis, calcem Lunæ exſicca, edulcora, & funde cum borrace, & habebis Lunam in vitrum converſam. Lunam hanc vitream miſce cum calcis vivæ & ſalis gemmæ ana unciâ unâ: viridis æris unciâ dimidiâ: animæ ſive ſalis Saturni unciâ unâ, faciendo ſtratum ſuper ſtratum, in pyxide cementatoriâ, probè luto obductâ, & poſt quatuor horarum cementationem per gradus inſtitutã, Lunam iterum habebis è vitro, id quod hoc loco non ſcriberem, niſi ipſæ manus meæ aliquoties hoc opus feciſſent. Luna verò ſic reſuſcitata ad magnos uſus applicari poſſe perhibetur: et procùl dubio labore hoc etiam illis ſubveniri poteſt, qui pro auro interdum ex cupellâ colligunt vitrum, quod nuper amico cuidam meo contigit.

An cæteroquin Luna etiam in Mercurium redigi poſſit, id non erit factu impoſſibile, inprimis, ſi attendatur dictum Philoſophorum: Fac Mercurium per Mercurium: accipe proin Lunam puriſſimam, tenuiſſimè limatam, eamq; cum Mercurij ſublimati & revivificati partibus ſex digere, in calore valido arenæ, per diem & noctem: poſtmodùm per duploidem urge Mercurium cum Luna, & quod in panno remanet purga cum ſale, & purgatum aquâ calida ablue & libera à ſale, prioriq; tandem Mercurio commiſce, toties hoc repetendo, donec omnis Luna per pannum duplatum tranſierit. Sic enim corpus Lunæ in primam ſuam ma-

teriam ſolutum iri ajunt: videatur concordantia Chymica p. m. 268. & 269. & habiturum poſt debitam coctionem hunc Mercurium cum additione juſtæ proportionis Lunaris, vim tingendi Mercurium in Lunam.

Revivificari verò ſic dicitur Mercurius, ſi ille per vitriolum & ſalem ſublimatus miſceatur cùm farinâ triticeâ & tartaro, indituſq; vaſi vitreato foraminibus pervio, & alii vaſi, in quo aqua ſit, ſuprapoſito, urgeatur deſuper igne. Hoc enim pacto revivificatum ad artem conducere. Qui plura deſiderat de reductionibus metallorum in argentum vivum, ille conſideret, quopacto metalla in Regulos & hos cum Mercurio in Mercurios tandem deducat, de quo *Trithemius* aut *Suchtenius* ſolicitè conſulendi: ſed expeditio hæc longa eſt & dura, & Colchicæ non abſimilis.

Plura hîc adderem de mercuriſatione metallorum; ſed terret me difficilis, Viri cæteroquin celeberrimi, qui eam inter non entia numerat, fides.

Sint ſatis hæc, ne qua videar contendere ſummis
Ipſe Viris, meritò ſibi qui peperêre virentem
Semper, & in nullo languentem tempore laudem:
Nec mihi certandi veniat tam vana cupido.

Laborandum eſt, & igne veritas latens inquirenda. Dum enim multi ignorant vel ſolum tartarum debitè recludere, fit, ut ad majora pervenire non poſſint, & ne videntes quidem credant. Doctè enim & verè *Baſilius in lib.* von der groſſen Heimligkeit der Welt und ihrer Artzeney / *de Tartaro* ita loquitur:

Vegetabiliſch thu Ich mich nennen /
Die ſtarcken Weine mich wohl kennen /
Wann mich die andern Saltz addirn,
So thu ich ſie zum Schlüſſel führn /
Durch meinem Geiſt / daß ſie ſich rechen /
Und all Metallen gar zerbrechen /
Die führ ich mit mir aus der Erden /
Daß ſie all zu Queckſilber werden /
Daß thut kein Kraut mehr in der Welt /
Die Natur hat mir zu geſtellt

Solch

Solch Freundſchafft und ſolch groſſe Thaten/
Der tauſend Menſch kans nicht errathen.

Sic itaque in tartaro latet arcanum, metalla vivificandi, quæ mortua ſunt, dum reducuntur per eum in primam vitam, id eſt, Mercurium, qui reverâ vita eſt metallorum, habetq́; potentiam ea meliorandi, medio admirabili, & myſterio imperſcrutabili; ſiquidem niſi vita moriatur, vix metalla mortua in vitam reſurgent novam. Verùm enim eſt, quod in auro vita lateat incarcerata, ſive Spiritus, qui ſecudùm *Augurellum lib.* 1. *Chryſ.*

– Manum cupit artificis, qui vincula ſolvat,
Et qui ſe propriâ reddat virtute potentem.
Quod ſi quis properans hunc artis viribus unquam
Explicet, atq́; diu tepido poſt incoquat igni;
Continuò aſpiciet, viſu mirabile, vitam
Auro impertiri longo cum ſeminis uſu:
Nec deerit, quin ex auro ſibi procreet aurum.

Plurimi hinc ſcrupuloſi ſunt in inveniendo Mercurio antimonij, aut Saturni, aut aliorum metallorum, pro reſerandis auri portis clavē habituri & auri montes. Sed ego Philoſophiâ contentus, uti eorum ingenioſas curas & ſolicitudines non improbo: ita doleo, vel iſtis impetratis tot Mercuriis, non tamen illis patere ad veritatem viam, ex ignoratione debitæ ejus ſublimationis & ignis philoſophici, cujus ſanè regimen ignotum eſt; nequè enim adeò magnum forſan eſt, antimonij tandem vel Saturni habere Mercuriū. Verùm: *Dùm labor in damno eſt, creſcit mortalis egeſtas*, rectèq́; ſcripſit *Theobaldus de Hoghenlande*, poſtquàm per varias mundi plagas, modò Hiſpanicum, modo Iſtricum, modò Helveticum, modò Italicum, modò Miſnicum, Tranſylvanicum, Polonicum, Bohemicum & alios innumeros Mercurios inquiſiviſſet: cùm viderem tandem, argentum vivum ubiq; fere idem, incæpi ea, quæ mihi evenerant, attentiùs perpendere, & Diaboli illuſiones timere, qui circa frivola & mendacia homines bonæ aliqui voluntatis detineri cupit, ut relictâ ſemitâ rectiori, tempus inutiliter terant, nec aliter veritatem perveſtigare curent, & tandem in deſperationis barathrum præcipitati opus ſophiſticum medirentur.

Dicendũ quoq; hîc mihi forſan eſſet non nihil, de auri argentiq; ramificationibus in arbores: de quibus *ita Augurellus Chryſog. l. 2.*

Pullulat interdùm proprij virtute vigoris
Auri perpetuum germen, ferturq́ ſub auras,
Non ſecus, ac ſummâ fruticis tellure cacumen
Exit & inde ſuâ vi ſeſe extollit: ut Iſtri
Accola felicis ſæpe illud ſtirpibus hærens
Capreoli in morem nati circumdare truncos
Implicitumq́ etiam ſaxis invenit obeſis. &c.

Nam & hoc in opere Philoſophorum ut fiat neceſſe eſt. Sed cùm tales jam ubique innoteſcere cæperint, conſultò manum abſtineo ab his: jam tùm enim etiam prodidit *Borellus*, quòd è mineralibus formæ evocari & ramificari queant, ſupra terram, prout cæteroquin in mineris ſuis ſub terrâ exiſtunt: additque exemplum, quòd *D. Barlet* è tartaro vitriolato arborem mirificam habuerit, in vaſculi medio ſtantem & innumeris ſurculis albiſſimis cum ſuis copioſis ſubdiviſionib9 & ramificationibus conſpicuã. Nempe: neq; mineralia neq; metalla carent turgeſcentiâ & vitâ: unde in vitriolo, variisque ſalibus & metallis ramificationes tales non inſolitæ.

Cùm deniq; ſuprà, in plantarum reſuſcitatione ſæpiſſimè Roris majalis mentio facta ſit, & quid ille ad tam pulchra naturæ opera conferat, nemo non quærere poſſit? præter ea, quæ *anno* 1661. in *Academiâ Giſſenâ* de Rore evulgavi, ſub titulo: *Ros benedictio cæli & menſtruum mundi*, nonnulla alia jam adducam, ex quibus, quantæ ſit Ros dignitatis, ſatis manifeſtum evadere queat.

Fuit quidam *Sinenſium Imperator Hiaovus*, qui ſibi perſuaderi paſſus fuit, ex Rore immortalitatem conciliari poſſe mortalibus, ac proinde quotidie in vaſe æneo collectũ Rorem cæli margaritis affudit, ut ſic ijsdem continuò refocillatus aut paſtus mortem proſcriberet, & æternùm vivere poſſet. Stultam hanc perſuaſionem diluit eventus. Magna ſanè in Rore vis, præſertim, ſi juſto colligatur tempore; at corroſivâ aliquâ malitiâ inquinatum interdum multis arborib9 & fructibus nocere, multoties quoq; compertum eſt. Scimus cæteroquin, quanti veniat benedictio, *Ioſepho*, à Prophetâ *Deut.* 33. enunciata: De benedictione Domini terra ejus; de pomis fructuum

fructuum Solis & Lunæ, de vertice antiquorum montium: de pomis collium æternorum,&c. Neque ignoramꝰ, quàm notabiliter, apud *Eſaiam*, *Reſurrectio univerſalis* aſſimiletur *Rori* viridantis campi. Siquidem gratam *primò* humectationem, eamq́; levem ſimul, terræ affundit, quâ herbæ & fruges recreantur, ne areſcant. Perhibentur apes *deinceps* generari, apud *Plinium*, *l.* 5. c. 16. neque ex putrefactione neq́; ex concubitu: ſed ex Rore, quem in cellulas ſuas important: refertq; *Abrahamus Mylius de origine animalium & migratione populorum p.* 10. modum, quo, beneficio Roris, anguillæ naſcantur: Jubet nempe ille, ut anguillas producturus, tempore Maij, cadente ubertim rore, ante ſolis ortum, ceſpites duos effodiat, è viridanti gramine campo, eosque lateribus roridis, & unde gramina prorumpunt, junctos ad ripam piſcinæ ponat, in parte ſeptentrionali, ut radiis Solaribus tantò fortiùs incaleſcant, & futurum promittit, ut intra paucas horas turmatim minuti prodeant piſciculi: & hoc modo nonnullos piſcinas ſuas anguillis imprægnâſſe. Quin & margaritarum origo *R*ori attribuitur, eodem *Plinio l.*9.*c.*35. *docente*, de quâ verò *ſic Augurellus*:

— Cùm ſe ſummo pandunt in marmore (pelago) conchæ,
Vt genitalis eas anni ſtimulaverit hora,
Implentur facili conceptu roris hiantes,
Et gravidæ certo mox edunt tempore fœtus,
Ætheriusq́; illis fit candens unio partus.

Ubi ſimul reddit rationem diverſitatis margaritarũ, dum quærit:

Cur non ſe roſcidus unam
Induat in ſpeciem ſimili conceptus ab ortu? & reſpondet:
Namq́; ubi ros purus cupidis influxerit illis,
Conſpicitur toto diffuſus corpore candor:
Turbidus at fœtum prorſus ſordeſcere cogit:
Quem rurſus videas cælo pallere minante,
Quippe illo conſtant, cæliq́; his major ineſt vis,
Quàm maris: hinc variant, at pro lurore viciſſim
Nubilus eſt illis color, aut pro luce ſerenus,
Dum fovet alba ſenis Tithoni Aurora cubile.
Hinc etiam paſci tunc illas cernimus, & cùm

Se tempeſtivè ſaturent grandeſcere fœtus.
Comprimitur verò, ſi fulgurat, ipſa repente
Concha pavens, reſtatq; minor jejuna timendo:
Verùm, ſi intonuit, pariter compreſſa pavensq;
Inflatam vento ſpeciem & ſine corpore gignit,
Atq; hi concharum verè perhibentur abortus.
Nam cute multiplici ſani conſtare feruntur,
Et penitùs ſolido compleri corpore partus:
Atq; ita, quò callum reputes id corporis eſſe,
Quod ſale permulto ſoleant purgare periti,
Id mirum eſt cælo tantum gaudere ſereno:
Sole rubere illas, candorem & perdere: & ipſum
Cuſtodire ideò merſas pelago altiùs atq;
Ne radij valeant usquam contingere Phœbi.
Flaveſcunt tamen & rugas traxêre ſenectâ:
Nec conſtat vigor ille, niſi durante juventâ,
Quem petimus: ſic his etiam longa officit ætas, &c. &c.

Hactenus aliquantò latius margaritarum geneſin ex Augurello attuli, ut tantò evidentiùs pateat & Roris laus, & quo privilegio hic gaudeat, dum & geneſis filiorum DEi Rori aſſimilatur: ſecundùm *Pſ.* 110. quod aliquando ita ſecundùm Lutheri verſionem germanâ poëſi ornavimꝰ in libello, qui inſcribitur, *Chriſtꝰ moriens:*

Und deine Kinder werden
Dir allerdings auff Erden
Gebohren/ wie der Thau/
Der wann Aurora blincket/
Wie Perlen häuffig ſincket
Auff bunter Blumen Au.

Etſi verò alium adhuc noverunt ROREM Philoſophi Hermetici, quem in opere ſuo notant; dum tamen hîc mihi de Rore, propriè ſic dicto ſermo eſt, non verebor primò pulcherrimum aliquod *aureum Vellus* ex Rore depromere, quod his ipſismet oculis meis vidi adornatum, & intra anni ſpacium perfectum.

Colligat itaque, quicunq; voluerit, Rorem majalem, beneficio linteo-

linteorum ſupra triticum, ſereno cælo, & à pluviis aut tempeſtatibus planè immuni, eumq; in vitro occluſo digerat per menſem, ut omnis ros clareſcat, ſequeſtratis ad partem fæcibꝰ: Rorem clarificatum & per chartã transactum phiolæ ſatis capaci & longi colli, vel cucurbitæ indito, ut duæ tertiæ plenæ ſint, & una tertia vacua, junge illi auri foliati, quantũ volueris, fortè drachmam unam, vitrum occlude, & expone hoc compoſitum per æſtatem Soli, per hyemen loco poſt fornacem calenti, per novem vel decem menſes. Poſt reclude ſive aperi vas, & abſtrahe ex eo partem unam liquoris, per deſtillationem: quo facto, reliquum ſubitò effunde, & obtura ocyùs vitrum, idque calidis cineribus impone, ut probè interiùs exſiccetur. Et videbis lanam, ſive vellus aureum ad latera vaſis reſolvi & fundum petere. Probè verò illud ab aëris injuriâ cuſtodiendum. Hujus vires prædicantur eſſe potentes, contra podagram, ſi ejus tria grana ſumantur, in deſtillato illo rore majali, vel in aquâ ivæ artheticæ: imò & cordiale præſtantiſſimum celebratur, ſi in aquâ cordiali propinetur.

E Rore verò majali etiam aliqui moliuntur aurum aliquod potabile; quod hoc modo fieri, in manuſcripto aliquo inveni: Accipiatur Roris majalis juſta portio, & in eo ſolvatur ſalis communis bona quantitas, & per quinque menſes hæc ſic conjuncta putreſcant, & invenietur deſuper natans oleum quod ſeparandum eſt & purificandum in balneo, ad ſummam claritatem. Huic laminatum aurum indatur, & ſolvetur hoc in viridem gratumque colorem; extrahatur dein Spiritu vini ſolutum, & tingetur ſpiritus colore ſanguineo.

Aliqui plane moliuntur opus aliquod univerſale, tam ad tingendum metalla, quàm ad humana corpora, ab omni ſqualore morborum præſervanda & curanda, non ſolùm, ex Rore vulgari: ſed & ex *Rore* illo magis digeſto, quem *Mannam* appellamus, utpote quæ ex puriſſimo & præpingui terræ vapore, qui non inquinatus eſt ullis putridis aut corruptis exhalationibus, generatur. Cujus aliquam veritatis ſpeciem præbere poſſet metallorum & mineralium reſolutio, quæ itidem ad extremum reſoluta & extracta tandem præbent ſuccum in centro dulcem, uti videre licet in ſaccha-

ro

ro Saturni, ſive *Gummi Elſaron, Sericonis* etiam dicto, & aliis adhuc quàm pluribus; ſcribitq; *Paracelſus* : Ein Manna iſt in Vitriolo: eine in Urticâ : eine in Magnete. Das Manna Vitrioli wird erhalten durch das plegma, ſo ſolches ſo lang abſtrahirt wird / biß es in die Honigſüſſe Fall/ die ſich auff braun ziehe. Doſis alle Tage einen Tropffen in aquâ Veronicæ. Manna Urticæ wird erlanget / wann Urtica alcoliſirt wird / darnach in ſeiner aquoſitât ſo lang rectificirt, durch ventrem eqvinum, biß die oleitât begegne / die von ſeinen fæcibus ſoll abgeſchieden werden. Darnach gebraucht alle Tag vier Tropffen/ wie obſtehet. Manna Magnetis iſt / daß Magnes in ein alcohol gebracht / und ſtratificirt werde/ mit limaturâ chalybis/ auff einander in gleichem Gewicht/ und luto ſanguinis verkleibet/ in einem Gefäß von Glaß geſotten in oleitât der Weidaſchen auff ſeinen menſem, darnach digerirt mit vino rectificato, biß der Wein roth iſt/ dann die Röte darvon abgeſchieden: läſſet kein Haupt-Glied faulen/ und wird ſolche manna gebraucht / wie deß Vitrioli.

Hinc Robertus de Fluctibus definivit Mannam, quòd ſit panis cæleſtis, cæli triticum, eſca ſpiritualis, cibus Angelorum, ac ipſum verbum ab ore Jehovæ prodiens, & à cælo ac nubibus, in modum pluviæ roſcidæ, aut ſimul cum rore cæleſti, aut ſuper rorem, in ſuperficie terræ, virtute divinâ deſcendens in formâ minutâ & rotundâ, ad pruinæ gibboſæ aut ſeminis coriandri ſimilitudinem, in duritiẽ ibi concreſcens, ut loco cibi vel nutrimenti, aut etiã medicamenti eſſet hominibus: addiditque: ſi quis cognoſceret Man de cælo, communiter cum rore & præcipuè majali, atq; etiam æſtivali decidens, ritè colligere, atque nucleum deponendo præparare, credo ego, ipſum rem auro & gemmis longè pretioſiorem comparaturum, balſamumq; vitæ præſtantiſſimum poſſeſſurum. Nam ita à viris, in myſterio divino peritiſſimis, ſum inſtructus. Hæc *Oxonienſis Fludd.* Siquidem ex Mannâ noverunt viri cordati ſal volatile & fixum extrahere, itemque viſcoſam quandam cùm Rore materiam creare, cui admiranda poſt digeſtionem & colorum apparitionem attribuunt, tùm in regno animali, tùm metallico effecta, de quibus longum adhuc poſſem pertexere ſermonem.

Verùm enim verò, cùm *pro Myſterio Reſurrectionis ſive Reſuſcitationis rerum* hic libellus inceptus & adornatus ſit; meritò Rorem majalem adhiberi demonſtrandum, & ſic libellum hunc finiendum exiſtimavi.

Heſperidum itaque poma meditor: poma aurea & argentea: poma & pyra nunquam viſa, audita nunquam: Roris filias ante margaritas ponendas, & vel ipſâ *Ægle Arethusâ* & *Heſperthusâ* pulchriores, quæ beatius videri, quàm deſcribi poſſunt. Dum enim animus mihi eſt calamo poſteritati tradere, quæ Ros mihi conſpicienda dedit; video haud digna tantis apparentijs mihi ſuppetere verba, ut proinde modò calamum abijciam, modò reaſſumam, & incertus, quò pedem dirigam, non inveniam. Dum itaque verba reperire mihi difficile eſt, neſcio, ſi inveniam, annon difficilius mihi ſit futurum, modum verborum tenere? Alea jacta eſt, tentabo veſtigia, & quò me Natura omniparens deduxerit, pro viribus, quas ipſa dederit, viſa adumbrabo.

Majus erat, ridebant omnia, feliciſſimusq; annus agebatur, cùm Naturæ ſpeculationibus intentus, & quàm omnia, antè velut mortua, vernali erumperent tempore in vitam novam ex terrâ contemplatus, poſteà verò ſomno correptus tali viſione illuminabar. Videbam accedere ad me hominem, mihi notiſſimum, & inter paucos amicum, neq; illum cæteroquin adeò alienum ab Hermeticæ Philoſophiæ amore, qui velut alter *Draco* Heſperidum in hortis, neſcio, quâ occultâ ratione, aurea obſervans mala; theſaurum tamen proditurus tandem videbatur. Præmiſsâ ille ſalutatione, in medium producebat vas ſatis magnum, Rore pleniſſimum, &, vide, ajebat, amice, quid facturus ſim! Non me terrebat *Draconis* nomen: neque alloquium id mihi videbatur grave; ſiquidem jam tùm cognoveram ex Sophorum adytis, Mercurium eorum *Draconis* nomen habere, neq; non raro Spiritum univerſi ſic ab ipſis appellari, dum *Pervigil ille Draco ſquamis crepitantibus horrens*
Sibilat, & toto pectore verrit humum.

Quin potiùs, *Heſperidum* in hortis me conſtitutum ratus, nudam mox naturam viſurum me facilè mihi promittebam; Cùm ille, ex-

tenſâ dexterâ baculoq; inſtructus, primùm ſcipione Rorem agitare, velut quidam virgulâ ſuâ divinatrice & ſerpentinâ Mercurius: dein etiam manibus miſcere nonnulla, unde mox flava quædam, ſed maximè levis, poroſa & ſpongioſa humus Rori innatans aſſurgebat, quæ tamen in ſanguineum cum Rore colorem, ſubitò, nõ ſine admiratione, convertebatur. His lætus, cùm alia adhuc expectarem, ille, dictâ repentè ſalute abire, &, jam perge amice! dicere tandem viſus eſt. Tum ego breviori, quàm optâram, ſomnio ſolutus, in varias diſtorquebam animum meum cogitationes, & jam meditabar conditionem Amici mihi perchariſſimi, jam Rorem, jam ejus converſionem, & ſexcenta alia; cùm tali viſione animoſior factus, poſtero mane *Naſonis* cæpi evolvere metamorphoſin, ubi, cùm fortè in *Æſonis* rejuveneſcentiam inciderem, à *Medeâ* feliciter inſtitutam; & exactum colligendi Rorem tempus perdidiciſſem, omninò ſtatui colligere Rorem; cujus, cùm bonam quantitatem per aliquot dies, ante ortum Solis, albis linteis per prata diductis collegiſſem, & per lintea candida primùm, dein chartas bibulas trajeciſſem, ecce! poſt aliquot dierum quietem, cum ſtupore & admiratione deprehendi, oculisq; vidi in aperto quodam & negligentius repoſito alembico, magnam illius levis, poroſæ, ſubflavæq; & ſpongioſæ terræ portionem, Rori innatantem, qualem per ſomnium videram. Intereà, per aliquot cucurbitas obſignatas reliquum Rorem diviſeram, ita tamen, ut dimidia ſolùm pars cujusq; plena eſſet, reliquâ medietate vaſis vacuâ.

Quid verò moliri porrò aut incipere deberem, ignorabam. Iam enim deſtillandum exiſtimabam, jam priùs putrificandum Rorem. Inter has tergiverſationes, cùm ob alia negotia Rorem negligerem, atque per anni fermè ſpacium illius cogitatio ne ſemel quidem meæ menti ſubiret, oportunè factum, ut, habito cum Viro Generoſo quodam diſcurſu, Ros in aream denuô prodire & in ſuperficie nigram cuticulam, interſperſis quibusdam, velut albicantium & in morem longiorum teneriorumque anguium contortorum filorum ſectionibus, oſtendere cæperit. Viſebantur tamen & guttulæ cryſtallinæ limpidiſſimæq; aquæ, nigræ cuticulæ, hinc

inde

inde, deſuper incumbere, quas magni fore pretij judicabat tùm *Generoſus ille Vir, et hoc ſeculo magnus Hermetici Studij Fautor.* Neq; malè.

Scitum eſt, quibus impuritatibus involutus ſit Mundi Spiritus, & quàm difficile ſit, puram ſeparare & habere aquam limpidam, dum ſublunaria omnia inquinata ſunt, donec habeatur lucida illa & centralis ſubſtantia, quæ verum eſt aurum Sophorum. Si enim individua quæque, quæ in ſingulis animantium, vegetantium ac mineralium generibus conſtituuntur, fructum habent aureum, miræ virtutis, qui verus lapis Philoſophorum, ſeu naturæ ipſius eſt. Siquidem omnes clamant, lapidem ſuum ubiq; reperiri, quia in centro & corde cujuscunque rei mixtæ lateat ignis & ſulphur Chymicum, quod ſit aureæ naturæ, teſte *Petro Iohanne Fabro, in Hercule Piochymico*; quis non eadem mala aurea eſſe credat in univerſali naturâ, cujus conditionis etiam ROS eſt, à quo individua aurum ſuum colligunt; & ſic ROREM quoque eſſe partem HORTI HESPERIDUM & ſatis magnam quidem, qui Spiritum in ſe contineat limpidum; ſed arctè à Draconibus, id eſt vinculis elementaribus alligatum & cuſtoditum? Et, ſi pyra pomaque, in arboribus è terra ſuccreſcentibus, non prius germinant & maturantur, quàm humor cæleſtis in terram decidens, & virtute Solis Aſtrorumq; imprægnatus, præviaq; putrefactione & digeſtione depuratus, leviſſimi vaporis modo, intret arbores, ibiq; limpidus denuò humor factus, tempore Veris, digeratur, quoad gradus ſuæ puritatis, in ligna, cortices, folia, flores, & fructus deniq;; quis non eâdem ratione, ex ipſius Roris limpidiſſimo & plus quàm cryſtallino centro, poſt decoctionem aut temporis maturitatem, ſibi cæleſtia quoque promittat dona, imò aurea pyra & poma?

Cæterùm, alter jam annus evolvebatur, & terra nigra, cum albiſſimis illis, gemmantibusq; guttis, in ſuperficie natans primùm, mediam tunc Roris regionem petebat, ſuperiori remanente perſpicuâ, ſubtili, & ſplendente, tanquam terra, poſt merſas, obliquoque ſinu depreſſas tenebras, ut in primâ creatione contigit, centrum ſuum, mediis in aquis, occupare voluiſſet. Neq; ſic perperàm. Uti enim Roris natura eſt, non ſtatim initiò deponere terrã ſuã ad

fundum; ſed potiùs eam à fundo elevare ad ſuperficiem: Ita jam fundus omninò quoq; purus & pellucidus, ut & ſuperficies clara micansque in medio habebant terram, non ſecus, ac cælum undiquaq; ſudum terram ex æquo ambit.

Intereà agitans in Rore ſe Spiritus in parietibus vitri, velut evolaturus, ſed à fugâ ob ſigillum vitri retractus, eâ parte, quâ vacuum extitit, notas quasdam ſive ſtygmata animaculorum quorundam nigricante colore impreſſerat, quæ adhuc indelebili charactere cernuntur; cùm idem Spiritus terram agitare & velut fermentare, imò dividere obſervatus eſt, partibus ejus lentè diductis & amplius ſpacium occupantibus.

Dum verò hæc ita fieri permitto, haud curioſior factus, in quiete enim ſinebam vitrum, neque illud caloribus aut frigoribus exponebam, niſi, quòd hyemis durioris tempore calefacto inferrem hypocauſto pannis involutum, & in ligneo vaſe repoſitum cuſtodirem; accidit tertio anno, ut Rorem iterum inter adulti Veris jucunditatem contemplaturus, viderem terram illam inſtar crucis digeſtam & tanquam ſub cruce ad dextram & ſiniſtram ſtantes, prout crux Sacroſancti Crucifixi & Servatoris noſtri à pictoribus offerri nobis ſolet. Apparebat verò crux illa tota aurea, argento interſperſa, pendebantq; hinc inde mala rotunda, aurea alia, alia argentea, tantæ rotunditatis tantiq; ſplendoris, ut aſſerere non dubitem, me talia nunquam oculis uſurpâſſe aut auribus: quin & teretia nigra mala inibi aliquot conſpiciebantur diverſis diſtributa locis, & tam affabrè foraminibus quibusdam pervia, ut nullus artifex, quantumvis peritiſſimus, ſimilia effingere potuiſſet; egoq; hunc ipſum in diem adhuc neſciam tantæ nigredinis & perforationis cauſas. Habebant enim foramina certas ſuas diſtantias & dimenſiones, in numero & menſurâ, ut hîc matheſis ſilere potuiſſet.

His ſic ad menſes aliquot conſpectis & durantibus, alia ſucceſſit cruci modò deſcriptæ figura; Arbos, inquam, viſu jucundiſſima, in quam prior ſpecies migraverat, cum variis ramificationibus, pulcherrimis ſanè. Pendebant enim è ramis pyra & poma argentea

tea & aurea, ipſaque non minùs arbor auro argentoque coruſcabat, cum ramis ſuis. Animadvertebantur v. tum quoq; nonnulli globuli nigerrimi intermixti fructibus, accuratiſſimæ rotunditatis, & teretibus foraminibus certis locis velut ex lege pervij. Tandem illius arboris, paradiſiacæ fere dixiſſem ſpecies, neque enim in hortis Heſperidum tam præſtantem unquam conſpectam puto) cùm ad quartam anni partem duràſſet, paulatim complicari, fundum petere, ſubſidere, & inſtar ceſpitis viridis molliſſimi & impalpalis, cui cinnabaris interſperſa eſſet, comparere, qui longiſſimo tempore ſic duravit, niſi, quòd ſubinde fructus pyri aureus unus & alter, cum parvo pediculo ſive ramuſculo, cui inhærebat, è fundo emergeret: interdum anatis aut anſeris diverſicoloris idea ſe conſpiciendam præberet: nonnunquam parva lamina velut argenti auro intermixti cerneretur, & ſimulacra notarentur alia.

Nondum finis. Cùm enim, quid tandem ex inſolitis iſtis in Rore apparentiis futurum eſſet, anxiè diſquirerem, & nunc Philoſophos Hermeticæ Philoſophiæ, quos non raró in ædibus meis habui: nunc Viros illuſtriſſimos, generoſos, doctos, peritosq; alios in conſilium adhiberem, & nonnulli conſulerent, ut terram in fundo ſubſidentem eximerem, vitro parvo includerem, paucoq; Rore ad terræ proportionem coquerem ad exſiccationem, & illam terræ exſiccatæ irrigationem multoties continuarem, ad opus aliquod fixum & perfectum inde procurandum: nonnulli, ut cum auro miſcerem Rorem ad annos tot coctum: alij, ut Rorem jam ſummè depuratum in medicinam adhiberem; commodè evenit, ut pauló pòſt, id eſt, Anno 1670. inſtitueretur in Academiâ Giſſenâ duplex Promotio Doctoralis, aliquot nempe in Jure & Medicinâ Candidatorum. Cùmq; ad Promotionem Medicam exantlandam, Ego quidem tum legitimè deſignarer Promotor, clementiſſimè ſic diſponente *Sereniſſimo Principe ac Dno: Dno Ludovico VI. H. L. Principe Hersfeldiæ &c. Principe ac Dno. meo clementiſſimo*, jamq; curioſus diſpicerem, quam præ cæteris, tanto actui materiẽ idoneam publicè ventilandam ſeligerem; ecce! impatiens moræ, jubeo mihi adferri vitrum, quinque annorum Rore impræg-

natum, idque, in præſentiâ *Viri plurimùm Reverendi, Dn. M. Georgij Eberhardi Happelij, Antiſtitis & Paſtoris Eccleſiæ Alsfeldianæ, & illius Superindenturæ Inſpectoris vigilantisſimi: Viri, inquã, de Patriâ noſtrâ & Eccleſiâ Chriſti meritisſimi, & Conſobrini mei amantisſimi,* (qui tum *Darmſtadij* opportunè mihi aderat,) Solis exponi radijs, nunquam enim anteà vel tantillum cæleſtis caloris per externi Solis aſpectum ſenſerat; cùm, poſt dimidiæ horulæ ſpacium, flava tandẽ facta ſubſidentia, quæ nebulæ inſtar levis erat, undiq; protrudere parvulos truncos & ſaliceta, edere ramos, hi creſcere, & vineam aliquam quàm pluribus ſudibus minutis repræſentare, hinc inde verò rotundiſſimis clariſſimisq; margaritis, candore tamen ſuo clariſſimum Rorem, ſummè tranſcendentibus, velut uvis exornatam oſtendere: imò continuante Sole radios ſuos, ad ſuperficiem usq; aquarum ſurgere, & tùm quoq; amæniſſimum arboretum, ſive viridarium, arboribus auro argentoque condecoratum, oſtendere, quarum ramis variæ animalium ſpecies hinc inde inſidere videbantur. Cùm verò maſſa in fundo, radijs ſolaribus ardentiùs vitrum ferientibus, paululùm elevari quoque cæpiſſet, apparuêre denuò ſub eâ tornati illi nigri & perforati globuli, quorum ratio mihi profectò imperſcrutabilis, dum in hunc uſque diem adhuc notantur. Intereà tot mirandarum rerum intuitus largam nobis de Reſurrectione rerum ſuppeditabat diſcurrendi materiem, donec Sole ad occaſum vergente, paulatim quoq; diſparere & ad vitri fundũ denuò ſe componere tot viſa cæpêre, totiesq; in hunc diem reſurgere, quoties Solis excitatur radijs: illè v. pio ore exclamare: Admiranda & imperſcrutabilia ſunt opera Domini, & quis Naturæ Myſteria omnia aſſecutus eſt? Stupidum & ſine ſenſu eum eſſe oportet, qui his conſpectis mortuorum reſurrectionem non credat! Ego verò: Veniet ergò Ver tandem illud novum: apparebit certò Roridus ille & Triumphalis IESU Chriſti Arcus: Variegatus ille inſtar Iridis Roridæ Thronus Iudicis

Su-

ſupremi: Erit aliquando tempus reſtitutionis omniũ, cùm evigilabunt mortui, qui ſub terrâ dormiunt: Ros enim tuus ô Domine, eſt ſicut Ros viridantis campi.

Ex hactenus viſis, dictis, factis, quilibet, opinor, rationem inveniet, cur, ad procurandum reſuſcitationem plantarum, *Curioſi* Rorem adhibeant, dum univerſalis Mercurij domicilium eſt, quem abundantiſſimè in ſe continet, & clavem habet Sale volatili turgidus, ad carceres infernales, & dum in deſcenſu eſt, tempore Veris, poteſtatem, excitandi Salia fixa, eaq; cum rerum jam mortuarum Ideis reſuſcitandi; ut mundus in priſtinam faciem reſurgat, naturaque inſingulos annos renovetur.

Res nempe ita ſeſe habet cum Rore, reſpectu regni vegetabilis, prout ſubſtantia mercurialis rorida reſpectu metallorum. Quemadmodùm n. à Philoſophis omnia metalla vulgaria mortua dicuntur: ea verò, quæ noſtra appellant, ſpiritum & animam habentia, i. e. in quæ nova vita eſt introducta, ſeu per vitæ ligatæ in metallis ſolutionem, ſeu per vitæ novæ introductionem, ſeu utroq; modo: Ita, cùm Saturnus falce ſuâ omnia tempore hyemis demeſſuit, & alligata in radicibus plantarum vita Salium mortua jacet; per vitam tamen univerſalem de cælo deſcendentem Veris tempore illa repullulant omnia, ut ſic per volatile fixum reſuſcitetur in vitam novam. Omninò enim credendum eſt, aurum & argentum, cæteraq; metalla vulgaria Mercurio, Sulphure & Sale, metallicis mineralibus turgere & abundare. Si n. hæc in metallis non eſſent, fortè nuſpiam eſſent. At, cùm in his ad fixi naturam Sal ille devenerit, & propter arctam ſui compoſitionem fuſionem & colliquationem principia metallorum in æternum clauſa haberent ſua lumina noctem, utpote ſeparatâ ab ipſis volatili earum ſubſtantiâ, niſi aliâ volatili naturâ ſe reſuſcitatum iri ſpem haberent; omninò in Rore minerali ſitum eſſe judicandum, quo triſtis Salium nox fugari, hyemalis metallorum glacies diſſolvi, & velut vernali Rore fixitas eorum reſuſcitari & renovari queat in diem æternitatis, lumen indefectibile, Ver perpetuum & plusquam perfectam perfectionem.

Hæc

Hæc de Rore minerali dicta ſufficiant Philoſophiæ Hermeticæ alumno. Qui verò ex Rore vulgari arcana, præter ſuprà recenſita, quærit, ille conſulat *Iohannis Petri Fabri Caſtrinovidarenſis Univerſalis ſapientiæ librum quartum*, & intelliget non ſolùm, quo pacto Lapis Phyſicus ex Rore Vernali præparari debeat, *Arcano* 104; ſed &, quo pacto cum Rore & Nitro haberi queat ſubſtantia volatilis, & Mercurius mundi univerſalis, clarus, mundus & ſubtiliſſimus, cujus ope & beneficio fieri poſſint mira, in arte Chymica, elixiria nempe ad album & rubeum: item, quomodo Spiritus Roris Maij præparandus ſit, ad tot miracula patranda. *Arcano* 91. 92. *&* 93. denique, quomodo ex Antimonio & metallis ſequioribus eliciendi ſint Mercurij, qui verò labores doctam & ſedulam manum requirunt. Neque enim arcana Chymica ſtatim falſitatis accuſanda, ſi primâ vice non parent artifici. Vendit Deus ſua bona laboribus: dies diem docet: *Moſes* quidem uno ictu prolicere debebat aquam è petrâ: At verò, in naturalibus operationibus ita ſe res non habet. E petrâ chymicâ centies centies mille, ſecundùm Philaretum, percuſſionibus aqua elicitur. Unde ſcripſit nonnemo:

Sic ſic fac, ſicq;, iterum ſic, ſic quoq;, ſi ſic
Feceris in finem, tunc erit ipſe lapis.

Terendum eſt, coquendum eſt, nec una tibi dabit dies, quod quæris initio. In arte Sophicâ requirit Coſmopolita primò coctionem ſeptem menſium: dein decem: aliâ vice dicit: da temporibus ad cuſtodiendum. Philaleta requirit centum, & quinquaginta dies, pro auro Philoſophorum parando. Et quot dies, obſecro amice, quot menſes exiſtimas requiri pro Mercurij Sophici præparatione & conſtructione? In Philoſophicâ enim Mercurij ſublimatione, ſive præparatione primâ, Herculeo, *ut loquitur Arcanũ Hermeticæ Philoſophiæ* § 24. labor operanti incumbit; unde ſubjungit: Nam ſine Alcide expeditionẽ Colchicam fruſtrà tentâſſet Jaſon.

Alter in auratam noto de vertice pellem,
Principium velut oſtendit, quod ſumere poſsis,
Alter onus quantum ſubeas.

Limen enim à cornupetis belluis cuſtoditur, quæ temerè accedentes

dentes non ſine diſpendio arcent: quin & Aurum Philoſophorum, illorumq; Mercurius non reperiuntur in terrâ, à naturâ producta; ſed per naturam, artificis promoventis ope, generantur, uti in priori tractatu quoq; illud inculcatum eſt, diverſis in locis. Philoſophi enim, cùm de Argento vivo & Auro loquuntur, volunt dicta ſua intelligi, de Argento vivo Philoſophorum, & de Auro Philoſophorum: Quia Aurum Philoſophorum, etſi ex vulgari quoque præparatur: tamē illud, ut & Sulphur Philoſophorum extrahuntur quoq; de Argento vivo Philoſophorum, uti apertè loquitur, in mineralis lapidis deſcriptione *Ioh. Baptiſta Groſſchedelius ab Aichâ, Eques Romanus.* Quod itaque in Sophorum opere requiritur à Philoſophis, id omninò in aliis laboribus chymicis quoq; neceſſarium eſſe ſcito. Patientia opus eſt. Unde illud: nec Te tædeat: quod ſeriò inculcat *Novi Luminis Chymici Autor*, donec compleatur opus, & natura ad Iliadum ſive terminum ultimum perveniat, tandemq; omnis à Te fugiat obſcuritas, ſecundùm *Hermeticæ tabulæ effatum*; & quod jam impoſſibile eſſe cenſes, deinceps ipſis queas uſurpare oculis & tangere manibus, atq; fateri deniq;: Hoc equidem non putârā. Requiritur, nempe, ſedula per magnam vitæ partem rerum naturalium indagatio. Hinc ſcripſit idem in ænigmate: Evenit aliquando, ut per tot annos vitæ meæ navigarem à polo arctico ad antarcticum: Navigare verò à polo arctico, ad polum antarcticum, eſt univerſum mundum habere cognitum: tot luſtrare maria: tot impingere in littora: tot habere ſibi obvia monſtra marina & belluas: videre in littoribus Meloſynas hinc inde cum Nymphis natantes: noviſſe humidum & ſiccum, calidum & frigidum: & unum in alterius naturam deducere poſſe. Ubi profectò labores improbi ſuſtinendi: nam & ipſe *Coſmopolita*, à præcedentibus jam tùm laboribus feſſus & variis cogitationibus ſatis gravatus fuit, antequàm Neptunum Senem cum tridente é mari noſtro conſpexit. Inprimis verò Gratia DEI & manuductio fidi præceptoris, ſecundùm illud: & Dei nutu ſingulari eijcerer ad littus magni cujusdam maris. Fatentur enim omnes, ſingulare donum eſſe,

Supremi Numinis, aſſequi poſſe, quod tot homines fruſtrà quæ-
runt: ſecundùm illud

Lapis noſter fit ex tribus,
Nulli datur, niſi quibus
Fit Spiramine DEi

Ut jam ſileam tot metallorum mineraliumq; cognitionem, tot autorum lectionem, totq; ænigmatum reſolutionem, (ſiquidem operatio ſecundùm literam ſæpe eſt diſſipatio impenſarum & temporis perditio: nec non materiæ certam ſcientiam, & diſpoſitionem vaſis Sophici & ſigilli: ignis & operationis: ſignorum & termini ſive complementi indubitatam notitiam; & quantos ſudores excitent vocabula diſtillationum, digeſtionum, putrefactionum, ſeparationum, coctionum, ſublimationum, præcipitationum, homogeneorum congregationum, & heterogeneorum ſeparationum, ſpirituum extractionum, congelationum, conjunctionum, calcinationum, colorationum, fixationum & quæ ſexcenta occurrunt alia.) Hæc enim, etſi ſcienti artifici facilia ſunt; inquirenti tamen, atque in viâ adhuc peregrinanti dfficilima ſanè occurrunt. Ne itaq; & Tu, quisquis es, amice, faſtidioſo tædio perſequere, quæ tibi non videntur eſſe, dum reverà ſunt: & ſedulò reputa illud Stagiritæ: quædam dicuntur & ſunt: quædam neque dicuntur neque ſunt: quædam non ſunt & dicuntur: quædam tamen ſunt & non dicuntur. Si vitam quæris metallorum reſuſcitare, vitâ tibi opus eſt metallicâ. Si enim intendis plantam producere, & multiplicare, ſemine plantæ tibi opus eſt. Cùm ergo Ros ſit vita vegetabilium, & per Rorem ligata earum vita in apricum prodeat tempore Veris; Tu, quisquis in metallico regno emendationem quæris, vitam quoque & Rorem metallicum perdiſce, & ignem eorum, cujus virtute digeſtivâ aqua eorum, quæ ſemen eſt, digeritur in id, quod quæris, de quo, uti ſolicitè legas & relegas Novi Luminis Chymici tractatum ſeptimum, omninò ſuadeo.

Excentricus, ut video factus, redeo jam, unde digreſſus ſum. Lubet itaque hîc quoque memorare, qualem nuper in deſtillatione aliquâ diverſorum mineralium obſervaverim apparitionem.

Accipi-

Accipiebam Sulphuris ſelectiſſimi, uncias quinque: Antimonij, uncias quatuor: Salis armoniaci, uncias ſex: Tartari uncias quatuor: Calcis vivæ, uncias viginti, hæcq; contrita & mixta retortæ committebam ſive inſerebam, appoſito magno vaſe recipiente, pro obtinendo oleo Sulphuris benedicto, rubicundo, ad elixir aliquod, cujus præparationem hauſeram ex manuſcripto magni cujusdam Adepti, præparandum. Et ecce! cùm per aliquot horas, lentè primùm, dein fortiùs ignem accenderem, tanta pulchritudine & colorum varietate ſalia & flores in præjacens vas ſublimabantur, ut animus eorum aſpectu vix ſatiari poſſet. Conſpiciebantur diverſis in locis vaſis recipientis ſatis magni, tanquam in concavitate cæli, ſex grandiores ſtellæ, velut ſex Planetarum, & præter has adhuc ſeptima in medio illarum cæteris major inſtar Solis comparebat, & quidem in vaſis ſummitate, velut Rex in ſolio ſuo, cæteris ordine ad latera ſuccedentibus. In reliquis verò partibus parvæ hinc inde ſtellæ, velut octavæ Sphæræ cernebantur. Neque ſatis erat, videre me cælum cum ſtellis & planetis: ſiquidem & mundum elementarem ſive ſublunarem notare quis potuiſſet. Diverſi hinc inde colores alludebant ad elementa, & ſulphureus velutq; Pſittaci pennarum igneus, à floribus nempe Sulphuris productus, ignem, viridis alibi aërem, albus porrò, & ipſa Salia deniq; aquam & terram monſtrabant, tantusq; in ſalibus luſus naturæ apparebat, ut campum pulcherrimis arboribus conſitum & variæ quidem ſortis, imò & majoribus minoribusq; virgultis ornatum, totam denique ſylvam, cum variorum animalium ſpeciebus, dignoſcere potuerim. An ergò, ajebam, cælum in terra eſt? An terra cælo contigua? an omnia in omnibus? Nempe, non deceptus eſt *Hermes*, dum ſcripſit: Quod eſt ſuperius, eſſe ſicut id, quod eſt inferius: & vice versâ. Verum enim hoc & ſine mendacio veriſſimum eſſe deprehendo, & vel univerſum in hoc vitro mundum adſpicio.

Luſit *Claudianus* pulcherrimo elegidio, in ſphæram Archimedis, quâ motus aſtrorum omnium artificioſiſſimè oſtendit, opus tam affabrè diſpoſitum, ut nullus error in eo animadverti potuerit. Si parva licet componere magnis, liceat mihi de novo hoc invento

 chymico,

chymico, ſed abſq; jactantiâ, in humilitate & veneratione coram Omnipotente Univerſi hujus Creatore, ita modulari:

Tackius in parvo cùm cerneret æthera vitro;
Et quæ terra ſuo protulit alma ſinu,
Quò tua, MAGNE DEUS! *progreſſa potentia! dixit:*
Iam tuus in fragili pingitur orbe labor.
Omnia Tu DEUS *es:* TEq; *omnia in omnibus eſſe,*
Hoc mihi præclarum jam quoq; monſtrat opus.
Diſpereant flammis audacibus omnia mundi
Sidera, terra ſuum ſuſtineatq; rogum:
Attamen in faciem meliorem cuncta reſurgent:
Æmula Naturæ hoc namq; Chymia dedit.

Haud ampliùs itaq; miror, ſcribere nonnullos Philoſophos: miranda ſucceſſivè in lapidis ſui compoſitione obſervari, & quidem, ſecundùm *Drebbelium lib. de Elementis*, vitam mortem & reſurrectionem rerum, aliaque plura, qualia deſcripſit *in Arcâ Naturæ Apertâ* parvus Agricola, der kleine Baur / & Dn. Riſtius in der Mertzens Unterredung von der aller edelſten Thorheit der gantzē Welt/ p.243.244 & ſeqq. imò & per diſpoſitionem olei ſui incombuſtibilis, ſex dierum opera, ordine, & prout in primâ Creatione facta ſunt, conſpici poſſe. Fortè & horum intuitu, ſapientiſſimus mortalium, divinâ inſtructus eloquentâ & ſapientiâ, in hæc erupit verba Sap.7. Mihi enim dedit Deus dicere ex ſententiâ, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam & ipſe Sapientiæ Dux eſt, & Sapientum emendator: In manu enim illius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientiæ diſciplina. Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem, & medietatem temporum, Solſtiorum permutationes, & varietates tempeſtatum, anni circuitus & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, ſpirituum vires, & cogitationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum: deniq;, quæcunq; ſunt occulta & manifeſta novi: omnium enim artifex docuit me Sapientia. Sed

præſtat hîc reprimere calamum, dum magna & inaudita tandem deteget Chymia, quæ adhuc ſuppreſſa & velut in iliado dormientia, ſi Deus voluerit, evigilabunt, in magno hujus mundi theatro comparitura & ſuas quoque ſcenas actura. Haud itaq; abſurdè procul dubio quoque ſcripſit *Cabalæ Chymicæ Autor:* Ex qualibet gemmâ, metallo & minerali ſal præparari poſſe : ex ſale verò hoc herbam, arboremve, ſecundùm ſpeciem tamen ſuam : & ex herbâ animal ſenſitivum. Item, ex animali quovis vegetabile, & ex vegetabili Sal, Sulphur, Vitriolum &c. & ſic porrò metalla & gemmas, ubi addit : probam, ſive experimentum vidiſti, quòd Vinum, utpote vegetabile, ſal dederit, quod jam inter mineralia numeratur, & hoc Sal Saturnum : Si accuratiùs rem perſecutus fuiſſes, ex Saturno promovere laborem, & Solem, Lunam, Martem, Jovem, Mercurium, Venerem, Saturnum &c. & denique omnis generis gemmas efficere potuiſſes. Sed hæc ad transmutationes dum ſpectant, lubens prætereo, niſi quòd eatenus eorum meminiſſe non pigeat, quòd ab unâ in aliam naturam reſurgant, & priori veſte depoſitâ in aliâ ſuam abſolvant ſcenam. Videntur propemodùm omnia eſſe in omnibus, & vel granum tritici univerſum in ſe complecti mundum. Ludit natura variè in antris terræ, & quæ ſupra terram ſunt, ea non rarò ſub terra quoq; reperimus, tam affabrè à naturâ inſculpta lapidibus, rebusq; aliis, ut jam non deſiderentur in eâ hominum brutorumq; figuræ: non montium, caſtellorum, urbium domuumq; picturæ: non icones plantarum & arborum : non præliorum tumultuumq; & ruinarum variarum repræſentationes: non rudimenta linguarum & artium; nempe, ut, quæ mortua fortè putantur, alibi vivere incipiant, neq; ideæ rerum pereant, ſed æterno ſtabilimento ſuffulciantur ab eo, qui eſt omnia in omnibus. Ars v in rerum mutationib9 & reſuſcitationibus digeſtione longâ & variâ diuturnâq; alteratione ſæpenumerò opus habet : in nonnullis ob propinquitatem haud multo indiget labore. Quibus ſanè obſervatis, non difficile eſt conciliare Philoſophos, & ſi quæ in ſcriptis eorum videntur eſſe contradictoria, inprimis, quando de diverſis ſermo eſt ſubjectis, ad Hermeticæ Philoſo-

loſophiæ opus requiſitis, vino, tartaro, nitro, pane, auro, argento, mercurio, antimonio, ſanguine humano, & ſexcentis aliis, quæ omnia in centro ſuo veritatem occultatam poſſident; ſed quædam longo labore; & multis opus habent alterationibus, donec excludatur Phœnix & generetur Salamandra: quædam verò brevi viâ & methodo reſurgere faciunt aurum & argentum, quæ mortua dicuntur, prout ea ſub manibus noſtris tractamus, donec in novam reſurgant vitam, aliis etiam ſequioribus metallis dignitatem largitura. Injuriam itaque faciunt *Lullio*, qui maledictis ipſum perſequuntur, quòd de Vino tam varia ſcripſerit, atque illud præ cæteris commendârit ad ſui lapidis confectionem. Manet ſua vino dignitas, & Lunariæ nomen, ſecundùm *Lullium*: manet ſuus tartaro honos, & clavis prædicatum, ſecundùm *Dornæum*: manet ſuum nitro decus & martis inſigne, dum ſine nitro nihil eſt, & ne vita quidem, & per hoc *Gariſandus* opus ſuum incepit & feliciter ad finem proſecutus eſt: nec non pani ſecundùm *Aquinatem*: ſanguini ſecundùm *Riplæum*, & ſecundùm alios Cinnabari ſua ſtat veneratio; At decedunt quoque Auro, Argento, Mercurio, Vitriolo, Antimonio hæc & alia. Variæ patent viæ Hieroſolymam profecturo, aliæ longiores, aliæ propinquiores. Unum verò eſt neceſſarium: Si cupis metallum ulteriùs, quàm natura fecit, in virtute promovere, naturam oportet accipere metallicam, & hoc in mare & fæminâ, aliâs nil efficies. Si enim intendis ex herbis creare metallum, laborabis in vanum, niſi ad naturam eas metallicam prius deduxeris. Sunt ab uno per diſpoſitionem unius rei omnia, quæ dum in uno conveniunt, per diverſam tamen adaptationem innumera facta ſunt, ad unum reditura, cùm fuerit illius voluntas, à quo, per quem, in quo & ad quem ſunt omnia: in quo lux, vita, origo, quies, pauſa, perfectio & centrum rerum omnium. Dum ergò tanta fiunt in Naturâ per Artis diſpoſitionem miracula; quis, niſi atheos de noſtrorum corporum clarificatione & reſurrectione dubitare vellet, inprimis, dum Chriſtus vita ipſa pro nobis mori voluit, ut nos per mortis ipſius adaptationem revivificati, in ipſo & per ipſum

&cum

& cum ipſo vivamus in æternum. Vivent itaque, ô Domine! mortui tui: interfecti tui reſurgent. Expergiſcimini et laudate, qui habitatis in pulvere: nam Ros lucis, Ros Tuus:

Tibi verò, ô DOMINE SANCTE, OMNIPOTENS ET MISERICORS DEUS, ET UNIVERSORUM SUPREME REX! IN QUO SUNT, VIVUNT ET MOVENTUR OMNIA, SUMMA DEBETUR GLORIA, LAUS ET GRATIARUM ACTIO, QVAM CUM NEMO SOLVERE SUFFICIENTER QUEAT, (INEFFABILIS ENIM, IMMENSUS ET ÆTERNUS ES, FONS, VITA, ACTUS, SAPIENTIA, LUX, VERITAS SUMMA:) NOBIS verò VERBA NON SUPPETANT; IN SILENTIO TANTISPER LAUDES CANAMUS, CORDE MUNDO ET FERVIDO, Secundum illud, IN SILENTIO ET SPE FORTITUDO NOSTRA: QUO USQUE AD VER PERPETUM DELATI TUQUE NATURAM RENOVABIS ISTAM, REDDITO INTERFECTIS TUIS SPIRITU TUO, DE FACIE AD FACIEM VIDENTES TE, SICUT ES, SOLVAMUS LINGUAM NOSTRAM INDEBITAS ET PERPETUAS LAUDES TUAS. QUI ENIM HABITANT IN DOMO TUA, IN SECULA SECULORUM LAUDANT TE.

INTEREA NOSTRI MISERERE JESU.

FINIS.

INDEX
Ad Phaſidem tertium, ſive Tractatum de Myſterio Reſurrectionis Rerum.

A.

ACetum ſquilliticum ſquillas repræſentat. 56.
Actiones non pendent immediatè ab anima. 11. & ſeqq.
Aer requiritur ad commercium animæ & corporis. 14.
Aer totus ſalſus eſt. 32.
Aëris defectus agonizantes efficit, ejuſque reſtitutio vitam largitur. ibid.
Æſculapis nonnullis defunctis vitam reſtituiſſe creditus eſt. 38.
Albadaram, os fabuloſum, Rabbinis Lus dictum. 26.
Anguillæ quomodo reſuſcitentur. 40.
Anguillæ quomodo beneficio roris generentur. 61.
Anima fons & origo actionum eſt. 13. obit tamen functiones ſuas per Spiritus. ibid.
Animæ immortales ſunt. 41. illarum omnia plena. ibid.
Animantium reſurrectio. 37.
Apoplectici ante 48. horam non ſepeliendi. 36.
Arbor ex cineribus ligni combuſti quomodo reſuſcitetur. 49.
Arbor ſingularis in India, ab omni humido abhorrens. 51.
Arcana Medica quomodo detegi poſſint. 53.
Argenti vivi & Auri nomine quid intelligant Philoſophi. 73.
Atomorum confluxus non præſtat actiones rerum ſed Spiritus. 11. & ſeqq.
Aurum potabile è rore Majali. 63.
Aurum ſophorum quid. 67.
Autor Tractatus. Tumuli Paupertatis Incognitus allegatur. 48.

C.

Calidum innatum confunditur. 20.
Cancri fluviatiles quomodo ex proprio cinere reſuſcitentur. 39.
Chymici labores requirunt tempus. 72. & patientiam. 73. eoſdem gratia Dei & manuductio fidi Præceptoris ſecundat. ibid.
Cineres ſervant ſpiritum inſitum, qui novæ reſurrectionis ſpes eſt. 21.
Cineres mortuorum ab Antiquis ſanctè obſervati. 25.
Creaturarum ſuſtentator Deus. 30.
Cœlum cum ſtellis & elementis in deſtillatione quadam repræſentatum. 75.

D.

Deus creaturarum ſuſtentator. 30.
Deſtillatio olei Sulphuris Benedicti mira produxit. 75.

Drebbe-

Drebbelius Jacobum Angliæ Regem convivio ſubmarino excepit, aë rem deficientem ſingulari eſſentiâ reſtituens. 32.

E.

Equæ Hiſpalenſes abſque coitu concipiunt. 50.

Ezechielis de oſſium revivificatione viſio & prophetia. 4.

F.

Fixum & volatile ſal omnibus ineſt. 22.

Fixum ſal eſt illud rerum indeſtructibile & æternum. 26. & ſeqq.

G.

Generationum inſolitarum rationes. 55. & ſeqq.

H.

Harmonia hominis & univerſi. 14.

Herbas & animalia in phialis oſtendendi modus. 52.

Herbula è cranio apis orta. 54.

Hominis reſurrectio ut fiat. 25.

Hominis putrefactionẽ licet vermes ſequantur, hi tamen poſt ſuam putrefactionem relinquunt ſal fixum. 28.

Homo ſal eſt & à ſale nutritur. 29.

Homines demortui licitâ necromantiâ repræſentari poſſunt. 53.

Hydropis remedium. 51.

Hyeme omnia mortua. 71.

Hyſtericæ ante 48. horam non ſepeliendæ. 36.

I.

Influens & inſitus Spiritus. 19. & ſeqq.

Inſufflatione famulus quidam Dominũ ſuum ad vitam revocavit. 34.

L.

Laboris ſophici difficultas. 73. ejus felix ſucceſſus à Numinis directione pendet. 74.

Lapis Philoſophorum ubique reperitur. 67.

Lokhmanni hiſtoria poſt mortem reviviſcentis. 37.

Lullius de vino ſcribens inique culpatur. 78.

Lunæ vitrificatæ reſuſcitatio. 57. mercuriſatio. ibid.

Lus, os fabuloſum Rabbinorum. 25.

Lytherlandi, Nobilis Angli, hiſtoria, qui quaſi mortuus poſt. 48. horas revixit. 36.

M.

Majus menſis unde dicatur, 1. in eo omnia revivificantur. 2.

Maji & veris deliciæ. ibid.

Manna quid, & quæ ejus efficacia. 63. & ſeqq.

Manna vitrioli, urticæ & magnetis. 64.

Margaritarum origo. 91. diverſitatis ratio. ibid.

Mercurius quomodo revivificetur. 58.

Metallorum reſuſcitatio. 56.

Metalla mercurio, ſale & ſulphure abundant. 71. volatili natura reſuſcitanda. ibid.

Metallorum ramificatio. 60.

Metempſychoſis Pythagoræ. 41.

Microcoſmi cum macrocoſmo comparatio. 14.

Mors duplex, naturalis & artificialis. 21.

Mundus totus ſenſus, ſtatua Dei, &c. 19.

Mundi renovatio quomodo futura. 24.

Mundus

Mundus univerſus in diverſorum mineralium deſtillatione repræſentatus. 74. & ſeqq.
Mures, ſi ſalem lambant, impræguantur ſine coitu. 50.
Muſcæ mortuæ calore reviviſcunt. 39.

N.

Naturæ luſus in antris terræ. 77.
Nuyſement quid ſentiat de Spiritu. 11.

O.

Omnia in omnibus. 77.
Oſſium revivificatio per Ezechielis prophetiam. 4.

P.

Phænicis hieroglyphicum. 24.
Phantaſmata unde. 53.
Philoſophi ſal volatile fixatum quæſiverunt. 29.
Philoſophorum metalla quomodo viva. 71.
Philoſophorum Mercurius & aurum non reperiuntur in terra. 73.
Philoſophi cur diverſis nominibus ſubjectum expreſſerint. 78.
Piſciculi in digito hominis geniti. 54. & 55.
Plantæ quomodo reſuſcitentur. 45. & 46.
Plantarum reſurrectio ex ſeminibus, quo pacto per artem procurari poſſit. 46. & 48.
Plantarum ſalia terræ commiſſa herbas producunt. 52.
Plantaginis reſuſcitatæ exemplum. 42.
Prunulus in thorace hominis natus. 54.

R.

Reſurrectio duplex eſt. 21. & 34.
Reſurrectio fit per purificationem & unionem ſalis fixi & volatilis. 23.
Reſurrectionis myſterium poſſite confirmari ex eo, quod in cineribus immortale quid remaneat, &c. 37.
Reſurrectionis modi varii. à pag. 43. ad 48.
Reſurrectio corporum noſtrorum certiſſima eſt. 78.
Reſuſcitans quidam liquor Medici cujuſdam Arabis. 37.
ad Reſuſcitationem inſtituendam requiſitum generale. 49.
Roſolutio corporum in quas partes abeat. 23.
Roris virtutes. 60. & 74.
Roris mira metamorphoſis. 66. & ſeqq.
Ros mineralis. 71.
Ros per aliquot annos aſſervatus quid oſtenderit. 66. & ſeqq. in ſe habet clavem ad arcana multa. 71. cur ad plantarum reſuſcitationem adhibeatur. ibid.
Roſa ex cineribus reſuſcitata. 43.
Roſas reſuſcitandi modus. 43. & 44.

S.

Sal univerſi per aërem attractum nutrit ſpeciem humanam abſque ulteriori depuratione. 16.
Sal in cibis multâ depuratione opus habens, quot mutationes ſuſcipiat. 17.
Salis fixi & volatilis natura. 22.
Sal fixum & volatile omnibus ineſt. 23.
Sal volatile fixo poſt depurationem junctum

junctum reſtaurationem efficit nobiliorem. 23.
Sal incorruptibile humano corpori ineſt. 26.
Sal humanum effigies hominum cruci affixorum repræſentans. 27.
Sal conſervat rerum ideas. ibid.
Sal volatile fixatum Philoſophi, Prophetæ & alii quæſiverunt. 29.
Sal volatile à Lullio vocatur verbum Dei coagulatum. 31.
Sal volatile eſt mercurius Philoſophorum. ibid.
Sal omnibus pretioſis præferendum. 50.
Sal imprægnat mures & equas. ibid.
Salia plantarum terræ commiſſa herbas producunt. 52.
Sereniſſimi noſtri Principis Dn. Ludovici VI. H. L. laudes. 3.
Serpens putrefactus plures produxit ſerpentes, & hi denuò grandiorem unum. 27. & 39.
Somnium Autoris de rore. 65.
Spiritus nomen quid ſignificet. 5.
Spiritûs mundi ſive univerſalis variæ appellationes. 6.
Spiritus Dei eſt vitæ author. 9.
Spiritus vitæ ſeu vivificans quid ſit. 8. 15. de eo variorum ſententiæ. 8. Autoris ſententia. 15. ejus exiſtentia probatur ex S. Scriptura. 9. & 10. in ſole principalis ejus ſedes. 10.
Spiritus ad largiendam rebus vitam aere veſtiendus. ibid. ejus auſpiciis fiunt actiones rerum. 11. 12. & ſeqq. eſt medium inter animam & corpus. 13.
Spiritus eſt ſal volatile. 15. ex aere & alimentis in nobis generatur. 15. 16.
Spiritus ſive ſalis catholici natura. 16.
Spiritus influens & inſitus unde dicantur. 19.
Spiritus, quâ ratione calidum innatum, & humidum radicale vocetur, cùm tamen hæc inter ſe differant. 20.
Spiritus vitæ rerum ſublunarium revivificator eſt. 21.
Squillæ taleoli in aceto ſquillitico reſuſcitati. 56.

T.

Tartarus arcanum metalla vivificandi in ſe habet. 59.
Tiliæ flores quo pacto reſuſcitentur. 42.
Tritici granum ex veſpæ ictu in pectore hominis natum. 54.
Tubera, Germanis Morcheln dicta, quomodo reſuſcitentur. 48.

V.

Vegetabilia varia in hominibus nata. 54.
Vellus aureum ex rore præparatum. 62.
Veris deliciæ. 1. 2.
Vita à Deo eſt. 30.
Urticæ reſuſcitatæ exempla. 41.

FINIS.

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE

QD
25
T11

RARE BOOKS DEPARTMENT